DE PIETATE ARISTOTELIS

Erga Deum & homines

LIBRI DVO

FORTVNII LICETI

Genuensis ex L. Com.

In Archigymnasio Bononiensi Philosophi Eminentis

S. D. N.

INNOCENTIO X.

PONTIFICI MAXIMO

DD.



VTINI, Typis Nicolai Schiratti. MDCXLV.

ANNVENTIBVS SVPERIORIBVS.

BEATISSIME PATER:



D sacrosanctos Beatitudinis Vestræ Pedes humiliter inclinatus, venerabundus offero volumen hoc meum *De Pietate Aristotelis erga Deum & homines*, tesseram ingentis lætitiæ, qua perfusus animo veneror etiam exteriori, publicoque signo Vestræ Sanctitatis ascensum ad supremam totius Orbis Christiani dignitatem. Me vero decet in primis exultantem celebrare laudibus, & humillima gratiarum actione nunc adorare Spiritus-Sancti Numen, cuius afflatu Purpurati Principes Ecclesiæ Catholicæ, terrenorum omnium affectuum obliti, Pontificem Maximum elegerunt, & Christi-Dei Vicarium in terris adorauerunt INNOCENTIVM X. in Eminentissimo Cardinali PAMPHILIO. Vere siquidem *A Domino factum est istud*, qui pacem tranquillamque libertatem Ecclesiæ Sanctæ suæ dare dignatus est Innocentis Alitis Paciferæ ministerio, communemque Patrem & Principem omnium

Orthodoxorum Heroum illum creare, simul & beatificare illum in gloria supremi Sacerdotij; qui diuine cognominatus PAMPHILIVS, idest, totus-amor, omnes-amans, omnibus-amatus, Innocenti prudentia, solidaque sapientia se dignissimum prębuit Decumano Fidelium Principatu. Quem quidem Maximum Pontificatum, nobilem diuinamque Spartam, Beatitudo Vestra sic ornare satagit, vt vel ab initio Dominij sui non solum proborum hominum corda sibi deuinxerit, & in suum adduxerit obsequium; sed etiam heroicarum virtutum aureis catenis, procul ab Herculea fabula, cunctos plane mortales in sui cultum & admirationem suauiter attraxerit. Vnde singuli viuentium pro Vestra mirabili Electione Deo Summo grates agunt immensas, & pro Vestra diuturna incolumitate Numini Diuino vota duplicant vnanimes: at inter ceteros ego maxime, qui sub Eminentissimo patrocinio Vestro pridem e ferocientis fortunæ sæua tempestate securus euasi, quique sub Optimo, & solide-Literato Principe Magnanimo Literas antiquam gloriam adeptum iri, Literatosque viros pristinum splendorem, fere iam antiquatum ac velut intermortuum, æuo Sanctitatis Vestræ recuperaturos, præsaga mente mihi videre videor.

deor. Diutissime valeat incolumis Beatitudo Vestra, feliciter Vrbem, & Orbem gubernet ad Christianæ Literariæque Reipublicæ bonum, & incrementum, Christique Domini Gregem amplissimum, suæ custodię pariter & curationi commissum diuinitus, ad ætherea pascua dirigat, glorioseque perducat. Sic opto maxime, precor ex animo, & exorare plurimum aueo, Bononiæ, Anno Salutis M D C X L V. Primo vero Pontificatus Sanctitatis Vestræ.

Seruus humillimus
Fortunius Licetus.

Orthodoxorum Heroum illum creare, simul & beatificare illum in gloria supremi Sacerdotij; qui diuine cognominatus PAMPHILIVS, idest, totus-amor, omnes-amans, omnibus-amatus, Innocenti prudentia, solidaque sapientia se dignissimum præbuit Decumano Fidelium Principatu. Quem quidem Maximum Pontificatum, nobilem diuinamque Spartam, Beatitudo Vestra sic ornare satagit, vt vel ab initio Dominij sui non solum proborum hominum corda sibi deuinxerit, & in suum adduxerit obsequium; sed etiam heroicarum virtutum aureis catenis, procul ab Herculea fabula, cunctos plane mortales in sui cultum & admirationem suauiter attraxerit. Vnde singuli viuentium pro Vestra mirabili Electione Deo Summo grates agunt immensas, & pro Vestra diuturna incolumitate Numini Diuino vota duplicant vnanimes: at inter ceteros ego maxime, qui sub Eminentissimo patrocinio Vestro pridem e ferocientis fortunæ sæua tempestate securus euasi, quique sub Optimo, & solide-Literato Principe Magnanimo Literas antiquam gloriam adeptum iri, Literatosque viros pristinum splendorem, fere iam antiquatum ac velut intermortuum, æuo Sanctitatis Vestræ recuperaturos, præsaga mente mihi videre videor.

deor. Diutissime valeat incolumis Beatitudo Vestra, feliciter Vrbem, & Orbem gubernet ad Christianæ Literariæque Reipublicæ bonum, & incrementum, Christique Domini Gregem amplissimum, suæ custodię pariter & curationi commissum diuinitus, ad ætherea pascua dirigat, glorioseque perducat. Sic opto maxime, precor ex animo, & exorare plurimum aueo, Bononiæ, Anno Salutis M D C X L V. Primo vero Pontificatus Sanctitatis Vestræ

Seruus humillimus
Fortunius Licetus.

Typographus Lectori.



SI ſententias Græcanicas, & in hoc libro proprijs elementis ab Autore delineatas, ego Latinis characteribus impreſſi, benigne Lector, æqui bonique conſulas velim, ac excuſes; etenim minutioribus illis literulis Grecis, quæ noſtratibus Garamonijs appellatis apte magnitudine reſponderent, omnino deſtitutus, coactus fui mutuatis e Latio figuris vti: nunc etiam imitatus antiquiores illos, qui Dictys Cretenſis hiſtoriam belli Troiani Græco ſermone contextam, ob Atticarum literarum penuriam Punicis characteribus deſcriptam inuulgauerunt; vt ad Aradium ſuum ſcripſit olim Q. Septimius apud Dionem Siculum. Sed & conſulto Porphyrius ille Publilius Optatianus in ſuis admirabilibus metris figuratis multa Græcanica literis Latinis ad arbitrium exarauit. Vale, & mea qualicunque opera nunc vtere.




Vulgus ARISTOTELEM *grauat impietate:* LICETVS
Doctorem purgat. Nunquid vterque pius?

IOANNES RHODIVS.

Series Librorum, & Capitum huius Voluminis.

FOR-



FORTVNII LICETI
AD SVOS LIBROS
De Pietate Aristotelis erga Deum,& Homines
PRÆFATIO.



Ristotelem,Philosophorum termaximum, Christianæ religionis expertem omnino fuisse,certissimum est; quum ille terrenos Christi Domini Natales & Obitum,Christianorumque nomen,Historicorum multiplici (a) testimonio, trecentis sexaginta circiter annis præcesserit:adeoque Magistrum Sapientum ea mysteria nostræ Fidei non agnouisse,quæ Iesu Christi diuinis habita reuelationibus ab orthodoxorum cœtu creduntur, vnicuique compertum est. Verum enimuero supra vetustiores Philosophos omnes vnum Aristotelem ad veram Pietatem accessisse maxime, soloque Naturæ lumine fretum perspicacioris intellectus acie de summo Deo, reliquisque Catholicam ad Fidem attinentibus, ea perspexisse,scriptisque mandasse,quæ nemo Gentilium Sapientum illo seniorum nouerit, ac monumentis litterarum commendauerit, compertum satis efficiunt inter nostrates Theologos Autores Classici;nam (b) Eusebius,& (c) Cassiodorus obseruant, Aristotelicæ philosophiæ beneficio plurimos viros,etiam sanctitate claros,Theologiæ

a Apollod. D. Laert. Suid. in α. Prir. disq. Perip. t. 1. lib. 1. & 4.

b 6. Eccl. hist.cap.15 c 6. Histor. Trip. c.37. & lib. 8. cap.8.

A *præ-*

præsertim scholasticæ cultores, ad altissima veræ Fidei dogmata medullitus introspicienda dudum euectos fuisse: Quin & quis ignorat, Diuos Thomam, & Bonauenturam, Subtilium principem, aliosque plurimos horum alumnos, eiusdem Peripateticæ doctrinæ præsidio cuncta propemodum Hæresiarcharum & Infidelium sophismata, veritatem orthodoxam nunquam non expugnare tentantia, plane dissoluere? Quis etiam neget, sacras Hebræorum paginas in Aegypto lectas a (d) Pythagora, Thalete, Platoneque, ac Aristotelis æuo prostantes, ab Aristotele, librorum omnium studiosissimo perlectas fuisse? Scimus profecto (*scribit in antiquis lectionibus ipse Cælius*) cum veteribus omnibus vsitatissimi fuisse moris, vt omne scriptorum genus excuterent; nullas quas possent, commentationes illectas intactasque præterirent: tum Aristoteli vel in primis, qui ex nobili lectionis multijugæ variantisque cura est a Platone Anagnostes nuncupatus, tanquam lector foret infatigabilis, & *chalceteros* plane, vt Græci dicunt, & sititor inexplebilis. *Immo vero Petrus la-Sena, politiori litteratura clarus, agens de ijs, qui in aquis pereunt, in suo Cleombroto scribit hæc ad propositum nostrum,* (f) Inualuit inter eruditos, vt quidem rationi consentanea, sic satis autoritate firmata opinio, disciplinas omnes olim in Græcia aduenas fuisse: simul enim cum aduentu Cadmi, quem Iudæum, vel Chananæum, hoc est, Phœnicem prædicant, nedum litteras, & linguam, sed res humanas & diuinas ortum ac natalem accepisse: deinde ad Aegyptios ad Brachmanas, & quas Barbaras vocant, alias nationes, institutis peregrinationibus, accessione nouorum prouentuum redditas auctiores. *Ante la-Sena Suidas,* Cadmum aiunt primum litteras intulisse in Græciam, quas Phœnices (*qui Iudæi sunt*) primum inuenerint; vnde in Epigrammate in Zenonem,

„ Si patria est Phœnicia; quid tum? fuit & Cadmus
„ Ille Phœnix, a quo scriptam Græcia habet paginam.

Verum hac de re latius (g) infra suo loco: nunc sufficiat ostendisse, sacras Hebræorum litteras Aristoteli cognitas fuisse. Vt autem ego sententiam illorum minime probo, qui scribunt, Aristotelem aperte satis ac intime cognouisse Trinitatis ineffabilis distinctas Personas; præsensisseque Christi Redemptoris aduentum ad purganda mortalium crimina, quod obseruat (h) Rhodiginus: nec eos collaudare possum, qui summo Philosopho turpissima vitia passim, & impietatem, ac speciatim Ido-

d Iof. hist. adu. Ap. lib. 1.
e lib. 17. c. 17.
f cap. 5.
g lib. 1. c. 13.
h lib. 17. cap. 17.

Idololatriam obijciunt; ita connumerari iam inter eos opto, qui Pietatem erga Deum & Homines in Aristotelis doctrina non dissimulant; Patrisque scientiarum verenda non (i) aperiunt; sed pallio salubrium interpretationum operire satagunt, imitati non improbum Chamum, sed probos Noemi filios, Semum & Iaphetum, hac de re non parum in sacra (k) pagina laudatos. Ceterum quicumque de Pietate Aristotelis erga Deum, & Homines veram sententiam ferre voluerit, is non aliorum testimonijs inniti debet, quæ plerumque vel amoris, vel odij velo contecta veritatem obnubunt ac penitus extinguunt, augentia res minimas, & minuentia maximas, vt ait in Centiloquio Ptolemæus; ast e puris Aristotelis dogmatibus eam elicere; siquidem ex abundantia cordis os (l) eloqui solet; sermoque consueuit esse verus (m) index animi; proindeque Socrates ei loquendum præcepisse dicitur, cuius animum agnoscere cupiebat. Quoniam vero Pietas erga Deum, & Homines tota duplici cardine versatur, recto cultu Numinis, & vitiorum omnium detestatione; nos Pietatem Aristotelis ex hoc vtroque fonte deducere conabimur; priore quidem libro proferentes ea, quæ potissimum declarent, Aristotelem circa Dei cognitionem, & cultum veræ Pietati plurimum adhæsisse; posteriore vero demolientes ea, quæ tantum Philosophum a vera Pietate longius abfuisse suspicionem quandam hominibus incutere posse videntur. Tu summe Deus, qui nosti me Spartam hanc aggredi non magis Aristotelicæ Pietatis illustrandæ gratia, quam veritatis ergo, & ad vtilitatem adolescentium Peripateticæ doctrinæ prorsus addictorum; mentem meam illumina, & manum meam ad ea scribenda dirige, quibus & Tibi placere, & mihi meisque lectoribus maxime prodesse valeam. Rem igitur auspice Deo iam aggrediamur.

i Leuit. 18. Paul. ad Gal. cap. 4.
k Genes. 9.
l Luc. 6. Matth. 12.
m 1 periher. init.



FORTVNII LICETI
DE PIETATE ARISTOTELIS
Erga Deum, & Homines
LIBER PRIMVS:
In quo declaratur quousque peruenerit Aristoteles in veri Dei cognitione, atque cultu.

Aristoteles Deum esse professus est adeo, vt homines esse negauerit eos, qui Deum non esse crediderunt. Caput Primum.



Nter antiquos vt nonnulli fuere, qui diuinitatem omnem impie negauerunt, Protagoras, *(a)* Diagoras, Euemerus, Callimachus, Theodorus, Democritus, Epicurus, & horum asfecla Lucretius: ita contrariam sententiam professus Aristoteles, non solum esse Deum apertissime testatur plurimis in locis, inquiens, *(b)* Deum esse causam & principium rerum omnium: esse in *(c)* Vniuerso, & vicissim cuncta in illo, mouerique omnia ab inexistente in nobis Numine: imperareque non *(d)* iubendo: esse *(e)* sempiternum optimumque viuens: nihil *f* frustra facere: atque alia multa de Deo pronuncians; Verum etiam ab Atheis adeo dissidet, vt aliquando scribens, *(g) Omnes enim homines de Dijs habent existimationem; & omnes eum, qui sursum est, locum Deo tribuunt, tanquam videlicet immortali immortale coaptatum sit; impossibile enim aliter. Si igitur est aliquid diuinum, quemadmodum & est; & nunc dicta de prima substantia corporum dicta sunt bene*: plane nobis innuat, homines non esse, qui Deum negantes, Athei nominantur. Quin & alibi scribens, *(h) Si quempiam eo vsque feceris intrepidum, vt Deos non metuat; iam non fortis, sed demens fuerit*: consentientia dicit ijs, quæ leguntur in sacra pagina, vbi *(i) Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Aristoteles igitur Deum esse cognouit, & confessus est.

a Lact. l. 1. c. 2. Plutar. 1. de plac. ph. c. 7. De vit. Epic. De an. tranq.
b 1. meta. c. 2. lib. de mun. c. 7.
c 7. Eud. c. 18.
d ibid. c. 19
e 12 meta. t 39.
f 1. cęl. t. 32
g 2. cęl. t. 22
h 1. mag. mor. c 6.
i Psal.

Deum vnicum ab Aristotele cultum: Deorumque Gentilium multitudinem ab eodem minime probatam fuisse. Cap. II.

ALter autem veræ Pietatis gradus est, vnius Dei cultus, & multitudinis Deorum detestatio; quem sane gradum Aristotelem tenuisse, satis apertum

tum est ex ijs, quæ perspicuis verbis ipse profitetur de Vniuersi bono Guber-
natore, cui tribuit vnitatem, & aperte negat multitudinem, inquiens, *(a) Per-* a 12. meta.
scrutandum etiam hoc, quonam modo natura Vniuersi habeat ipsum bonum, & ipsum t. 52.
*optimum: vtrum separatum quiddam & ipsum, an per se, an in ipso ordine. An
vtroque modo quemadmodum exercitus: etenim bene esse eius in ordine, & Dux ipse
est; ac magis ipse; non enim ipse propter ordinem, verum ordo propter ipsum est. Cun-
cta autem coordinata quodammodo sunt; verum non similiter & natantia, & vola-
tilia, & planta: nec ita se habent vt sit vllum alteri ad alterum; sed sunt ad quip-
piam; ad vnum namque coordinata sunt omnia. Verum quemadmodum in domo
liberis quidem minime licet quodcunque facere, sed ea omnia, aut plurima, quæ or-
dinata sunt; mancipijs vero, & bestijs parum, quod ad commune conferat, sed vt
plurimum quodcunque contingit, (tale namque principium cuiusque eorum natura
est.)* & non multo post, *(b Qui vero dicunt mathematicum numerum primum,* b tex. 56.
*& ita semper aliam attiguam substantiam faciunt (nihil enim altera alteri confert,
siue sit, siue non sit) & principia multa. At entia nolunt male gubernari: non est
bona pluralitas principatuum: vnus ergo Princeps.* Quibus consentiens Aristo-
teles (c) alibi, Regnum, quod est vnius dominium, ad multorum dominatus c 4. polit.
differentiam, vocat primam & diuinissimam gubernandi rationem. Ex his c. 2.
iam euidentissime constat, Aristotelem decernere, rationeque ducta ex rei
natura plane colligere, Deum mundi gubernatorem vnicum esse, nec dari
posse plures Vniuersitatis huius Rectores, vt cæca Gentilitas opinabatur,
præficiens Terræ Deum Plutonem, Mari Neptunum, Cælo Iouem eorum
fratrem, ventis Eolum, frugibus Cererem, vitibus Bacchum, & alijs rebus
alium Deum; quum tot Principibus vnica mundi moles recte gubernari ne-
queat: sed optime res mundanas gubernari quum videamus, eundem teno-
rem semper obseruantes; certumque sit, a multis Principibus eandem Rem-
publicam simul apte regi non posse; iam Vniuersitatem hanc rerum, quę om-
nes ordine miro colligatæ nectuntur, ab vno Mundi Rectore Deo, non au-
tem a pluribus Dijs bene gubernari posse statuendum est; perinde ac nec
vnus exercitus, in quo milites plurimi diuersis cohortibus ordine certo con-
spirant ad eundem finem, pluribus Imperatoribus apte gubernari valet, at
vnico solum Duce supremo. Eandem vnitatem Dei professus est Aristote-
les antea dicens, iuxta translationem Arabicam, *(d) Deus igitur est vnus, ater-* d 12. meta.
nus, in fine nobilitatis. Ergo est vita, & est continuum aternum; hoc quidem est Deus. t. 39.
Et in vulgata translatione, *Dicimus itaque Deum sempiternum, optimumque vi-
uens esse. Quare vita, & auum continuum, & aternum Deo inest: hoc enim est Deus.*
Quibus non solum Deus vnus esse dicitur, sed etiam esse vita; quod in sacra
pagina frequentissime legimus apud (e) D. Ioannem, Deum veram esse vi- e Eu. c. 1. 6.
tam, & vitam æternam. Deinde vero paulo post Aristoteles non accipiens 11. 14. &
Antiquorum opinionem, qui plures primos motores asserebant, vnicum ipse ep. 1. c. 5.
Deum principium rerum omnium ponit, hæc asserens, *(f) Vtrum autem vna* f 12. meta.
sit ponenda talis substantia, an plures, & quot, non oportet nos latere; sed meminis- t. 42. 43.
*se quoque aliorum sententias, quod de pluralitate nihil, quod perspicuum sit, dixe-
runt: De Ideis namque opinio nullam accommodatam considerationem habet; nume-
ros namque dicunt Ideas, qui dicunt Ideas esse; de numeris vero quandoque vt de in-*

finitis

finitis aiunt, quandoque tanquam usque ad denarium determinatis. Quæ vero de causa tanta numerorum pluralitas sit, nihil cum diligentia demonstratiua dicitur. Nobis vero ex præsuppositis atque determinatis dicendum est. Principium enim, ac primum entium, tum per se, tum per accidens immobile est, mouens autem primo, sempiterno, & vno motu. Quum vero quod mouetur necesse sit ab aliquo moueri; primumque immobile per se esse: ac motu æterno ab æterno moueri, & vnum ab vno; videmusque præter simplicem lationem totius, quam dicimus primam substantiam, & immobilem mouere, &c. Quod vero de numero denario, & de infinito, quem primo rerum omnium principio, ac Deo tribuebant antiqui, nunc obseruat Aristoteles, illud idem mihi videtur esse, quod attribuunt Cabalistis, & Hebræis antiquioribus Gyraldus, & Bongus; ille quidem inquiens, (g) *Sed enim de septuaginta duobus his nominibus nos non loquimur, quoniam eorum magis mihi commenta videntur, qui Cabalæ operam nauant, quam eorum qui pie Deum colunt, ac simplici castaque & pura mente venerantur: nam & decem eorum modos, & figuras comminiscuntur, ita vt pene in infinitum procedant, adeo (si fari liceat) vt magis insanire, quam Deum docere velle videantur*. Hic autem asserens, (h) *Deus enim Alpha, & Omega, principium & finis omnium entium: ipse prima vnitas, qui prius quam se in principio temporis communicasset, primo se ab æterno in primum numerum, scilicet ternarium diffundit: dehinc in denarium, tanquam in decem Ideas, mensuras omnium numerorum, & rerum omnium faciendarum, quas Hebræi decem attributa vocant, & decem Diuina nomina numerant*. Sed Aristoteles hic vnum primum motorem agnoscit, & vnitatem sine multitudine Deo assignat. Etsi vero propositi multa præclara testimonia retulerim ex ijs libris, qui dubitante nemine recipiuntur ab omnibus, tanquam ab Aristotele conscripti; nec oporteat me nunc ad eas probationes accedere, quæ prostant in Opusculo de Mundo ad Alexandrum inscripto, quod nonnulli suspicantur Aristotelicum non esse, tum ob stylum valde dissimilem styli ceterorum operum Aristotelis; tum ob proœmium elegans, a quo dicunt Aristotelem abstinere consueuisse: Mihi tamen ad abundantiorem opinionis nostræ confirmationem, ex hoc opere testimonia quoque deducere libuit, quod Aristotelis genuinum esse dudum alias (i) ostendi, consentiens tum Apuleio, qui libellum velut Aristotelicum transtulit e Græco in Latinum sermonem: tum maxime Iustino Martyri, grauissimo Philosopho, qui Plutarcho paulo iunior, Galeni, Ptolemæi, Apuleij, A Gellij, Epicteti, & Alexandri Aphrodisæi tempestate floruit, sub M. Antonino Pio Imp. nam is attestatur non solum hunc librum Aristotelis esse, verum etiam a veteribus Philosophis vocatum fuisse Compendium Aristotelicæ philosophiæ: verba D. Iustini sunt in sua (k) Cohortatione ad Græcos ipsissima, *Aristoteles autem in eo, quod ad Alexandrum Macedonem scripsit, opere compendiose philosophiæ suæ exponens rationem & finem, clare & diserte Platonis abrogat opinionem, non in ignea substantia Deum esse inquiens; sed quintum quoddam æthereum & immutabile corpus fingens, ibi Deum esse ait. Quapropter ita scripsit, non quemadmodum nonnulli de diuinitate hallucinantes de (*) Diuina essentia Deum esse asserunt*, &c. Quorum duum antiquiorum iudicium secuti sunt iuniores Clarissimi, Steuchus, Vulcanius, atque Patritius: primum quidem ille Steuchus, qui de Perenni Philosophia præclare

g de Dijs gent. synt. 1.

h de nu. x. myst. sign.

Digressio de Autore libelli de Mundo.

i 2. Alleg. Perip. c. 5.

k init.

* a.l. *ignea.*

clare

clare ſcripſit, inquiens, (*l*) *Ariſtoteles in libro de Mundo, quem olim appellabant, ut Iuſtinus Martyr, Philoſophiæ eius Compendium, quod ipſe ſcripſit ad Alexandrum, Latinis Peripateticis obſcurum, diuine iuxta Maiores, quos videbat, ſentiebatque eſſe ſequendos, locutus eſt de Deo*. & mox, (*m*) *Hac tot, tamque præclara attulit de Deo Ariſtoteles teſtimonia, ut plura fermè clarioraque ab his, qui cæleſte nectar ebibiſſent, roreque diuino pectora imbuiſſent, dici non poſſint. Hunc autem librum illius eſſe, probat Maiorum, ut ſuperius dixi autoritas, qui eum appellarunt Philoſophiæ ſuæ epitomen, Compendium, quod poſt omnia, quæ nunc habentur paſſim, quum iam prouectæ ætatis, iam grauis annis, ad Alexandrum ſcripſit. Totamque in hoc libro breuiter, & dilucide, ad Imperatorem videlicet, cui non eſſet in obſcuriſſimis Philoſophorum ſententijs tempus inſumendum, explicauit traditam alijs in libris, additis nonnullis, philoſophiam: propterea locutus eſt explicatius & apertius quam alijs in libris: loquuntur enim ſenes dulcius, quum poſito iuuenili calore, & inanis gloriæ (quam ſæpe ex ſermonis obſcuritate captamus) cupiditate, veriora loquimur, & clariora: Nam quaæ ceteros ſparſit Philoſophiæ libros obſcuritate, non caſu, talemque phraſin ei ſuggerente natura, ſed dedita opera eam adhibuiſſe, declarat ipſius teſtimonium; quum quereretur Alexander quod libros Philoſophiæ in vulgus edidiſſet, reſpondit, ſciret eos editos & non editos. Nunc autem ad maiorem totius Philoſophiæ, quam difficilem ceteris in locis & obſcuram tradidiſſet, claritatem: & quod tali Principi ſcriberet, amplexus omnia, & additis nonnullis, luculenter expreſſit: eoque, vt dixi, omnia hoc in libro fermè dogmata eius reperias. Quæ vero addita ſunt, ſunt ea quæ ſuppreſſerat, propter obſcuritatem, vel tempus nondum perfectè reuelauerat. Neque vero mirum eſt, aliquid eum hic vel diuerſum ab alijs Philoſophiæ libris tradidiſſe, vel explicatius, & melius de Deo docuiſſe: nam omnes propemodum Philoſophos, omnes item ſcriptores, aliquid in dogmatis ſuis inuenies, ſi diu vixiſſent, poſtea demutaſſe: ſæpe diuerſæ ſententiæ fuerunt in ſenectute, atque in iuuenta: quin a ſexennio variari animos magnorum Philoſophorum deprehendes. Sed tamen hæc, quæ dixit Ariſtoteles in hoc libro, non ſunt his aduerſa, quæ ceteris in libris tradidiſſet, ſed magis aperta, & explicata; nam apparet eum eius mentis alibi fuiſſe, licet ſuppreſſo & tacito: ac contulimus ſuperius quædam loca*, &c. Deinde ipſe (*n*) D. Thomas apud Boëthium de Conſolatione Philoſophiæ citat opuſculum de Mundo, tanquam Ariſtotelicum. Deinde Vulcanius, vir plane doctus, qui libellum hunc de Mundo ſcholijs illuſtrauit, *Quum*, inquit, *magnus ille, admirandusque Ariſtoteles hanc Naturæ, & rerum ab oculis remotarum inueſtigationem, cognitionemque magno illo Alexandro quam digniſſimam iudicaret; totius Vniuerſi accuratam deſcriptionem velut in tabella quadam vno obtutu ſpectandam cognoſcendamque ipſi propoſuit: Opus certe præclarum, vereque aureum, quodque non niſi ab ipſo Naturæ Genio confici potuit. Id inſcripſit de Mundo; Mundi appellatione cæli, ac terræ, & naturarum, quæ ijs continentur, ſocietatem complexus. Quod quidem Ariſtotelis ſcriptum ob eximiam doctrinam pariter atque elegantiam apud doctiſſimos quoſque omnis æui Philoſophos ſummo ſemper in pretio habitum fuit. Quo magis miror inuentos eſſe nonnullos, qui id Ariſtotelis eſſe negauerint: qui quidem plumbeis argumentis nituntur: nequaquam vero ſumma libelli de Mundo elegantia eum ex Ariſtotelicorum operum numero deijcit: an ne barbare ſcribit Ariſtoteles? nonne* (*o*) *Cicero, diſertiſſimus ille Romanæ parens eloquentiæ ſummam Ariſtotelis elegantiam exoſculatur, ſuſpicit, admira-*

l. lib. 4. c. 3.
m cap. 4.
n cô. metr. 9. lib. 3.
o 1. Tuſcul. 2. & 4. Acad.

ra-

ratur? An ne debebat Alexandro, Regum Regi, qui se Deum facere, seu potius, qui se (p) coarguente, Deus appellabatur, libellum non elegantissimum inscribere? Deinceps autem Patricius ille vel infensissimus Aristotelis hostis, hunc libellum de Mundo confitetur, & comprobat Aristotelis esse; dicens in suis disquisitionibus Peripateticis: (q) *Qui vero libri sint hi, quos Alexander queritur inuulgatos, in dubio est; nam Plutarchus Metaphysicos, Simplicius ac alij Interpretes Physicos autumant: ego vero neutros existimo, sed librum de Mundo, qui ipsi Alexandro inscriptus ab Aristotele est; eoque ipsi totam, tum diuinam, tum naturalem Philosophiam, doctrinas scilicet secretiores acroamaticas per Compendium, Regio scilicet otio accommodate tradidit: neque enim Physicis illis, aut prima Philosophia libris quicquam continetur, quod Regio muneri inseruire possit: immo potius omnia, qua non solum occupatissimum Regem delectare, aut instruere non possunt; sed etiam otiosissimis studiosissimisque & labores ingentes, & tadium incutiant. E contra liber de Mundo, & partes ipsius, & ordinem, & geographiam, & passiones aeris, & diuinam prouidentiam explicat: qua omnia Regi, & Populorum Rectori, & exercituum Ductori maxime conducere queant. Atque ea methodo eo libro comprehensa sunt, ex qua facile vel memoria repetere qua a Praeceptore prius audierat, vel etiam sine sudio relegere Alexander posset. Quam methodum Regibus idoneam esse declarat Ptolemei Philadelphi desiderium, quem refert Proclus ab Euclide requisiffe, an esset aliqua in Mathematicis Regia methodus, qua per Compendium ijs disciplinis imbui posset; tulisseque ab eo responsum, nullam esse. Accedit ad hac, credibilius esse, hunc ipsum eundem librum eum esse, quem Alexander queritur fuisse editum, quoniam Alexandri nomen prafer at; quam illi vel Physici, vel Metaphysici, qui ne vmbram Alexandri, vel nominis, vel studij continent. Neque me terret, quin id pronunciem, quod est, librum Aristotelis non esse multi affirment, quia & Proœmio contra eius Philosophi morem vtatur; & multa in alijs libris ab eo traditis dogmatibus repugnantia dicat: Hoc namque argumentum nullius est roboris; quum & repugnantia ista non sola est; quia in libris confessis & indubijs multa contradictiones* (non quidem reales, ast apparentes tantummodo; de quibus, & earum solutionibus latissime Zimara, & alij passim) *reperiuntur: tum etiam quia ex Galeno vidimus Aristotelem, Theophrastum, Platonem, alijs atque alijs auditoribus aliter atque aliter sape scripsisse; ideoque non repugnat hoc libro nonnulla etiam dixisse Alexandri gustui accommodata, alijs vero libris qua sibi viderentur, docuisse. Nec quia proœmium non sit de Aristotelis more, liber is Aristotelis non est; quum nec discipulos alloqui de ipsius est more; quod tamen in fine libri Elenchorum facit. Neque ideirco Aristotelis eum librum non esse a quoquam vnquam assertum.* (Ego potius dixerim, moris fuisse Aristotelici, præclaris præcipuisq; libris proœmium attexere; quod fecit Aristoteles Ausculationi Physicæ, libris Meteorologicis, operi de Anima, Metaphysicorum volumini, & alijs plerisque.) *Accedit Iustini grauissimi Philosophi testimonium* (de quo nuper.) *Hunc igitur de Mundo librum queritur Alexander ab Aristotele inuulgatum, quem in secretis oportuerat asseruare: ne doctrina, qua ipse imbutus per compendium ac Regia methodo fuerat, omnibus communis fieret.* Quibus autoritatibus efficax illa ratio copulanda est, quod quum Græce scriptus sit, & eleganter, & longe ante tempora Galeni, & Alexandri Aphrodisæi, quorum æuo, Patricij obseruatione, floruit Iustinus Philoso-

p Aelian. 2. de va. hist. c. 19.

q tom. 1. lib. 6.

l. 5. c. 11. l. 13. c. 30. & l. 19. c. 37. Plutar. de adul. & de præc. Reip.

ſophus Martyrio clarus, qui eum cenſet libellum Ariſtotelicum eſſe: profe-
ctò nec Arabis vllius, neque Latini ſcriptoris genuinum volumen eſſe poteſt.
Quumque ante Iuſtinum Martyrem Græci Patres Chriſticolæ alta ſapien-
tia ſpectabiles, omnes Platonici fuerint, partim ideo Ariſtoteli tantum non
infenſi; partimque (nondum erutis e foſſa, in qua diu ſub terra delituerant,
nondum venditis (r) Apolliconi, nondum a Sylla (ſ) Romā aduectis Ariſto- r Plut. in
telis operibus) Philoſophi doctrinam, aut nomen Ariſtotelis minime colue- Sylla.
rint; nec propterea librum vllum illi adſcribere aut voluerint, aut valuerint: ſ Patrit. t. 1
iam neceſſarium prorſus eſt confiteri, libellum hunc de Mundo vel Ariſtote- l. 3.
lis eſſe, vel Theophraſti, vel cuiuſpiam alterius Ariſtotelici ſeu diſcipuli,
ſeu ſucceſſoris: at vero quum Theophraſtus, & quiuis alius Ariſtotelis alum-
nus atque ſucceſſor, poſt Alexandri Regis obitum floruerit; procul dubio
nemo illorum opuſculum hoc Alexandro potuit inſcribere. Reliquum eſt
igitur vt hic liber de Mundo, Regi Regum Alexandro Macedoni dicatus &
inſcriptus ab autore ſuo, nullum alium autorem habeat quam ipſiſſimum
Ariſtotelem. Solida igitur ex hoc opuſculo teſtimonia de Ariſtotelis Pieta-
te erga Deum deducere poſſumus, teſtimonijs aliorum operum eius atte-
xenda. Iam ergo redeamus ad penſum. Profecto Dei ſingularem vnitatem
in opere de Mundo plane fatetur, & profitetur Ariſtoteles in hanc ſenten-
tiam, (t) *Quod vero in hiſce rebus* mundanis *agitur, magnopere ſimile eſt ijs, quæ* t cap. 7.
*belli tempore inter homines factitantur; namque ſtatim vt claſſicum exaudiri in exer-
citu captum eſt, alios ipſe videas ſcuta ſibi aptantes, loricam alios induentes, alios
ocream, vel galeam ſumere, vel balteo ſe cingere feſtinanteis: rurſus videas qui fræna-
tos equos admittant, alios qui currus conſcendant; qui denique teſſeram per explica-
tam aciem prodant: tum manipuli ductor ad manipulum, centurio curris ad centu-
riam; poſtremo equites ad cornu, velites ad ſtationem quiſque ſuam feſtinat: quum
interim ſub vno ductore omnia moueantur, qui imperia & ipſe ſignificanda accepit ab
eo, apud quem ſumma eſt Imperij: eodem nos & ipſos modo cenſere conuenit de Vni-
uerſo: quum enim ab vna vi impultrice cieantur omnia; fit vtique quod cuique
commodum eſt, & conueniens.* Quæ certe ſatis explicant dicta in (u) Metaphy- u 12. meta.
ſicis. Et mox addit, *Vt vero ſummatim iam loquamur, quod in naui gubernator eſt,* t. 52. 53. 56
*quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & Dux
in exercitu, hoc Deus eſt in Mundo.* Non ne ſingularis eſt in naui gubernator,
vnus in curru agitator, vnus in choro præcentor, & vnus in exercitu Dux?
Sed & ex eo, quod Deus eſt in Mundo, vt lex in ciuitate, Deum vnicum eſſe
conſtat; nam in ciuitate lex vnica eſt, etſi multa præcepta contineat: ſic
Deus vnicus eſt, etſi multa obtineat attributa. Sed non multo poſt addit
Ariſtoteles, *Vnus porro Deus quum ſit, pluribus nominibus appellatus eſt; ab ijs
vtique ſuis omnibus effectibus denominatus, quorum ſpecimen edere ipſe ſolet. Atque
eum quidem Zηνα, tum Δία vocant, inter ſe compoſitis vtentes nominibus, atque e regio-
ne collocatis tanquam duabus his vocibus ſignificari velint, per quem viuimus. Is
Crono, id eſt Saturno, & Chrono, id eſt tempore ortus eſſe dicitur, nimirum ab ano
ſempiterno ad alterum æuum pertinens. Vocatur & Fulgurator, & Altitonans, &
Aetherius, & Fulminator, & Pluuius; a pluuijs vtique, & fulminibus, alijsque
operibus, e quibus vocabula ipſa deducta ſunt. Quin & Frugipotens, & Cuſtos Vr-*

bium vocitatur, & Natalitius, Septitius, Cortalis, Gentilitius, & Patrius; videlicet a communione, quæ diuino ipsi Numini ijs cum rebus intercedit. Adhac Sodalitius, & Amicitiæ præses, tum Hospitalis, Castrensis, Trophealis, Expiator, Sanguinarius, & Supplex, & Placabilis, vt poetæ loquuntur; denique Seruator dicitur, ac Assertor, & (vt semel omnia complectar) Cælestis, & Terrenus, ab omni natura sorteque nomen adeptus, vtpote qui omnium rerum autor sit. Quamobrem quæ de ipso in Orphicis carminibus dicta sunt, haudquaquam perperam dicta sunt.) Quæ carmina in aliquibus Græcis exemplaribus non leguntur: leguntur tamen in Lamariano, & in eo, quem transtulit Apuleius; vt videbimus; ast in vulgaris non habentur, sed statim additur) *Equidem Necessitatem ipsam etiam nihil aliud, quam Deum dici censuerim & intelligi; cui Anancbj ex eo nomen est, cui natura quidem sit immobilis. Eundemque Eimarmenjn, idest, Fatum, dictum a serie rerum consferta, inoffensoque tenore procedente, quod alio nomine Pepromenjn ideo appellarunt, quod ab eo omnia terminata sunt, ac nihil in rerum natura infinitum est. Quin & Mœran, idest Sortem appellatum eundem Deum a partitione rerum dixerim; & Nemesin, quasi Potestatem diuinam, eius quod visum est cuique distributricem. Adrasteian etiam, quasi Causam quandam naturâ comparatam, quam fallere nemo queat, aut vitare. Æsan denique dictum, quasi semper existentem. Iam quod de Parcis, & de Fuso proditum est earum, eodem id etiam quodam modo pertinet; siquidem tres Parcas prescripta in tempora partiti sunt; filumque fusi partim iam peractum, partim futurum, partim iam intorqueri dixerunt: earum vnam statuentes in eo quod iam profligatum est, quam Atropon ideo nuncuparunt, quoniam ea, quæ iam præteriere, retrorsus agi nequeunt: at Lachesis functio futuris destinata est: omnium enim, quæ secundum naturam, sors sua quodque manet: præsentibus autem rebus, aut instantibus Clothus opera attributa est, quæ nettit vnicuique consicit, quod suum est. Hocque fabulamentum recte atque ordine compositum est: proinde hæc omnia non aliud quicquam quam Deum esse planum est; vt eximius Plato censuit. Enimvero Deus (vt est vetusto verbo proditum) principium, & finem, & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille quidem secundum naturam, e vestigio comitem habens iustitiæ præsidem; quam Dicjn nominauerunt, diuinæ legis vindicem, simul vt quicquam sanctionum eius prætermissum est. Cuius vt sit particeps numinis iam inde oportet ab initio, qui ad vitam beatam cursurus est atque felicem.* Quæ omnia vt apertissime declarant Aristotelem coluisse Deum vnicum & singularem, damnauisseque multitudinem illam fabulosam Deorum Gentilium; ita satis aperiunt eundem Philosophum intime nouisse plurima summi ac veri Dei attributa; nam hæc omnia fere, quæ Deo nunc assignat Aristoteles, in sacra pagina leguntur, & apud orthodoxos Theologos nostros; etenim si Philosophus ait, *Vnus porro Deus quum sit, pluribus nominibus appellatus est; ab ijs vtique suis omnibus effectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet*: in eandem sententiam D. Dionysius Areopa-
x cap. 1. gita tractans de Diuinis nominibus ex translatione Ficini, dicit, (x) *Hoc igitur intelligentes Theologi, diuinitatem partim ex omni nomine celebrant, Deumque*
y cap. 10. *tanquam plurimis nominibus præditum laudant*. & multo post, (y) *Tempus iam admonet vt Deum multis laudatum nominibus, vt omnipotentem, atq; vt antiquum*
z cap. 12. *dierum celebremus*. & adhuc infra, (z) *Laudare iam decet Deum infinitis nomini-*

bus

bus præditum. & vlterius, (a) *Deus in omnibus omnia est*. *Præterea ex omnibus cognoscitur ab omnibus*. Quod addit Aristoteles, *Atque Deum quidem Zηνα tum Dia vocant, inter se compositis vtentes nominibus, atque e regione collocatis, tanquam duabus his vocibus significare velint, per quem viuimus*: quod alibi dixerat, (b) Diuinum numen viuere vitam sibi sufficientissimam, nullius indigam; esseque vnde pendet rebus omnibus esse & viuere. Diespiter enim Deus, quasi Dici pater, vel quasi diem iuuans, quod homines die ac luce, quasi vita iuuaret; id ipsum plane dicit sacra pagina his verbis, (d) *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait, Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video; præteriens enim, & videns simulacra vestra, inueni & Aram, in qua scriptum erat, Ignoto Deo: quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus, qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo; cum ipse det omnibus vitam & inspirationem & omnia: fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ; definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum: quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus; sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt: ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus existimare auro & argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis, diuinum esse simile*. Quod & Aristoteles etiam dixerat, tum scribens, (e) quod *Deus est in Vniuerso, & vicissim cuncta in illo; mouetque omnia ab se existente in nobis numine*: tum afferens humanum intellectum esse Deo congeneissimum, vt ita vertam Syggenestaton. Sed & D. Ioannes ait, (g) *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus, vt viuamus per eum*. Quod autem addit Aristoteles de Deo, *Is Crono, idest Saturno, & Chrono, idest Tempore ortus esse dicitur; nimirum ab æuo sempiterno ad alterum æuum pertinens*: id nihil aliud indicat, quam Deum esse vndique sempiternum, careréque principio & fine suæ durationis, esseque ab æterno in æternum; quod plane dogma frequentissimum est in sacra pagina: speciatim Ecclesiasticus (h) inquit, *Omnis sapientia a domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum*. Et Propheta sic orat, (i) *Et nunc Domine omnipotens Deus Israel, anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te: audi Domine, & miserere, quia Deus es misericors, & miserere nostri, quia peccauimus ante te; quia tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in æuum*. Adijcit Aristoteles, *Vocatur & Fulgurator, & Altitonans, & Aetherius, & Fulminator, & Pluuius; a pluuijs vtique & fulminibus, alijsque operibus, e quibus vocabula ipsa deducta sunt*. Hæc omnia legimus apud sacros autores; nam vt frequentissime scriptum est in Biblijs, (k) *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram; pluitque Dominus grandinem super terram Aegypti, & grando & ignis mista pariter ferebantur*. & alibi, (l) *Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: grando, & carbones ignis. & misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos*. (m) *Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: fulgura in pluuiam fecit*. & alio loco, (n) *Deus ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo*. & vlterius, (o) *Tonabit de cælo Dominus*, & alibi, (p) *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit*

a cap. 13.
b 1. cæl. t. 100.
d Act. 17.
e 7. eudem. c. 18.
f 10. Ethic. cap. 8.
g epi 1. c. 4.
h cap. 8.
i Baruch 3.
k Exod. 9.
l Ps. 17. & 2 Reg. 22.
m Ps. 96. & Ps. 134.
n Hiere. 10 & 51.
o 2. Reg. 22.
p Iob 37.

eit magna, & inscrutabilia: Qui præcipit niui vt descendat super terram, & hiemis
q Iob.41. pluuiæ, & imbri fortitudinis suæ. (q) Mittet contra eum fulmina. Et alio loco:
r Gen.7. (r) Dixit Dominus ad Noe: Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam, quam
f Leuit.26. feci de superficie terræ. Et alio loco, (f) Si in præceptis meis ambulaueritis, &
t Deut.11. mandata mea custodieritis, dabo vobis pluuias temporibus suis. (t) Deusque vester
u 1.Reg.12 dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam. (u) Inuocabo Dominum, & dabit voces &
x Iob.5. pluuias. (x) Qui dat pluuiam super faciem terræ, & aquis irrigat vniuersa. (y) Pe-
y Zac.10. tite a Domino pluuiam in tempore serotino, & Dominus faciet niues: & pluuiam imbris dabit eis, singulis herbam in agro. Ita D. Dionysius Areopagita tractans de
z cap.7. Diuinis Nominibus (z) infit, Deus ex rebus omnibus congrua ratione laudatur atque nominatur. Et mox quod addit Aristoteles, Quin & Frugipotens, & Custos vrbium vocitatur, & Natalitius, Septitius, Cortalis, Gentilitius, & Patrius; videlicet a communione, quæ diuino ipsi numini ijs cum rebus intercedit: specimen
a Leuit.26 habet in sacra pagina, vbi legitur, tum (a) Ego Dominus Deus, si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur: Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate. Quod si non feceritis omnia mandata mea: visitabo vos velociter in egestate: frustra seretis sementem: non proferet terra germen, nec arbores
b Deut.11. poma præbebunt. tum, (b) Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra: dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam & serotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum, fœnumque ex agris ad pascenda iumenta, vt & ipsi comedatis ac saturemini: Cauete ne forte decipiatur cor vestrum, & recedatis a Domino, seruiatisque Dijs alienis, & adoretis eos: iratusque Dominus claudat cælum, & pluuiæ non descendant, nec terra det germen suum: ita dicere quid aliud est nisi Deum esse Frugipotentem, vt ait Aristoteles? Qui si vocat eun-
c 126. dem Custodem vrbium; non ne hoc legitur in psalmo? (c) Nisi Dominus custodierit ciuitatem; frustra vigilat qui custodit eam. Sed quod Aristoteli Deus dicitur Natalitius, & Septitius, id videtur indicare Deum esse causam omnium nascentium; & septimæ diei, & anni septimi cultum præcipere; quod in
d Leuit.25 sacra pagina legitur, (d) Locutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens: loquere filijs Israel, & dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizet Sabbatum Domino. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius: septimo autem anno Sabbatum erit terræ requietionis Domini: agrum non seres, & vineam non putabis. Quæ sponte gignet humus, non metes: & vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam: annus enim requietionis terræ est; sed erunt vobis in cibum, tibi & seruo tuo, ancillæ tuæ, & mercenario tuo, & aduenæ qui peregrinetur apud te: iumentis tuis & pecoribus omnia, quæ nascuntur præbebunt cibum. Numerabis tibi quoque septem hebdomadas annorum, idest septies septem, quæ simul faciunt quadraginta nouem: & clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempus in vniuersa
e Gen.2. terra vestra, &c. Multoque prius dixerat Moses, (e) Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septima opus suum, quod

fece-

fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus, vt faceret. Istæ sunt generationes cæli, & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret. Ex eo igitur quod Deus per creationem omnia produxit, atque nasci fecit, siue per dependentiam a se cuncta procreauit, appellatur apte *Natalitius* ab Aristotele; ac ex eo, quod die septimo requieuit ab omni opere suo, & anno septimo requiescere iussit homines e terræ cultura; & diem septimum, annum septimum, septemque septimanas annorum sanctificauit, rectissime dicitur *Septitius*. Quin & Bongus ait, (f) Philosophos numerum septenarium Duci & rectori omnium assimilare. Sed & eidem Bongo (g) *probat D. Ioannes in sua* (h) *Apocalypsi septenario numero Spiritus Sancti gratiam designari; quum enim se vidisse diceret agnum habentem cornua septem, & oculos septem; mox exponendo subiunxit, Qui sunt septem spiritus Dei missi in vniuersam terram; quum tamen sit vnus atque idem spiritus diuidens propria vnicuique prout vult. Sed operatio septenaria vnius spiritus sic appellata est ab eodem spiritu, qui scribenti adfuit, vt septem spiritus dicerentur. Explicauit hoc illustrius Esaias* (i) *propheta, quum de nascituro Domino in carne verba faciens,* [*Requiescet, inquit, super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis;* » *& replebit eum spiritu timoris Domini.*] *Illud etiam referri potest, quod Hestas*

f de num. VII.
g ibid.
h cap. 5.
i cap. 11.

> *Indiuisa manet, partes quia respicit æquas,*
> *Vnanimes quoque reddit eos, quos spiritus implet;*
> *Vel quia septenis discurrunt secla diebus,*
> *Spiritus omnigena monstratur dote replere.*

Sed & in Apocalypsis allata prophetia septenarius numerus vnicuique Diuinæ personæ Triadis assignatur in agno, qui stabat tanquam occisus habens cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram, cornua enim symbolum fortitudinis & potentiæ, quæ Dei Patris proprium est attributum, primam Personam *Septitiam* esse designant: oculi quoque, tessera (k) mentis, & (l) intellectus, siue (m) sapientiæ, quæ Dei Filij genuinum est attributum, secundam Personam *Septitiam* esse satis innuunt: septem spiritus Dei missi in omnem terram, aperte tertiam Personam indicant esse *Septitiam*, quæ septiformis munere, ac nomine Sancti Spiritus adoratur ab Ecclesia. Sic ergo mirifice consentit Orthodoxorum pietati Philosophus, a quo Deus appellatur *Septitius*. Vel etiam *Septitius, & Cortalis* (in quæ duo verba Græcam Aristotelis vocem *Erceios* vertit Budæus) apte dicitur ab Aristotele, quia Deus sit abditus, penetralis, & absconditus, Septusque; quoniam & Esaias ait, (n) *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator.* Quod autem additur ab Aristotele, *Gentilitius, & Patrius Deus vocatur, Homognios, & Patrios*, id satis explicant Gyraldus, & Phurnutus: ille quidem inquiens, (o) *Homognios, Homognius vero Iupiter, idest Gentilis, vel Cognatus, quem fratres, quique eiusdem generis fuerunt, colebant. Meminit Phurnutus, & Arati Græcus interpres, & alij.* Porro tempestate Aristotelis vnus Deus verus dici potuit illa ratione Homognius, siue Gentilis, vel *Gentilitius*, Cogna-

k 1. ethi. c. 6.
l 1. meta. c. 1.
m de sens. & sens. c. 1.
n cap. 45.
o synt. 1.

gnatusque; nam tunc a sola Hebræorum gente colebatur; quum alij dij falsi
colerentur passim a plurimis nationibus, lingua, genere, ac lege plurimum
inter se dissidentibus. Ac vere Deus ipse in sacra pagina semetipsum vocat
frequentissime Deum Israel, Deum populi Iudaici, Deum Abraham, Isaac,
p Gen. 17. & Iacob, qui fuerunt eiusdem generis; nam Deus Abrahæ dixit, (p) *Et sta-
tuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus
suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Daboque tibi &
semini tuo post te terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessio-
q cap. 25. nem æternam; eroque Deus eorum.* & infra ad Iacob, (q) *Ego sum Dominus Deus
r cap. 43. patris tui, & Deus Isaac.* & Ioseph ad fratres, (r) *Deus vester, Deus patris vestri
s Exod. 3. dedit vobis thesauros in saccis vestris.* Vlterius, (s) *Ego sum Deus patris tui,
Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* & mox, *Ait Moyses ad Deum: Ec-
ce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos:
si dixerint mihi, quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Dominus ad Moysen:
Ego sum, qui sum. Ait: sic dices filijs Israel: Qui est, misit me ad vos. Hoc no-
men mihi est in æternum, & hoc memoriale tuum in generatione, & generationem.
Vade, congrega seniores Israel, & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum
apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens,* &c. & mox,
t cap. 5. (t) *Post hæc ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Domi-
nus Deus Israel, dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. At ille re-
spondit: Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Do-
minum, & Israel non dimittam. Dixerunt: Deus Hebræorum vocauit nos vt ea-
mus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro,* &c.
u cap. 6. & adhuc infra, (u) *Ideo dic filijs Israel, Ego Dominus, qui eduxi vos de ergastulo
Aegyptiorum, & etiam de seruitute: ac redimam in brachio excelso & iudicijs ma-
gnis: & assumam vos mihi in populum: & ero vester Deus: & scietis quod ego sum
x cap. 10. Dominus Deus vester.* & mox, (x) *Reuocaueruntque Moysen & Aaron ad Phara-
onem, qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro.* Et ita millies in sacra pa-
gina legitur Deus Hebræorum, adeoque *Gentilitius* eorum. Quod autem
Deus Aristoteli dicitur *Patrius*, id ipsum significat quod Pater, siue Pater-
nus, qui erga homines exerceret imperium Patris, ac Regis; quum dij Gen-
tilium erga mortales exercerent imperium tyrannicum; namque Saturnus,
& alij dij gentium humanas victimas immolari sibi volebant, vt habetur in
y Psal. 105. sacra pagina, (y) *Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ser-
uierunt sculptilibus eorum: & factum est illis in scandalum. Et immolauerunt fi-
lios suos, & filias suas Dæmonijs. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem
filiorum suorum, & filiarum suarum: quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.
Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum: & fornica-
ti sunt in adinuentionibus suis. Et iratus est furore Dominus in populum suum:
& abominatus est hæreditatem suam: & tradidit eos in manus gentium;* quasi
pater nefarios & ingratissimos filios hæreditate priuans; qui a probis filijs,
z Exod. 20 & a populo suo victimas pacificas tantum exoptabat. (z) *Dixitque præterea
Dominus ad Moysen: Hæc dices filijs Israel: vos vidistis quod de cælo locutus sim vo-
bis: Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis. Altare de terra fa-
a cap. 24. cietis mihi: & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra.* & mox, (a) *Immola-*

tis

uerūntque victimas pacificas Domino vitulos duodecim. Recensens enim Phur-
nutus hæc Dei nomina, de quibus Aristoteles, *Patrium* vertit in *Paternum*.
Adiungit Aristoteles alia Dei nomina subdens, *Adhæc Sodalitius, & Amicitiæ*
præses, sua lingua *Etareos te ca philios*, quasi sodalitij iuris disceptator & con-
ditor, vel vt ex Theophilo dicit (*b*) Gyraldus, quod mortalibus iuuans pater *b synt. 2.*
sit; vel propter vtilitatem, quæ ex ipso prouenire putabatur: *Philios*, hoc est,
amicabilis, siue socius, comis, qui est in amicitia, qui partium est alicujus,
amicitiæ præses: nam in sacra pagina legitur, Deus sodalitij iuris conditor
& disceptator, qui primo homini a se formato sociam (*c*) dedit vxorem, cui *c Gen. 2. 3.*
legem dedit vt sub viri potestate foret, & vir vxori dominaretur: legemque
dedit hominibus amoris plenam, ac amicitiæ tesseram, vt quilibet Deum
amaret in toto corde, & diligeret proximum suum, (*d*) *Pharisæi autem audien-* *d Leuit. 19*
tes quod silentium imposuisset Saducæis, conuenerunt in vnum: & interrogauit eum *Matth. 5.*
vnus ex eis legis doctor, tentans eum, Magister, quod est mandatum magnum in lege? *19.24.*
ait illi Iesus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua,
& in tota mente tua: Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem
simile est huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum: in his duobus mandatis vni-
uersa lex pendet, & prophetæ. Sed & inimicos diligere, atque cum illis amici-
tia iungi præcipit Deus; nam apud Matthæum dicit Dominus: (*e*) *Audistis* *e cap. 5.*
quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem
dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perse-
quentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est: qui Solem
suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim dili-
gitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habetis? nonne & Ethnici hoc faciunt?
Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Sic ergo verus
Deus est, vt ait Aristoteles, *Etaræos te ca philios, Sodalitius, & amicitiæ præses*,
qui talia præcipiens hominibus iuuans pater est, vtilia mortalibus afferens,
& amoris, comitatisque plenissima præcepta. Ceterum Aristoteli Deus vo-
catur etiam *Hospitalis Xenios*, quod in eius tutela hospites esse credebantur; *f Virg. 1.*
quod iura daret hospitibus. Profecto verus ille Deus in sacra pagina miri- *Aeneid.*
fice tuetur hospites, eisque iura dare conspicitur; etenim Deus bonum ho-
spitem (*g*) Lothum mirabiliter saluum eduxit de incendio Sodomæ ciuitatis *g Gen. 19.*
nefariæ, quam vniuersam cum ciuibus hospitij iura violare tentantibus
igneo imbre cælitus immisso consumpsit. Et D. Paulus ait, (*h*) *Hospitalita-* *h Hebr. 13.*
tem nolite obliuisci; per hanc enim placuerunt quidam Deo (Abrahamus nempe
Lothusque) *Angelis hospitio receptis*. D. etiam (*i*) Petrus præcipit hospitales *i 1. Canon.*
esse sine murmuratione, Dominusque Redemptor apud D. Matthæum *4.*
Euangelistam in gloriam introducit hospitales; a gloria prorsus excludit in *k cap. 25.*
æternam inferni miseriam illos, quicunque noluerunt hospitales esse pere-
grinorum & pauperum: ideoque Deus appellatur Hospitalis. Quin & ab
Aristotele nuncupatur allato loco *Castrensis, Stratos*, qua dictione non tan-
tum *Castrensis* significatur, sed vt Budæo placuit, etiam *bellicosus*, & Hesy-
chio, *Magnus & hostibus formidabilis*: quod adnotat etiam Scholiastes Aristo-
phanis in Vespis. Quæ omnia nomina summo Deo tribuunt sacræ literæ;
siquidem (*l*) *Iacob abijt in itinere, quod cœperat; fueruntque ei obuiam Angeli Dei;* *l Gen. 32.*

quos

quos quum vidisset, ait, Castra Dei sunt hæc. Et alio in loco, *Dominus enim Deus*
tuus ambulat in loco Castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos, vt sint Ca-
n Exod.14 *stra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* Et alibi (n) *Lo-*
cutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel: Reuersi castra-
metentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum & mare contra Beelsephon:
in conspectu eius Castra ponetis super mare. & mox, *Nolite timere: state; & videte*
magnalia Domini, quæ facturus est hodie: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebi-
tis. & paulo post, *Respiciens Dominus super Castra Aegyptiorum per columnam*
ignis & nubis interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque
in profundum. Dixerunt ergo Aegyptij: fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat
pro eis contra nos. & vlterius, *Liberauitque Dominus in die illa Israel de manu*
Aegyptiorum: & viderunt Aegyptios mortuos super littus maris, & manum ma-
gnam, quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum. Et in-
o cap. 15. fra (o) *Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen eius. Dextera tua Domi-*
ne magnificentia est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum, & in
multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos. Misisti iram tuam, quæ deuora-
uit eos, sicut stipulam. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? ma-
gnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia. Extendisti ma-
num tuam, & deuorauit eos terra. Dux fuisti in misericordia tua populo, quem re-
demisti: & portasti eum in fortitudine tua. Sic ergo Deus recte dictus est ab
Aristotele *Stratios*, hoc est *Castrensis*, bellicosus, magnus, & hostibus formi-
dabilis. Dicitur etiam ab eodem Philosopho Deus *Trophealis*, sua lingua,
p synt. 2. *Tropheuchos*, quod Trophæis præesset, vt ait (p) Gyraldus, & ante illum Bu-
l cant. 4. dæus. Et sane laudans ex Glossa interlineari sacra pagina (l) manum fortem
veri Dei, trophæa videtur illi assignare, dicens, *Sicut turris Dauid collum tuum,*
quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura for-
m Isai. 53. *tium.* Et alibi de eodem, (m) *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet*
spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.
Trophæa namque sunt hostium deuictorum spolia in honorem victoriæ su-
spensa, quæ dicebantur Antiquis opima spolia. Dicitur item ab Aristotele
Deus *expiator catharsios te.* Et quis nostrum ignorat, Christum Dominum,
Agnum Dei pro mundi salute sacrificatum & oblatum fuisse veram expia-
n ibid. tionem peccatorum omnium summo Deo Patri? *Is etenim*, vt ait (n) Esaias,
vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: di-
sciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues
errauimus: vnusquisque in viam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniqui-
tatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Si-
cut ouis ad occisionem ducetur. At etiam dicitur ab Aristotele Deus *Palamnæos*,
qui a Budæo vertitur *Sanguinarius*, hoc est, *vltor homicidarum, & vindex sceleris.*
o Gen. 9 Id autem clare legitur in sacra pagina, qua scriptum est, (o) *Hæc dixit Deus*
ad Noe, & ad filios eius: Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cun-
ctarum bestiarum, & de manu hominis. De manu viri, & de manu fratris eius re-
quiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur san-
guis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo. Dicitur item Deus esse San-
p Exod. 4. guinarius in sacra litera, ob præceptum circumcisionis, (p) *Quumque esset*
in

in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit praeputium filij sui, tetigitque pedes eius, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es: ob circumcisionem. Praeterea dicitur Deus vere sanguinarius, quod verterit omnes aquas Aegypti fluuiorum, paludum, & lacuum in sanguinem: (q) *In hoc scies quod sim Dominus: Ecce percutiam virga, quae in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem.* & mox, *Dixit quoque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Aegypti, & super fluuios eorum, & riuos, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in sanguinem: & sit cruor in omni terra Aegypti, tam in ligneis vasis, quam in saxeis. Feceruntque Moyses & Aaron sicut praeceperat Dominus: & eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone & seruis eius: quae versa est in sanguinem: & pisces, qui erant in flumine, mortui sunt. Computruitque fluuius: & non poterant Aegyptij bibere aquam fluminis: & fuit sanguis in tota terra Aegypti.* Quin etiam vere dicitur Deus esse *Sanguinarius*, qui sanguine liniri (r) iussit portas Hebraorum in Aegypto, & occidit omnia Aegyptiorum primogenita; qua de re legitur testimonium in sacris literis; *Iuxta quem ritum tolletis & hadum: & seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius. Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam; & sument de sanguine eius, ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Atque paulo post addit, *Et transibo per terram Aegypti nocte illa; percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti ab homine vsque ad pecus: & in cunctis Dijs Aegypti faciam iudicia, ego Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in aedibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti: Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno*, &c. Vocatur item Deus *Sanguinarius* ob sanguinem foederis, de quo sic in Exodo, (s) *Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini, & mane consurgens adificauit Altare Domino ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitque iuuenes de filijs Israel, & obtulerunt holocausta: immolaueruntque victimas pacificas Domino vitulos duodecim. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare: Assumensque volumen foederis legit audiente populo. Qui dixerunt, Omnia quae locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes: Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Vocatur etiam Deus *Sanguinarius* ob consecrationem altaris, & Sacerdotum, de qua sic in sacris litteris, (u) *Postquam initiaueris manus* Aaron, & filiorum eius, *applicabis & vitulum coram tabernaculo testimonij: imponentque Aaron & filij eius manus super caput illius, & mactabis eum in conspectu Domini iuxta ostium de conspectu testimonij: sumptumque de sanguine vituli, pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes iuxta basim eius.* & mox. *Vnumquoque arietem sumes, super cuius caput ponent Aaron & filij eius manus: quem cum mactaueris, tolles de sanguine eius, & fundes circa altare.* ac paullo post. *Tolles quoque arietem alterum, super cuius caput Aaron & filij eius ponent manus: quem cum immolaueris sumes de sanguine eius, & pones super extremum auriculae dextrae*

q Exod. 7.
r Exod. 12.
s cap. 24.
u Exod. c. 29.

Aaron & filiorum eius & super pollices manus eorum ac pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum. Cumque tuleris de sanguine, qui est super altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron & vestes eius, & filios & vestimenta eorum consecratisque ipsis, & vestibus, tolles adipem, &c.. Dicitur etiam Deus apte *sanguinarius* ob expiationem peccatorum in sanguine, quo solo placabatur, dum ob peccata iratus erat populo suo; qua de re sic legitur in sacra scriptu-

x Exod.30 ra, (x) *Et deprecabitur Aaron super cornua altaris semel per annum in sanguine, quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris, sanctum*

y cap. 32. *sanctorum erit Domino.* & mox, (y) *Videns autem Moyses populum quod esset nudatus (spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat) & stans in porta castrorum, ait; Si quis est Domini, iungatur mihi: Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui: quibus ait, Haec dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum: ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum: Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi tria millia hominum. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo vt detur vobis benedictio.* Sic igitur Deus optimus, qui solus ab Hebraeis Aristotelis aeuo vera religione colebatur, aptissime nuncupatur Sanguinarius, tum ob vltionem homicidij, tum ob circumcisionem, tum ob aquas Aegypti versas in sanguinem, tum ob sanguinem victimae paschalis, tum ob sanguinem foederis, tum ob sanctificationem sacerdotum in sanguine, tum ob expiationem peccatorum in sanguine.

z de műd. cap.7. Dicitur item ab Aristotele Deus (z) *Supplex, & Placabilis, vt Poeta loquuntur*, nimirum Prophetae, qui sua vaticinia de vero Deo carminibus cecinerunt: prostabant enim Aristotelis aetate libri Prophetarum; quos vt Plato in Aegypto, & ad Chaldaeos digressus necessario vidit, Aristotelem sciendi cupidissimum latuisse prorsus est impossibile: *Icesios, supplex*, pro *icetésios*, *supplicum preces*, siue, vt ait Gyraldus, *deprecabilis, qui supplicum preces audit, & familiaribus miseretur*: quod epithetum Deo summo tribuunt, non solum prophani Poetae, Orpheus in Argonautica, Euripides in Hecuba, & Apollonius:

a cap.3. sed etiam sacri; nam Sophonias ait, (a) *Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno. Vltra flumina Aethiopiae: Inde supplices mei filij dispersorum deferent munus mihi.* Et Moyses

b Deuter.9 infit, (b) *Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, vt fuerat comminatus, & orans dixi. Domine Deus ne disperdas populum tuum, & haereditatem tuam quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Aegypto in manu forti.* Ceterum & apud Machabaeos le-

c lib.2.c.4. gitur, (c) *Alij etiam congregati de domibus confluebant publica supplicatione obsecrantes: pro eo quod in contemptum locus esset venturus. Accinctaeque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant: sed & virgines quae conclusae erant, procurrebant ad Oniam, alij autem ad muros: quaedam vero per fenestras aspiciebant: vniuersae autem protendentes manus in caelum deprecabantur. Erat autem misera commistae multitudinis, & magni Sacerdotis in agonem constituti expectatio. Et hi quidem inuocabant Deum omnipotentem, vt credita sibi his qui crediderant cum omni integritate conseruarentur. Heliodorus autem quod decreuerat, perficiebat, eodem loco*

ipse

ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. Sed Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam, ita vt omnes qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute in dissolutionem & formidinem conuerterentur, &c. & D. Paulus ad Hebræos ait (de Christo ad Deum Patrem preces, & supplicationes faciente) (*d*) *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset saluum illum facere a morte cum clamore valido & lachrymis efferens, exauditus est pro sua reuerentia*. Recte igitur Aristoteli verus Deus dicitur *Icesios, Supplex*, pro *Icesisios*, idest *Supplicum præses, seu deprecabilis, qui supplicum preces audit, & familiaribus miseretur*, vt explicat (*e*) Gyraldus. Quin & ab eodem Philosopho Deus vocatur *Melichius*, quod interpretatur *placabilis, mitis, suauis, tranquillus*; sic recte Plutarchus de cohibenda ira tractans, *Deorum Rex*, inquit, *Melichius quasi mitis & blandus nuncupatur* à placabilitate, quæ maxime principem decet. Hæc epitheta summo Deo tribuunt sacræ litteræ; nam apud Esaiam ita Dominus alloquitur populum suum, (*f*) *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini*, vbi Glossa, *Omnipotens Deus tanquam misericors & miserator matri blãdienti se comparat, vt vos saltem blanditijs alliciat*. Et Psalmista canit, (*g*) *Quoniam tu Domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te*. & in Exodo, (*h*) *Moyses autem orabat Dominum Deum suum dicens, Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Aegypti in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne quæso dicant Aegyptij, callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret e terra: quiescat ira tua; & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cæli, & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum*. & in Leuitico, (*i*) *Si immolaueritis hostiam pro gratiarum actione Domino, vt possit esse placabilis, eodem die comedetis eam, non remanebit quicquam in mane alterius diei, ego Dominus*. Et in psalmis, (*k*) *Laudate nomen eius quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius*. (*l*) *Et tu Domine fac mecum propter nomen tuum, quia suauis est misericordia tua*. (*m*) *Laudate Dominum quia bonus Dominus; psallite nomini eius quoniam suaue*. (*n*) *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt: & iustitia tua exultabunt. Miserator & misericors Dominus patiens & multum misericors. Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius*. & in Sapientiæ libro, (*o*) *O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus?* & mox. *Virtus enim tua, iustitiæ initium est: & ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facit. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas*. Aristoteles igitur sacræ paginæ consentiens Deum vocat Melichium, hoc est placabilem, blandum, mitem, suauem, tranquillum. Nec minus consentit sacris litteris, dum statim addit de Deo Philosophus, (*p*) *Denique Seruator dicitur, & Assertor*, sua lingua *Sotir te ca eleutherios*. & sane *Sotir* a Glossographo vertitur seruator, conseruator, vindex, saluator, liberator; quę singula Dei nomina leguntur apud sacros Autores; nam in Prouerbijs habemus, (*q*) *Si dixeris, Vires non suppetunt: cui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua*. Et apud Dionysium, (*r*) *Præcipua*

d cap. 5.
e synt. 1.
f cap. 66.
g psl. 85.
h cap. 32.
i cap. 22.
k 99.
l 108.
m 134.
n 144.
o cap. 12.
p de mund. c. 7.
q cap. 24.
r de diu. nom. c. 2.

Dei bonitas per iustitiam omnium seruatricem ab his, quæ sub mensuram cadunt, immensitatem ipsam tanquam incomprehensibilem, qua Deum decet prouidentia, segregat. & inferius. (f) *Diuinitas, quæ omnium caussa est, & implet omnia, ac partes consonans vniuersitati conseruat.* & in Psalmis, (t) *Conserua me Domine, quoniam speraui in te: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (u) *Quia Dominus amat iudicium; & non derelinquit sanctos suos; in æternum conseruabuntur.* (x) *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.* & in libro Sapientiæ, (y) *Qui enim conuersus est, non per hoc quod videbat sanabatur, sed per te omnium saluatorem. In hoc autem ostendisti inimicis tuis, quia tu es qui liberas ab omni malo.* & in Ecclesiastico, (z) *Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit a malis.* & in Sapientia, (a) *Quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum?* & apud D. Paulum, (b) *Vindex est Dominus.* & in Psalmis, (c) *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* (d) *Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.* (e) *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium: & digitos meos ad bellum. Misericordia mea, & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus.* & apud Danielem, (f) *Dixit Rex Danieli, Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.* & mox, *Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus, cui tu seruis semper, putasne valuit te liberare a leonibus?* & paullo post, *Darius Rex scripsit vniuersis populis, tribubus, & linguis habitantibus in vniuersa terra. Pax vobis multiplicetur. A me ergo constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio, & regno meo tremiscant, & paueant Deum Danielis. Ipse est enim Deus viuens & æternus in secula: & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum. Ipse liberator atque saluator, faciens signa & mirabilia in cælo & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum.* & in libro Regum, (g) *Dominus petra mea, & robur meum, & saluator meus.* & alibi, (h) *Saluanos Deus saluator noster.* & apud Prophetam, (i) *Ego Dominus Deus tuus sanctus Israel saluator tuus.* & mox, *Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me saluator.* & alibi sæpe. Sic igitur consentit Aristoteles Diuinæ Scripturæ, dum ab eo Deus dicitur *Soter*, hoc est seruator, conseruator, vindex, liberator, & saluator. Eidem etiam mire consentit, dum ab eo dicitur Deus *Eleutherios*, quod a Glossographo vertitur *Assertor*, seu *liberator*, seu *libertatis autor*: vt apud Psalmistam vidimus; & vt est apud Apostolum, (k) *Dominus autem spiritus est: vbi autem spiritus Domini, ibi libertas.* (l) *Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit:* Quod autem addit Aristoteles, *& vt semel omnia complectar, Calestis, & Terrenus: ab omni natura sorteque nomen adeptus, vt pote, qui omnium rerum autor sit:* id totum habemus in sacra pagina; siquidem apud Moysen habemus, (m) *At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis traditi sunt. & dedit ei decimas ex omnibus. Dixit autem Rex Sodomorum ad Abram. Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui respondit ei; Leuo manum meam ad Dominum Deum* ex-

Marginalia: f cap. eod. in f. — t ps. 15. — u ps. 36. — x ps. 40. — y cap. 16. — z cap. 33. — a cap. 12. — b 1. Thess. 4 — c ps. 17. — d ps. 69. — e ps. 143. — f cap. 6. — g 2. Reg. 22. — h 1. Paral. 16. — i Esai. 43. — k 2. Corin. 3. — l Galat. 4. — m Gen. 14.

excelsum possessorem cæli & terræ. & infra, (n) *Dominus Deus cæli, & terræ*. & in Psalmis, (o) *Dum discernit cælestis reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei mons pinguis*. & apud Hieremiam, (*) *Numquid non cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus?* & in Euangelio, (p) *Ego autem dico vobis, non iurate omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius*. (q) *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa*. & apud D. Areopagitam, (r) *Vt trinitatem vero propter superessentialis fecunditatis in suppositis tribus expressionem: ex qua paternitas omnis in cælo & in terra existit atque nominatur. Præterea vt omnium existentium caussam, quoniam omnia per bonitatem eius effectricem essentiæ, vt essent acceperunt*. & mox, (s) *Hac igitur ratione ipsam omnium caussam super omnia existentem, tum priuatio nominum, tum etiam rerum omnium nomina decent. & ex ipsa tanquam caussa, tanquam principio, tanquam fine dependeant. Ipsa, vt scriptum est, omnia sit in omnibus. Quamobrem ex rebus omnibus congrua ratione laudatur atque nominatur*. Addit Aristoteles, (t) *Quapropter quæ de ipso in Orphicis carminibus dicta sunt, haudquaquam perperam dicta sunt*. & quamuis in plerisque græcis exemplaribus ea carmina non legantur; sunt nihilominus in aliquibus, ac speciatim in Lænariano, & in verso ab Apuleio, qui versus illos ita Latinos fecit,

n cap. 24.
o ps. 67.
* c. 23.
p Matth. c. 5.
q cap. 6.
r lib. de diuin. nom. cap. 1.
s ibid.
t de mund. c. 7.

Primus cunctorum est, & Iupiter vltimus idem.
Iupiter & caput & medium est. Sunt ex Ioue cuncta.
Iupiter est terræ basis, & stellantis Olympi.
Iupiter & mas est, estque idem nympha perennis.
Spiritus est cunctis, validusque est Iupiter ignis.
Iupiter est pelagi radix, est Lunaque, Solque.
Cunctorum Rex est, principium, & originis autor.
Namque sinu occultans, dulces in luminis auras
Cuncta tulit, sacro versans sub pectore curas.

Nec tamen Orphei carmina esse scribit Aristoteles, ast (u) alibi dicit ad Orpheum autorem referri, satis innuens ea non esse propria Orphei, vt obseruat alio in loco (x) Philoponus: ceterum cuiuscumque fuerint, ab Aristotele laudantur, tamquam continentia veri Dei laudes, & varias nuncupationes; quæ sane attributa non difficile fuerit in sacra pagina reperire; nam apud D. Areopagitam (y) legimus, *Bonitas ad se conuertit omnia, primaque ipsa bonitas dispersa omnia congregat tanquam vnitas, principium & vnifica Deitas; atque hanc omnia, tanquam principium, tanquam continentiam, tanquam finem, appetunt. Bonumque ipsius est, vt sacra tradunt eloquia, ex quo subsistunt omnia; producta que sunt inde, velut a caussa omnium perfectissima, & in quo omnia constant, tanquam in omnipotente fundamento penitus conseruata: ad quod omnia conuertuntur tanquam ad suum quæque finem, quod videlicet cuncta desiderant*. & mox. *Omnium est principium, vt caussa efficiens, & mouens, & continens vniuersa, pulchritudinis videlicet, & sui ipsius amore: est & finis omnium, cunctisque amabile, tanquam finis, omnia enim pulchri gratia fiunt: exemplaris quoque caussa est: omnia enim per ipsum definiuntur*. & apud D. Ioannem. (f) *Dixit Iesus*. Ego sum *principium, qui & loquor vobis*. & alibi, (g) *Ego sum alpha & omega, principium & finis, aicit* Do-

u 2. de gen. an. cap. 1.
x 1. de an. com. t. 85.
y de diu. nom. c. 4.
f cap. 8.
g Apoc. c. 1

* cap.22. *Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.* & mox, (*) *Ego sum alpha & omega, primus & nouissimus, principium & finis*; quod & multo prius
h cap. 41. dixerat Esaias, (h) *Ego Dominus, primus & nouissimus ego sum.* & mox, (i) *Ego*
i cap. 44. *primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus.* & postea, (k) *Ego ipse, ego*
k cap. 48. *primus, & ego nouissimus Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea*
l 1. 1. c. 16. *mensa est calos.* & in Paralipomen. (l) *Commoueatur a facie Domini omnis terra,*
m ps. 8 *ipse enim fundauit orbem immobilem.* & in Psalmis (m) *Quoniam videbo calos*
n ps. 88. *tuos; Lunam, & stellas, qua tu fundasti.* (n) *Tui sunt cali, tua est terra: orbem*
o ps. 101. *terra, & plenitudinem eius tu fundasti: aquilonem, & mare tu creasti.* (o) *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cali.* Sic ergo Deus in Orphicis, ab Aristotele collaudatis, dicitur *basis, seu fundamentum cali, & terra.* Quin & apud Esaiam Deus vterum prægnantem sibi per metaphoram
p cap. 46. adscribens, femineum sexum induere videtur. (p) *Audite me domus Israel, qui portamini a meo vtero, qui gestamini a mea vulua, vsque ad senectam ego ipse, &*
q ps. 109. *vsque ad canos ego portabo.* Ceterum & apud Psalmistam (q) Deus Pater semetipsum Matrem Dei Filij symbolice dicit, dum ait, *ex vtero ante luciferum genuite*: vterus enim feminæ est. Quare Deus per tropum & mas est, quia vim habet generandi actiuam a se, neceam ab alio recipit: & femina est,
* 1. de gen. quia in semetipso generat; his enim duobus, vt ait Aristoteles (*) alibi, de-
an. c. 2. terminatur mas, atque femina. Quod ait Aristoteles, Deum esse spiritum
r Gen. 1. cunctis, non ne hoc legitur in sacra pagina? (r) *Spiritus Dei ferebatur super*
f num. 16. *aquas,* &c. (f) *Fortissime Deus spirituum vniuersa carnis.* (t) *Quo ibo a spiritu*
t ps. 138. *tuo? & quo a facie tua fugiam? si ascendero in calum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris.*
u Sap. 12. *Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.* (u) O quam bonus, &
x Sap. 1. *suauis est Domine spiritus tuus in omnibus?* (x) *Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Sic igitur cunctis Deus est spiritus. Dicitur etiam ignis
y Exod. 3. a sacra pagina Deus; etenim (y) *Apparuit Moysi Dominus in flamma ignis de me-*
z cap. 19. *dio rubi.* (z) *Totus autem Mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus*
a cap. 24. *super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace.* (a) *Erat autem species gloria Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum*
b Deut. 4. *Israel.* Quia (b) *Dominus tuus ignis consumens est.* Quia (c) *ecce Dominus in*
Paul. ad *igne veniet.* (d) *Et factus est repente de calo sonus, tanquam aduenientis spiritus ve-*
Heb. 12 *hementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes: & apparuerunt illis disper-*
c Isai. 66. *tita lingua tanquam ignis, seditque super singulos eorum; & repleti sunt omnes Spiri-*
d Act. 2. *tu sancto.* Quod addit Aristoteles Deum esse radicem maris, id habetur in
e Exod. 20 sacris litteris; vbi legimus Deum fecisse (e) mare, ac (f) viuificare illud; ra-
ps. 94. dicis enim proprium est, primum emittere de se, parere, atque producere,
f 2. Esdr. 9. germinareque, ac omnino facere plantam per virtutem formatricem sibi insitam a semine; deinde genitam plantam viuificare, eam conseruando per alimentum iugiter illi subministratum; en verba sacra, *Tu ipse Domine solus, tu fecisti calum, & calum calorum, & omnem exercitum eorum: terram, & vniuersa, qua in ea sunt: maria, & omnia, qua in eis sunt: & tu viuificas omnia hac, & exercitus cali te adorat.* Quod insuper Aristoteles Deum vocari scribit nomine Solis, & Lunæ; id exemplum habet etiam in sacra pagina: nam de Deo

di-

dicitur, (g) *In Sole posuit tabernaculum suum*. & Ecclesia, cuius caput est Christus Deus, dicitur (h) *pulchra vt Luna, electa vt Sol*. & (i) *orietur vobis Sol iustitiæ*. & Glossographus explicans benedictionem (k) *de pomis fructuum Solis ac Lunæ*, ait, *Solis, Christi, qui est Sol iustitiæ, qui ait, Fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris, eo quia similes ei erimus. Ac Lunæ, Ecclesiæ*, cuius caput est Christus, *quæ accipit hos fructus a Sole, id est a Christo*. & clarissime apud Iosue, (l) *Tunc locutus est Iosue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis, Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon: Steteruntque Sol & Luna donec vlcisceretur se gens de inimicis suis: nonne scriptum est hoc in libro iustorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei: Non fuit ante & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis*. vocatur autem Deus Sol, & Luna, quia est Solis, & Lunæ autor, & moderator; nam, vt ait (m) D. Areopagita, *Deus in omnibus omnia est*. Quod insuper Aristoteli Deus, *vniuersorum Rex est, Princepsque*. id nos edocet frequentissime sacra pagina, in qua legitur, (n) *Rex meus, & Deus meus*. (o) *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. (p) *Sedebit Dominus Rex in æternum*. (q) *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus*. (r) *Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus terribilis: Rex magnus super omnem terram*. (s) *Regnum tuum regnum omnium seculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem*. (t) *Non est similis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium?* (u) *Vere Deus vester, o Daniel, Deus Deorum est, & Dominus Regum*. (x) *Laudo, & magnifico, & glorifico Regem cæli*. (y) *Et erit Dominus Rex super omnem terram. Quia* (z) *Rex magnus ego, dixit Dominus exercituum*. (a) *Qui Princeps est Regum terræ*. (b) *Dominus Dominorum, & Rex Regum*. Similiter quod ait Aristoteles, Deum esse autorem originis cunctorum, quæ prius in sinu occultauerit; id habemus in Bibliorum sacrorum initio, Deum ex nihilo a semetipso (c) cuncta creasse, quorum ideas alta mente repostas ab æterno habuerit in se reconditas, vt asserunt omnes Theologi. Quod tandem ait Aristoteles Deum versare curas sub sacro pectore; id & ostendit sacra pagina sæpissime Deum introducens summa cum vigilantia curam habere rerum humanarum. Sic igitur carmina Orphica de Deo nunc ab Aristotele laudata mire consentiunt cum sacra scriptura. Ceterum & ea, quæ statim addit Aristoteles e suo penu dicens, *Equidem Necessitatem ipsam etiam nihil aliud quam Deum dici censuerim, & intelligi: cui Anance ex eo nomen est, quod natura quadam sit immobilis*. apud omnes orthodoxos pium dogma legitur, Deum esse immobilem, & (d) immutabilem: nam apud Malachiam legitur, (e) *Ego Deus & non mutor*. & apud Psalmistam, (f) *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Et apud D. Augustinum, (g) *Summum bonum, quo superius non est, Deus est: ac per hoc incommutabile bonum est, & ideo vere æternum, & vere immortale. Cetera omnia bona non nisi ab illo sunt, sed non de illo: de illo enim quod est, hoc est, quod ipse est: ab illo autem quæ facta sunt, non sunt quod ipse. Ac per hoc si solus*

g psal. 18.
h cant. 6.
i Malach. 4
k Deut. 33
l cap. 10.
m de diu. nom.
n psl. 5.
o psl. 23.
p psl. 28.
q psl. 43.
r psl. 46.
s psl. 144.
t Hier. 10.
u Dan. 2.
x cap. 4.
y Zacch. 14
z Malach. 1
a Apoc. 1.
b cap. 17. 19
Paul. 1. ad Tim. 6.
c Gen. 1. & 2. & D. Areop. de diuin. nom.
d D. Areop. de diuin. nom.
D. Th. 1. p. q. 9.
e cap. 3.
f psl. 101.
g de nat. bon. cap. 1. 6.

si solus ipse incommutabilis, omnia quæ fecit, quia ex nihilo fecit, mutabilia sunt. Sed
b Rom. 13 & cum Aristotele D. Paulus Deum dicit Necessitatem, inquiens, (b) *Omnis*
i Sap. 6. *anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim potestas nisi a* (i) *Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris; time: non enim sine caussa gladium portat: Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit: Ideoque Necessitati subditi estote*, hoc est Deo, qui ordinauit Principes ministros suos, quibus imperantibus pareatis. Quod addit Aristoteles de Deo, *eundemque Imarmenon, idest Fatum, dictum a serie rerum conserta, inoffensoque tenore procedente: quod alio nomine Pepromenon ideo appellauerunt, quod ab eo omnia terminata sunt, ac nihil in rerum natura infinitum est*. Scilicet hoc ipsum statuunt aperte D. Thomas, & Areopagita Theologi nostri, consti-
k D. Tho. tuentes (k) Deum ordinare omnia in certum ac determinatum finem; cun-
1. p. q. 23. ctaque prædestinare certo & infallibili ordine suæ prouidentiæ, sine liberta-
per tot. tis humanæ detrimento; (l) *vniuersaque principia, & ordines caussarum deter-*
l D. Areop. *minare: qui sane vniuersis indiuidue præsidens, veluti claustris quibusdam diuersa*
de Diuin. *nectentibus, omnia definit, determinat, atque communit. Quod enim penitus insta-*
nom. *bile, infinitumque & nulla sede firmum indefinitumque fingitur, neque ipsum quidem per se quicquam est, nec existit in aliquo*; vt ait non vno in loco Diuus Areopagita tractans de Diuinis nominibus: est autem prædestinatio in sola mente diuina, vt & præscientia, non autem aliquid in prædestinatis, aut in præ-
m 1. p. q. 23 scitis; quod admonet (m) D. Thomas: quicquid autem in Deo est, ipse Deus
a. 2. est, in quo nulla prorsus compositio, sed mira & summa simplicitas est: hæc
n D. Tho. autem prædestinatio, ac præscientia Dei, quæ falli non (n) potest, etsi non
ibid. ar. 6. lædat arbitrij nostri libertatem, a veteribus, & ab Aristotele nunc appella-
o 1. p. q. 116 tur Fatum, quin & a D. Thoma cui (o) *In quantum omnia, quæ hic aguntur, diui-*
a. 1. *næ prouidentiæ subduntur, tanquam per eam ordinata, & quasi prælocuta, Fatum*
p ar. 2. ad 1. *recte ponitur*. & mox, (p) *Ordinatio caussarum secundarum habet rationem Fati secundum quod dependet a Deo*. Sed & D. Augustinus Aristoteli mire consen-
q 5. de ciu. tiens, ait, (q) obseruatu quoque (r) D. Thomæ, Fatum esse Dei voluntatem,
Dei cap. 1. vel potestatem, quæ disponit ordinem ac seriem caussarum secundarum.
r loc. cit. Quod vlterius de Deo tradit Aristoteles, *Quin & Mœram, idest Sortem, appellatum eundem Deum a partitione rerum dixerim*. Hoc etiam dicunt nostri Theo-
s de Diuin. logi; nam (s) Areopagitæ *Deus est Occulti quantum fas benefica distributio*:
nom. & Salomoni, (t) *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*. Et Psal-
t prou. 16. mistæ, (u) *Ego autem in te speraui Domine, dixi Deus meus es tu: in manibus tuis*
u ps. 30. *sortes meæ*. & sacræ Bibliæ, (x) *Et dixit Saul ad Dominũ Deum Israel Domine Deus*
x 1. Reg. 14 *Israel da indicium, quid est, quod non responderis seruo tuo hodie? si in me, aut in Ionatha filio meo est hæc iniquitas, da ostensionem: aut si hæc est iniquitas in populo tuo* (quem separauerat antea Saul a se & a Ionatha) *da sanctitatem. Et deprehensus est Ionathas & Saul, populus autem exiuit. Et ait Saul, mittite sortem inter me,*
y cap. 1. *& inter Ionathan filium meum. Et captus est Ionathas*, &c. & in Actis, (y) *Et orantes* Apostoli *dixerunt, Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elege-*
ris

vis ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & apostolatus de quo praeuaricatus est Iudas vt abiret in locum suum: & dederunt sortes eis: & cecidit sors super Matthiam; & annumeratus est cum vndecim Apostolis. Quod insuper adijcit Aristoteles appellari Deum & *Nemesim, quasi potestatem diuinam eius quod visum est cuique distributricem*: etsi nomen Nemesis non habeatur in sacra pagina, tamen rem ab eo nomine significatam Deo congruere nos edocent passim (z) sacrae litterae, Theologique nostri colentes potestatem diuinam eius quod sibi visum est cuique distributricem, (a) *Omnis praeuaricatio & inobedientia*, inquit Apostolus, *accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quae quum initium accepisset enarrari per Dominum: ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem*: Quam diuinam potentiam, eius quod sibi visum est, cuique pro meritis distributricem, veteres Nemesim appellauerunt. *Et Adrastiam etiam*, addit Aristoteles, *quasi caussam quandam natura comparatam, quam fallere nemo queat, aut vitare.* scilicet Deum esse caussam quandam primam ab omnibus alijs caussis secundis distinctam natura sua ineuitabilem; quod etenim Aristoteles ait sua lingua, *Adrasteian de, anapodraston etian vsan cataphysin*, non ita fide vertitur a Budaeo, *Et Adrastiam etiam, quasi caussam quandam natura comparatam, quam fallere nemo queat, aut vitare*; sed proprie verti debet, *Adrastiam autem, ineuitabilem caussam existentem secundum naturam.* Porro Deum esse caussam secundum naturam ineuitabilem, & quam fallere nemo possit, aut vitare, passim etiam docent sacrae litterae, licet non vtantur hoc Adrastiae nomine: nam habemus in Prouerbijs, (*) *Qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animae tuae nihil fallit: redditque homini iuxta opera sua.* & in Threnis, (b) *Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es. Operuisti furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti.* & in Sapientia, (c) *Magna sunt enim iudicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatae animae errauerunt. Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctae: vinculis tenebrarum, & longae noctis compediti, inclusi sub tectis fugitiui perpetua prouidentia iacuerunt.* & mox, *Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius occupatus esset: ineffugibilem sustinebat necessitatem.* Subdit Aristoteles Deum *Aesan denique dictum, quasi semper existentem.* & certe Deum esse sempiternum infinities repetunt sacrae paginae. (d) *Benedictus es Domine Deus Israel patris nostri ab aeterno in aeternum.* (e) *Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terrae, non deficiet.* (f) *Dominus autem Deus verus est; ipse Deus viuens, & rex sempiternus.* (g) *Quia tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in aeuum? Domine omnipotens Deus.* (h) *Regnum eius, quia regnum sempiternum.* (i) *Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui: quia potestas eius, potestas sempiterna.* Quod autem addit Aristoteles de fabulamento Parcarum his notis, *Iam quod de Parcis & de fuso proditum est earum, eodem id etiam quodammodo pertinet*: nimirum ad sanum intellectum duci valere, atque ad Deum quoquo pacto referri debere, *Siquidem*, ait, *tres Parcas prisci tria in tempora partiti sunt: filumque fusi partim iam peractum, partim futurum, partim iam intorqueri dixerunt: earum vnam statuentes in eo, quod iam profligatum est;*

z Num. 36. Ps. 77.
a Paul. ad Hebr. 2.
* cap. 24.
b cap. 3.
c cap. 17.
d 1. Paral. 19.
e Isai. 40.
f Iere. 10.
g Baruch 3.
h Dan. 3.
i cap. 4.

quam Atropon ideonuncuparunt, quoniam ea, quæ iam præteriere, retrorsus agi nequeunt: (& vere alibi (k) Philosopus cum Agathone statuit hac sola re Deum
k 6. Eth. c.2. priuari, quod facta reddere nequit infecta) *At Lachesis functio futuris destinata est: omnium enim, quæ secundum naturam sunt, sors sua quodque manet. Præsentibus autem rebus, aut instantibus Clothus opera attributa est, quæ nutu vnicuique conficit, quod suum est. Hocque fabulamentum recte atque ordine compositum est: proinde hac omnia non aliud quicquam, quam Deum esse planum est, vt eximius Plato censuit*. Sane mirifice pietati consensit Aristoteles tum erga homines dum præceptorem Platonem laudans, veluti parentem colit: tum erga Deum dum priscorum gentilium Parcas ait esse fabulamentum a poetis compositum; nec a pietate discedit, dum his fabulis Deum verum significari mouet; nam etiam Theologos Deum venerari fictis nominibus ait Areopagita Christianus agens de Diuinis nominibus in hæc verba, *Inuentes autem vniuersam (vt ita dixerim) sacram Theologorum laudationem ad beneficos summa diuinitatis progressus explanandos laudandosque, appellationes diuinas effingere*. Quod autem ait Aristoteles Platonem censuisse Parcas nihil aliud esse quam Deum, id satis
l 10. de Rep. constat ex eo, quod Plato de Parcis profitetur inquiens, (l) *Alias autem tres Necessitatis filias æquali inuicem interuallo in throno sedere: Parcas vestibus albis, capite coronato: Lachesim, Clotho, Atropon. Quæ ad Sirenem harmoniam canant. Lachesis quidem præterita, præsentia Clotho, Atropos vero futura. Et Clotho quidem cum matre simul intermissione quadam temporis, dextra manu tangentem fusi extimam circumferentiam circumagere; Atropon vero sinistra iterum interiores similiter; Lachesim denique vtraque manu vtrinque tangere*, &c. Nimirum, si liceat hæc ad verum sensum explicare, diuinæ naturæ, quam Necessitatis nomine nuncupauit etiam Aristoteles, tres filias, idest tres formales rationes, quæ sunt ratio caussæ formalis, effectricis, & finalis, æquali inuicem interuallo in throno sedere; quod est habere ius æquale gubernandi mundum vniuersum: esse quidem vestibus albis, ob simplicissimam Dei naturam; & capite coronato, propter potestatem regiam, quam Deus exercet in gubernando mundo sub tribus hisce formalitatibus: ac vt ratio caussæ efficientis, quæ suo effectu
* 12. meta. t.16. (*) prior est, apte Lachesis appellatur, quæ præterita concinit; & Clotho dicitur caussa formalis, quę pręsentia canit, quum forma (†) simul cũ effectu po-
† ibid. natur; & Atropos caussa finalis vocatur, quę vltimo (*) effectui adueniens fu-
* 2. phys. t.23. tura psallit; ita singulæ harmoniã canere dicuntur, quia Deus sub hac triplici caussarum ratione mundum moderatur ineffabili quadam proportione, ac
* cap.1. harmonia: vnde Sapientiæ liber habet, (*) *Quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*. sane Clotho cum matre sine intermissione quadam temporis dicitur dextra manu circumagere fusi extimam circumferentiam, quia natura diuina vt forma mundi sua potestate summa rotat vniuersi sphæram supremam: Atropos vero sinistra manu dicitur circumagere fusi partes interiores; quia diuina natura vt caussa finalis vniuersi singulas mundi partes versare dicitur; quum omnia mundi
m 12. meta. t.53. entia in vnum Deum, velut in finem (m) ordinentur; Lachesis denique vtraque manu fusum vtrinque tangere dicitur & intrinsecus, & extrinsecus, quia Deus sub ratione caussæ effectricis, dextra mundum ab initio condidit vniuersum

uersum

uersum ex nihilo, & conditum finistra moderatur & regit. Quod illico satis
innuit Aristoteles addens, *Enimvero Deus (vt est vetusto verbo proditum) princi-*
pium, & finis, & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille
quidem secundum naturam. Nam Deus vt principium, habet rationem (*n*) ef- *n* 2. phys.
fectricis caussæ; vt finis rerum omnium, finalis; vt media tenens rerum om- t. 28.
nium, formæ vniuersi, quæ media est inter effectricem & finalem caussam, ab
effectrice prodiens, & ad finem tendens; rectaque linea semper incedens sub
vnaquaque formalitatum istarum mundum gubernans; etenim, vt ait Areo-
pagita (*o*) Dionysius, *& rectum quidem motum intelligere decet in Deo indeclinabi-* *o* de diu.
lem potestatem processumque actionum nusquam deflexum, omniumque generationem nom. cap. 9
ex eo constanter effectam: quæ Deus operatur secundum naturam sui, & secun-
dum naturam vniuersi, quod temperat: *E vestigio comitem habens*, vt subdit
Aristoteles, *iustitia præsidem, quam Dicen nominauerunt, diuina legis vindicem, si-*
mul vt quicquam sanctionum eius prætermissum est. cuius rei comprobationem
habeas e sacra pagina, in qua legas, (*p*) *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & po-* *p* Gen. 2.
suit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum: præcepitque ei,
dicens: Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientia boni & mali ne come-
das: In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Quod tandem ait Ari-
stoteles. *Cuius vt sit particeps numinis iam inde oportet ab initio, qui ad vitam bea-*
tam euasurus est, atque felicem. Hoc sane dogma catholicum est, oportere ho-
minem, qui felix ac beatus futurus est in alia vita, iam ab initio mundi per
æternam prædestinationem antiquissimo Dei decreto, ac primordiali præ-
electione participem diuinitatis factum fuisse: vnde D. Paulus sub persona
prædestinatorum ait, (*q*) *Elegit nos Deus Pater in ipso ante mundi constitutionem,* *q* Ephes. 1.
vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate; qui prædestinauit nos
in adoptionem filiorum. Tot igitur nominibus quum Aristoteles appellari
Deum asserat mire consentiens Areopagitæ Dionysio, ceterisque scriptori-
bus orthodoxis; aperte constat ab eo Philosopho Deum vnicum poni; pri-
scosque suæ tempestatis edoceri, si quando pluribus nominibus Deus appel-
latur, ijs omnibus vnum Deum cognominari a varijs eiusdem Dei muneri-
bus, & operibus. Ceterum & hoc idem dogma de Dei vnitate profitetur
multis alijs in locis Aristoteles; nam agens de primo motore immobili vni-
tatem illi assignat inquiens, (*r*) *Si igitur perpetuus motus est, perpetuum erit &* *r* 8. phys.
mouens primum, si vnum est; si vero plura, plura perpetua: vnum autem magis, t. 48.
quam multa; & finita, quam infinita oportet existimare: eisdem enim accidentibus
semper finita magis accipere oportet; in ijs enim, quæ natura sunt, oportet finitum,
& id quod melius est, si contingit, esse magis: sufficiens autem est, etiam si vnum,
quod quum primum immobilium perpetuum sit, erit alijs principium motus. Ma-
nifestum (*s*) *autem est ex hoc, quod necesse est esse aliquid vnum & perpetuum pri-* *s* t. 49.
mum mouens: ostensum est enim quod necesse est semper motum esse: si vero semper,
necesse est & continuum esse; etenim quod semper est, continuum est; quod autem
consequenter est, non est continuum: at vero si continuus est, vnus est; vnus au-
tem, si & ab vno mouente, & vnus sit, quod mouetur: si enim quidpiam aliud &
aliud mouebit; non continues totus motus, sed consequenter erit. & mox. (*t*) *Quare* *t* tex. 52.
si necesse est quidem continue esse motum; esse quid oportet primum mouens immobile,

D 2 *& non*

& non secundum accidens, si futurum est (vt diximus) in ijs, quæ sunt, vt sit incessabilis quidam, & immortalis motus, & manere ens ipsum in seipso & in eodem; principio enim manente, necesse est & omne manere, continuum existens ad principium. Hanc autem vnitatem primi mouentis Dei, quam hic Aristoteles deducit ex æternitate, ac vnitate primi motus, esse numericam vnitatem aperte profitetur alibi Philosophus, dum ex vnitate numerica primi mouentis, ac omnino primi quod quid erat esse, demonstrat vnitatem numericam Vniuersi, dicens,

u 12. meta. t. 49. (u) Quod autem cælum sit vnum, manifestum est: si enim plures sint cæli, vt homines; principium vniuscuiusque erit specie vnum, numero vero multa: at quæcumque multa numero, materiam habent: vna etenim & eadem multorum ratio est, veluti hominis; Socrates vero vnus: ipsum vero quod quid erat esse primum non habet materiam, quum actus sit: vnum ergo tum ratione, tum numero primum mouens immobile ens est; & id igitur quod semper continuoque mouetur: vnum ergo tantum cælum est. Quum igitur Aristoteli mundus ita sit vnus, vt nullo pacto multi-

x 1. cæl. t. 66. & seqq. plex (x) esse valeat; profecto qui talem vnitatem mundi deducit atque demonstrat ex vnitate numerica primi quodquid-est, primique mouentis, ac omnino Dei, Magister vnicum censet esse Deum, respuitque prorsus Deorum

y 1. de gen. com. 38. multitudinem. Immo vero Philosophus ille, qui magni (y) Commentatoris obseruatu nihil vnquam dixit sine forti probatione, veterum opinionem de multitudine Deorum nihilominus a ratione dissentire scribit, quam eorundem placitum de motu æterno violento; dicit enim Arabica translatione

z 2. cæl. t. 6. versus, (z) Quidam enim dicunt quod cælum est æternum, permanentis essentia, quoniam habet animam, & quod anima cogit ipsum vt sit æternum permanens: & iste sermo est impossibilis, quia ista vita impossibile est vt sit sine fatigatione, & sine labore; & impossibile est vt sit laudabilis bona, quia mouet corpus secundum alium motum a suo motu proprio: si ergo est sic, erit semper in negocio, & carens omnino non vexatione, existente ex habenti intellectum; & quum ita fuerit, non habebit non vexationem omnino: neque assimilatur non vexationi animarum animalium in somno; & tunc assimilatur fabula Antiquorum de Equisor, quod est æternum, & semper mouetur violente, sine fine, & sine quiete. Et dico quod sermo illorum de isto motu æterno est sine ratione, sicut sermo eorum de multitudine Deorum; & non oportet nos iudicare res per sermonem dicentes; sed per verum sermonem, & firma ratione. Volumus igitur fugere istos sermones, & fabulas; & reuerti ad narrandum hoc quod remanet de dispositione huius nobilis corporis, scilicet cæli. Damnat igitur Aristoteles opinionem de pluralitate Deorum, tanquam a veritate rationeq; alienam; & profitetur Deum esse singularem & vnicum in mundo. Quam quidem mentem Aristoteli fuisse de summa Dei vnitate, contra ponentes Deorum multitudinem, non solum fatetur Auerroes hoc in loco dicens,

a 2. cæl. com. 6 in f. (a) D. d. & dico quod sermo illorum de isto motu æterno est sine ratione, i. quod hoc, quod dixerunt de hoc ente ipsum esse huiusmodi, est sermo dictus sine ratione; sicut dicebant quod Dij sunt plures sine ratione. Et, quia omnia ista sunt apologi, quos posuerunt ponentes leges ad rectificationem ciuium, a veritate autem sunt valde remota, & ab intellectu humano, dicit, volumus igitur fugere, &c. Verum etiam Ale-

b 8. meta. cō. 14. in f. xander fidus Aristotelis interpres in Metaphysicis inquiens, (b) Quæ vero materia vacant, vt dictum est, ea singula simpliciter, & proprie vnum atque ens sunt

Quo

Quo in loco diuinum huius viri (de Aristotele loquitur) *artificium admirari licet, quo a posterioribus* (*neque enim aliter hoc fieri posset*) *nobisque notis viam ad Deum optimum maximum, ac omnium parentem & conditorem cognoscendum nobis cum ratione aperit, docens, vt faber ærarius caussa est vt æs & globus vnum sit, sic facultatem vnitricem ipsius ac effectricem caussam esse rerum omnium, vt sic habeant, quemadmodum se se habent.* Insuper autem multitudinem Deorum Aristoteles aperte tanquam fabulosam Antiquorum Gentilium opinionem recenset, ac tantum non reprobat, Deum vnicum celebrans, quem in Metaphysicis Mentem vocat, sic asserens, (*c*) *Tradita autem sunt quædam a maioribus nostris, & admodum Antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quod hi* c 12. meta, t. 50.
Dij sunt, vniuersamque naturam Diuinum continet. Cetera vero fabulosa ad multitudinis persuasionem, & ad legum, ac eius quod conferat opportunitatem, iam allata sunt: hominiformes namque, ac aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia consequentia, & similia his, quæ dicta sunt: quorum si quis ipsum solum primum separando accipiat, quod Deos arbitrabantur primas substantias esse, diuine profecto dictum putabit: & (vt verisimile est) sæpius quaque arte, & Philosophia, quoad possibile fuit inuenta, corruptaque rursus, has illorum opiniones, quasi quasdam reliquias, nunc vsque saluatas esse. Quis non videt his Aristotelem aperte fateri Deos Gentilium Ammones, Mercurios, Martes, Mineruas, Panes, Faunos, Osirides, & alios esse fabulosos, & a priscis callidioribus ad ignaram plebeculam in obedientia, & in obsequio legum continendam inductos? ac eos etiam caute reprobare, qui motrices orbium intelligentias infra Deum sitas Deorum nomine donabant? ait enim talium opiniones esse veluti reliquias corruptæ apud Gentes veræ Philosophiæ, nimirum, si placet, Mosaycæ, ac veræ Theologiæ; quam nomine Philosophiæ nuncupat etiam Dionysius Areopagita tractans de Diuinis nominibus, inquiens, *Si enim is est, qui omnino sacris litteris resistat, a Philosophia quoque nostra procul admodum aberit. Atqui nisi curæ illi sit diuina sacrorum eloquiorum sapientia, quonam pacto nobis curæ erit ad Theologicam scientiam hunc adducere?* Ceterum Aristoteles ipse reuera Dei nomen attribuit vni soli menti supremæ, cuius attributa statim aggreditur post prædicta proponere, scribens, (*d*) *Ea vero,* d 12. meta, t. 50.
quæ circa mentem sunt (semper hic de Deo loquitur numero singulari) *quasdam dubitationes habent. videntur enim eorum, quæ apparent, quid diuinissimum esse: quo vero modo se habens, talis erit, difficultates quasdam habet. siue enim nihil intelligat, sed ita se habeat, vt dormiens; quidnam præcellens erit? siue intelligat, huius vero aliud sit principale (non enim id, quod est eius substantia, intellectio erit, sed potentia) profecto non erit optima substantia. Præterea siue mens, siue intellectio eius substantia sit, quid intelligit? aut enim ipsa seipsam, aut aliquid aliud: quod si aliud, aut idem semper, aut aliud. Vtrum autem differt aliquid, an nihil intelligere bonum, vel quodcumque? An vero de quibusdam ipsam etiam & cogitare absurdum est. Manifestum itaque est, quod illud intelligit, quod diuinissimum, honorabilissimumque est; neque mutatur; in deterius namque mutatio fieret, ac motus, quod huiusmodi iam esset. Primo igitur si non est intellectio, sed potentia, rationabile est laboriosam ei continuationem intelligendi esse. Deinde dilucidum, quod aliquid aliud honorabilius esset quam mens, id scilicet quod intelligitur: & intelligere profecto, ac intellectio, &*

quod

quod pessimum intelligenti inerit: Quare fugiendum hoc est; etenim quædam melius est non videre, quam videre; alioquin non fuerit quod optimum intellectio. Seipsam ergo intelligit, si est quidem quod optimum est; & est intellectio intellectionis intellectio &c. Sic igitur Aristoteles ex propria sententia decreuit Deum esse vnam numero mentem, adeo singularem ac simplicem, omnisque multitudinis expertem, vt in ipsa nulla prorsus compositio, pluralitasque reperiatur; quæ mens assidue semetipsam intelligat, nec a suimet intellectione distinguatur hilum; sed in ea vnum & idem prorsus ac omnino sit intellectio, quod intelligit, & quod intelligitur. Verum & qui Dei vnitatem singularem ex eius intellectionis simplicitate colligit in Metaphysicis, eiusdem vnitatem pariter ac singularitatem deducit ex ipsius desiderio simplici dicens in Ethicis,

e 7. Ethic. cap. 14. (e) *Nam si alicuius natura simplex sit, ei semper eadem actio erit iucundissima; atque ideirco Deus semper vna ac simplici gaudet voluptate; neque enim motionis tantum; sed immobilitatis etiam operatio est; magisque in quiete, quam in motu voluptas consistit.* Quam Dei singularitatem vel ex eo dogmate professus est Aristoteles, quod decreuit, Deum sibimetipsi sufficientissimum esse, nec amicis indigere, scribens in hanc sententiam,

f 7. eudem. cap. 15. (f) *Quærat enim forte quispiam, num fer omnia sufficienti amicus sit; quumque vir bonus sufficientissimus, & vna cum virtute beatus, quid habeat opus amico: neque enim vel vtilibus, vel procudis, vel alieno conuictu sufficiens opus habet; quippe qui abunde sibi ipsi conuiuere, adesseque possit; veluti Deus, qui quum nulla re egeat, nec amico etiam opus habet: quocirca & homo beatissimus minime omnium eget amico, nisi quatenus impossibile est ex sese sibi sufficientem esse.* Deus igitur Aristoteli singularis & vnicus est; quia si plures Dij forent, non solum alter alterum intelligeret; adeoque non ideo prorsus esset intelligens & quod intelligitur idem; sed etiam alter alteri foret amicus (quis enim Deum Deo ponat inimicum, aut non amicum?) quod asserere non debemus; quum amicus amico sit vtilis; nec Deo quid vtile possit esse, qui sibimetipsi sufficientissimus est, vt ait Aristoteles hoc in loco. Verum & in Magnis moralibus eamdem sententiam de Dei vnitate

g. lib. 2. cap. 18. ferit Philosophus inquiens, (g) *Quæ igitur in sermonibus consueta capi similitudo ex Deo, neque illic recte, neque hic fuerit vtilis: neque enim si Deus sibi satis, nec vllo indigens, ob hoc etiam nos nullo indigebimus. Est nimirum inctatus de Deo huiusmodi sermo: nam quoniam bona cuncta obtinet Deus, ac sibi satis est, quid faciet? neque enim dormiet: inspiciet aliquid, inquiunt: id namque pulcherrimum, & maxime peculiare: quid igitur inspiciet? nam si quicquam aliud inspiciet, id erit melius: hoc vero absurdum est, vt se quicquam melius habeat Deus. Ipse igitur se se inspicict: at hoc delirum; nam homini, qui se se inspiciat, vt pote attonito, inclamamus. Quid igitur Deus inspiciat, omittamus: neque de eo, quod sibi Deus satis sit, consideremus, sed de homine.* Quæ sane ratio Magistri nulla foret, si plures ille Deos existimasset; nam vnus alium intelligere posset sibi æqualis perfectionis, vt idem semetipsum intelligit se non meliorem: sic duæ intelligentiæ prorsus eiusdem ordinis ac perfectionis intelligunt se inuicem, nullo penitus absurdo inde contingente. Sed hic Aristoteles aperte

h 9. Ethic. cap. 4. supponit Deum vnicum esse, non autem vllo modo multiplicem. Quod & alibi clare decernit inquiens, (h) *Habet enim etiam nunc Deus bonum; sed quum*

sit

Sit ipsi id quodcumque est, &c. Profecto si plures Dij forent Aristoteli, eidem
ipsorum singulus esset id quodcumque est; quæ vero sunt eadem vni tertio,
illa sunt eadem inter se: quare iam vnus & idem Deus est Aristoteli, non
autem sunt plures Dij secundum Aristotelis opinionem. Neque vero nos
turbet, quod ipsemet Aristoteles non raro de Dijs loquitur in numero mul-
titudinis; nam primum quidem ipse (i) docuit, vt paullo antea vidimus, — i de mund. c.7. in f.
Deum varijs nominibus appellari, pro varijs muneribus, & operibus im-
mensæ potestatis suæ; quod & Macrobius etiam obseruauit in Saturnalibus
(k) asserens, tum, *Vnius Dei effectus varios pro varijs censendos esse numinibus*; — k l. 1. c. 17. & seqq.
tum, vel ex Aristot. in Theologumenis omnes Antiquorum Deos ad vnum
Apollinem referri; & idē numen esse, quod Solem appellamus, & quod Bac-
chum, Martem, atq; alijs nominibus: (licet autorem illius operis non Stagi-
ritam, sed alium Arist. existimē, de quo infra (*) suo loco) verum Arist. vero — * lib. 2. c. 4.
Solis nomine Deum vnicum significari, nos olim fuse demonstrauimus, agen-
tes de ortu (l) animæ humanæ, deq; animorū (m) immortalitate, obseruantes — l lib. 1. c. 49
Arist. in (n) Physicis dicentem, *Homo hominem generat, & Sol*; non sibi repugna- — m l. 2. c. 31. & 36.
re, sed hoc suum dogma declarare non solum in (o) Rhetoricis, dum ait,
Quod Deus in anima lumen intellectus accendit; sed etiam in (p) Metaphysicis, — n 2. physi. t. 26.
dum inquit, *Et homo hominem generat; præter hæc item cuncta mouens, tanquam
omnium primum*. Deinde vero Deorum nomine plerumque Philosophus in- — o lib. 3. c. 10
telligit cum vulgo substantias a materia separatas infra Deum, iuxta præce- — p 12. meta. t. 24.
ptum, quo decreuerat (q) olim loquendum esse vt multi loquuntur, sed sen-
tiendum esse longe secus ac sentiat multitudo, *Amplius*, inquit, *determinare — q 2. Top. cap. 2. loc. 5
quæ oportet dicere, vt plures, & quæ non: vtile enim & ad construendum, & ad de-
struendum; vt quod nominationibus quidem res nuncupandum vt plures; quæ autem
sunt, taliane, an non talia, non amplius attendendum ad plures*: cui præcepto pa-
ruit non semel, cum vulgo Deos appellans eos, quos longe infra Dei natu-
ram existimabat; quem aliquando Deorum regem cum multitudine nuncu-
pat, inquiens, (r) *Et Deos ob hoc ipsum putant cuncti regem habere; quoniam & — r 1. polit. cap. 1.
ipsi partim nunc, partim antiquitus sub regibus degebant. Quemadmodum vero for-
mas humanas Dijs attribuunt homines, sic etiam vitas*. Quum tamen ipse longe
secus existimet, Deum vnicum esse, nec habere formam (s) humanam, nec — s 12. meta. t. 50.
vitam humanam degere; sicuti nec alias immateriales mentes, quas cum
vulgo quandoque Deos appellat; ait enim alibi, (t) *Nam perfectam felicita- — t 10. ethic. cap. 8.
tem contemplatiuam quamdam operationem esse, constare vel inde possit, quod Deos
maxime beatos, & felices esse existimamus: nam quales actiones attribuere eis debe-
mus, iustasne? sed ridiculi sane viderentur, si commercia facerent, & deposita red-
derent, atque alia huiusmodi inter se contraherent. Nunquid fortes? vt formidolosa
sustineant, periclitenturque, quia honestum sit? An liberales? sed cui dabunt? ab-
surdum quippe, si etiam ipsis nummum, aut tale quippiam adesse dicamus: nam si tem-
perantes esse eos asseruerimus, quidnam eis fuerit ei essent? quod enim prauas cupiditа-
tes non habeant, molesta atque inuidiosa laus est. Si demum omnia percurramus, quæ
ad actiones attinent, parua, & indigna Dijs esse videbuntur. At viuere Deos, om-
nes existimant; quare etiam operari: non enim, vt de Endymione dicitur, dormire
eos oportet. Ei igitur, qui viuit, & actione, & effectione item magis caret, præter*

con-

contemplationem quid restat? Quare Dei operatio quum beatitudine excellat, contemplatiua erit: & ex humanis ea erit felicissima, quæ huic maxime est cognata: argumento illud est, quod cetera animalia, quæ tali operatione penitus carent, expertia felicitatis quoque sunt. Dijs etiam beata tota vita est; hominibus autem eatenus, quatenus similitudo quædam eiusmodi operationis in ipsis inest. & mox. *At qui ex intellectu operatur, huncque excolit, atque optime afficit, is esse Deo carissimus videtur: nam si aliquam humanarum rerum curam Dij habent, sicut videtur; consentaneum est ipsos re illa, quæ optima est, atque ipsis maxime cognata, delectari, qui est intellectus; eosque, qui eam maxime amant, & honorant, remunerari; vt pote qui eorum, quæ ipsis sunt amica, curam habeant, recteque & honeste agant. Hæc autem omnia sapienti maxime inesse, obscurum non est: is igitur est Deo carissimus: eundemque esse etiam felicissimum, verisimile est: Quare ita quoque efficitur, vt sapiens maxime felix sit.* Vnde satis aperte constat, ab Aristotele tolli e numero Deorum illos, quos Antiqui gentiles Numina sua venerabantur, dormientem Endymionem, venatricem Dianam, venatoremque Pana, bubulcum Apollinem, fabrum Vulcanum, mercatorem furemque Mercurium, militem Martem, textricem Mineruam, incontinentem Iouem, impudicam Venerem, & alios humanas actiones, effectionesque passim exercere dictos: ast vnicum Deum incorporeum posuisse: Deosque plures non vere putasse; verum nuncupauisse cum sapientioribus incorporeas mentes infra Deum, humano intellectui pariter incorporeo congeneas; quas Aristoteles ipse proprio nomine nuncupat Intelligentias, Theologi vero nostri Angelos, ab officio, qui iussu Dei summi curam habent rerum humanarum, & probos homines diligunt. Neque vero, tales Intelligentias Aristoteles passim appellans nomine Deorum, vlla ratione pietatem lædit, quæ vnicum Deum colit: nam & ipse Theologorum cætus Dei nomen frequenter Angelis attribuit, illæsa pietate Deum vnicum adorantes: etenim Deus ille summus proprie, simpliciter, ac per essentiam Deus est; Angeli vero dicuntur Dij communiori vocabulo, per quandam participationem Deitatis, & per comparationem ad

u 1. Cor. 8. naturam humanam: sic in proposito D. Paulus ait, (u) *Scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus nisi vnus: nam etsi sunt qui dicantur Dij, siue in cælo, siue in terra: siquidem sunt Dij multi, & Domini multi: nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo.* Quem locum explicans Glossographus interlinearis ait, *Non falso putatos dico, sed in veritate Dij participatione Deitatis, vt sancti, qui alijs præsunt in terra Apostoli, in cælo Archangeli.* In hanc

x de diu. nom. sententiam Dionysius Areopagita dicebat, (x) *Hactenus vero nostra omnis intellectualis actio se extendit, vt videlicet excogitet, omnem patris ipsius ac filij rationem, ab ipsa ratione patris, filijque prima omnibus eminente, & nobis, & virtutibus supercælestibus esse tributam. Ex qua quidem intellectus diuinam imaginem præferentes, & Dij, & Deorum filij, & Deorum patres fiunt atque nominantur. Dum videlicet id patris, filijque munus spiritaliter vbique peragitur, idest incorporea, immateriali, intelligibili ratione: ipso interim diuino spiritu, quicquid intelligibile, immateriale, diuinum iungitur, excellentissime superante: similiterque patre, atque filio, ab omni diuino patris, filijque officio, eminenter exceptis.* & paullo post allatum locum D. Pauli declarans dedita opera scribit Dionysius, *Præterea ex dei-*

deifico Dei actu, quo vnusquisque pro facultate sua Deiformis euadit, Dij plures efficiuntur. Qua quidem in re videtur, & dicitur Deus ipse vnus discerni quodammodo atque multiplicari. Est autem nihilominus Deus ipse diuinitatis princeps, & diuinitate qualibet essentiaque sublimior, Deus vnus, in distributis inde Dijs non distributus: sed vnitus ipse sibi, nec permistus multis, nec in multiplicatis multiplicatus. Id sane mirabiliter contemplatus communis ille noster, praeceptorisque nostri dux, qui ad diuinam illuminationem nos prouexit, diuinis abundans, & mundi lumen, hac in sanctis litteris sui diuinitus afflatus ait, Si quidem sunt qui dicuntur Dij, vel in caelo, vel in terra, quemadmodum profecto sunt Dij multi, & Domini multi; vnus tamen nobis est Deus pater, ex quo omnia, & nos ad ipsum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Et multo post addit
(*) Areopagita, *Laudare iam decet Deum infinitis nominibus praeditum, vt Sanctum Sanctorum, vt Regem Regum, vt regnantem aeternum & vltra, vt Dominum* * de diu.
Dominorum, Deumque Deorum. & mox. *Sanctos autem, & Reges, & Dominos,* nom. c. 12.
atque Deos sacra littera nominant gradus eos, qui in singulis ordinibus principaliores existunt; per quos deinde sequentes diuina percipientes munera traditionis illorum simplicitatem iuxta suas multiplicant differentias; quorum varietatem illi supremi prouide atque diuine ad suam colligunt vnitatem. Psalmista quoque canens tum,
(y) *Videbitur Deus Deorum in Sion*, a Lyrano glossatur, *idest Sanctorum, & An-* y psal. 83.
gelorum electorum, qui dicuntur Dij participatiue. tum, (z) *Quoniam Deus ma-* z psal. 94.
gnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos, ab eodem explicatur, *idest Sanctos Angelos, & Prophetas Dei amicos, qui in scriptura dicuntur Dij participatiue.* a psal. 134.
tum, (a) *Quia ego cognoui quam magnus est Dominus, & Deus noster prae omnibus Dijs*, ab ipsomet explicatur. *Et accipitur hic Dij participatiue, cuiusmodi sunt Angeli sancti, quibus praeest ipse Deus, tanquam ministris Dominus.* tum denique,
(b) *Confitemini Deo Deorum*, similiter ab ipso declaratur, *idest Angelorum, qui* b psal. 135.
dicuntur Dij participatiue. Sic igitur a vera pietate non desciuit Aristoteles, ast illi prorsus adhaesit, dum vnum Deum asseruit, regem Deorum, Deosque curam habere rerum humanarum; vnum Deum summum proprijssime ac per essentiam Deum colens, regem Deorum minus proprie dictorum, ac per quandam Diuinitatis participationem, & per comparationem ad humanum genus; qui Dij sunt abstractae mentes infra Deum proprio nomine Intelligentiae nuncupatae.

Qua ratione Deum patrem hominum atque Deorum posuerit Aristoteles; & an in Deo Trinitatem agnouerit. Cap. III.

QVum vera Pietas vnum Deum colat Patrem omnipotentem, creatorem caeli & terrae, visibilium omnium & inuisibilium; ab hoc sane dogmate non ita procul abfuisse nostrum Aristotelem, difficile non erit nobis ostendere. Profecto gemina ratio Patris Deo summo conuenire vide- a Matth. 2.
tur: siquidem & in sacrosancta Triade persona Patris est, quae filium gene- 4. 5. 6.
rat proprijssime sibi coaequalem, & consubstantialem: & ipse Deus in rela- Marc. 11.
tione ad creaturas, speciatimque ad homines, dicitur (a) *Pater noster*, qui nos Paul. Rõ. 8

b de diu. nom. adoptauit in filios; & (b) Angeli quoque dicuntur filij Dei; vt vidimus nuper apud Areopagitam. Sane Scaliger audacter admodum fatetur Aristotelem agnouisse Deum ita trinum & vnum, vt foret Pater verbi, & cum Filio

c exer. 365. ar. 3. Spirator tertiæ personæ, scribens hæc ad verbum. (c) *Quanto plenius, & planius diuinus Aristoteles, qui quum Deum vnum atque simplicissimum agnosceret, ita*

d 12. meta. t. 50. (d) *dixit, Deum se se intelligere; idem igitur erit intelligens, & is qui intelligitur; idem inquam, & aqualis; si tamen hoc verbum diffundi potest per vniuersum infinitum: quandoquidem finitarum rerum aqualitas ratio est: sed vti cogimur vocibus tenebrosis ad lucem significandam; generat igitur ex seipso in seipso sui ipsius intellectionem Deus eodem modo eandem & aqualem sibi; quia non intelligit per speciem, sed per suiipsius prasentiam. Videmus igitur quemadmodum ex hac vmbra Philosophi lux ea fulget, cuius lumen ab ipsamet luce, cum ea existens vnum, demissum cælitus elucet nobis. Ergo cum se intellexit bonum, primum, immensum; & intellectionem eiusdem quoque modi; spirat erga ipsam amorem vtrique aqualem, aque reciprocum, sine vllo recursu tamen, ab ipsa intellectione: itaque pro nobis recte mens illa dicta est Prouidentia, & Sapientia. Hac ille vir diuinus quum supra humanum captum apprehendisset, etiam humanam coniunxit naturam cum Deitate. Vt et tandem in diuinis rebus anteferre Platonem desinant ista mancipia pauca lectionis: in primo etenim Politicorum eiusdem generis cum genere nostro Deum ipsum facit; atque eum genuisse nos; & esse patrem nostrum: excellentiore tantum natura esse.* Quamuis autem Aristoteles puro naturæ lumine ductus ad sacrosanctæ Triadis claram notitiam peruenire non potuerit; attamen quum ipse sacras paginas euoluerit, qui librorum suo æuo prostantium auidissimus lector fuit; quique Platonem præceptorem habuerit, non obscuram de Deo Patre, ac Filio men-

e ep. 6. in f. tionem in epistolis habentem, (e) *testando Deum rerum omnium ducem præsentium, & futurarum, ac ducis & caussæ Patrem Dominum: quem si vere philosophemur, cognoscemus aperte omnes, quatenus felicis hominis natura pertingere potest;* quum in sacris litteris passim se se sanctissimæ Triadis offerant legenti testi-

f Genes. 1. monia; vt (f) *In principio creauit Dij cælum & terram.* & mox, *Et vidit Deus quod esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum.* Quibus & in alijs consimilibus locis admonent Scholastici

g mag. sen. 2. d. 1. Lyran. Gloss. interliu. & alij. (g) Theologi, Mosen fidei nostræ præcipua mysteria prædoctum a Deo, voluisse in exordio sui voluminis præiacere veluti semina quædam Christianæ doctrinæ, quam de sanctissima Trinitate credimus; quia per nomen plurale *Elohim*, *Dij*, multitudinem diuinarum personarum; per verbum *Bara*, *creauit* numeri singularis insinuauit vnitatem essentiæ diuinæ; quod etiam apertius indicauit in alio loco tractante de formatione primorum parentum; non est a ratione alienum Aristotelem hanc diuinarum personarum distinctionem vtcumque didicisse a sacris litteris; ac eo magis, si legem hebraicam eum amplexatum fuisse dixerimus; qua de re fusius infra opportuniori loco. Sed nec desunt in eius operibus, quæ veritatem hanc attingere videantur; & vt omittam volumen de Mystica Philosophia, quod Aristote-

h lib. 10. cap. 11. licum esse contendit pluribus Patricius, vbi legimus, (h) *Intellectus agens nobilitat animam rationalem: siquidem quum producat eam, nunquam etiam separatur*

tur ab eadem. utpote immediatus ille: sicut verbo diuino, inter quod & ipsum si foret
medium, desisteret ob distantiam a verbo illo, neque existeret satis perfectum, ad con-
tinendas in essentia cunctas scientias (etenim recō siti sunt in verbo thesauri om-
nes scientiae, ac sapientiae Dei, vt ait (i) Apostolus) *Essentia porro diuina nun-* i Coloss. 2.
quam separatur ullatenus a verbo concepto, sed enim est ens ipsum, quoniam continet
omnem scientiam. In operibus tamen, quae sine dubio cognoscunt Aristote-
lem autorem, nonnulla sunt, in quibus elucescere videntur diuinarum per-
sonarum radij in vno lumine Diuinae naturae. Nam in primis Aristoteles
agens de primo motore immobili, singularitatem illi tribuit & pluralita-
tem, quasi singularitatem naturae, ac pluralitatem personarum, inquiens,
(k) *Si igitur perpetuus motus est, perpetuum erit & mouens primum, si vnum est:* k 2. phys.
sin vero plura, plura perpetua. Vnum autem magis quam multa, & finita quam in- t. 48.
finita oportet existimare. Nimirum ad nostrum propositum, Primum mouens
immobile numen perpetuum est, si vnum est; si vero plura, plura perpetua:
& quum essentia, siue natura sit vnum; personis vero sit plura; proinde neu-
tram partem altera exclusa determinat Aristoteles; potius tamen vnitatem
amplectitur, quod motus, vt & alia opera, quae Theologi nuncupant ad ex-
tra, dicuntur esse indiuisa, & a tota Triade prouenire, quatenus est vna na-
tura Diuina. Et si principia plura quoque rationem habeant in efficiendo
primo motu perpetuo, finita potius, quam infinita sumenda dicit Aristote-
les; primus autem numerus, qui est principium, Ternarius est (l) Aristotele l 1. post.
doctore, ac maxime Deo (m) conueniens; quum definiatur numerus impar t. 70.
primus vtroque modo, qui scilicet neque componitur ex numeris, quod ma- m 1. cal. t. 2
ximam Dei simplicitatem indicare potest; neque mensuratur numero, quod
immensitatem numinis designat. Quam Vnitatis ac Trinitatis ineffabilem
theoriam in Deo ab Aristotelem insinuatam, latius explicuit Athanasius
in Symbolo de Deo praedicans Vnitatem magis quam pluralitatem, *Ita Deus*
Pater, Deus Filius, Deus Spiritus-sanctus; & tamen non tres Dij, sed vnus est Deus.
Si vero pluralitatem personarum attendamus, eas finitas magis quam infini-
tas veneramur, tres inquam, non innumeras, vt caeca Gentilitas, quae prorsus
infinita colebat [illegible]ola. Sed & alio in loco veluti balbutiens de Trinitate Di-
uina sermonem habere videtur Aristoteles inquiens, (n) *Propterea quod ipsa* n loc. cit.
tria omnia sunt, & ipsum ter omniquaque: quemadmodum enim aiunt & Pythagorei,
ipsum omne, & omnia tribus determinata sunt: finis enim, & medium, & princi-
pium numerum habent eum, qui ipsius omnis est: hac autem eum, qui trinitatis est:
Quapropter a natura accipientes tanquam leges illius, & ad sacrificia Deorum hoc
vtimur numero. Nimirum Aristoteles alibi duo pronunciauit de summo Deo
dicens Deum esse id quodcumque est; *Habet enim,* (o) ait, *etiam nunc Deus bo-* o 9. Eth. c. 4
num; sed quum sit ipse id quodcumque est. & esse principium, finem, ac medium
rerum omnium: (p) *Enimuero Deus (vt est vetusto verbo proditum) principium,* p de mund.
& finem, & media rerum omnium tenet. Sane vetusti verbi nomine videtur c. 7.
antiquissimum opus Bibliorum significare Philosophus; nam apud Esaiam
(*) habemus, *Ego Dominus, Primus, & Nouissimus ego sum* & mox. *Ego Primus,* * cap. 41.
& ego Nouissimus, & absque me non est Deus. Quod postea Ioannes in Apocaly- & 44.
psi repetit. *Ego sum Alpha, & Omega, Primus, & Nouissimus, principium, & finis.*

E 2 Porro

Porro si diuinas personas inter se, atque ad res omnes alias comparemus, ternario numero gaudent omnia complectente; nam vt in sacra Triade Pater principium est, a quo generatur Filius, qui Medius est inter Patrem, & Spiritum-sanctum, qui ab vtroque spirante procedens est finis terminans diuinas processiones: ita Pater est proprio attributo principium omnipotentia sua de nihilo producens omnes creaturas: Filius est mediator, de quo Paulus (q) Apostolus, *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus; qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* & ante Paulum Dauid, (r) *Deus autem rex noster ante secula: operatus est salutem in medio terra.* nam Filius assumpto terreno corpore, pro nobis moriens, diuinæque Iustitiæ satisfaciens, nostram salutem attulit. Et antea, (ſ) *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Sed Spiritus-sanctus finis est, quia post Christi assumptionem vltimus missus est in mundum ad Apostolos in salutem hominum: etsi talia mysteria non viderit Aristoteles, nec intellexerit aperte; sub nube tamen in eius verbis vtcumque contineri videntur, dum trinitatem omnia continentem Deo assignat. Ceterum in eodem opere non multo post Aristoteles diuinam Trinitatem apertius nobis insinuauit, dum agens de Deo, quatenus est vniuersi caussa tum efficiens, tum formalis, tum etiam finalis, ait, (t) *Extra cælum autem quod neque est, neque contingit esse corpus ostensum est. Manifestum igitur est quod neque locus, neque vacuum, neque tempus est extrinsecus. Quapropter neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neque tempus ipsa facit senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extima disposita sunt latione, sed inalterabilia, & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam, perseuerant toto æuo: etenim hoc nomen diuine enunciatum est ab Antiquis; finis enim, qui continet vitæ vniuscuiusque tempus, cuius nihil est extra secundum naturam, æuum vniuscuiusque vocatus est. Secundum eamdem autem rationem & totius cæli finis, & finis omne tempus ac infinitatem continens, æuum est, ab eo quod sit semper sumpta denominatione, immortale, & diuinum; vnde & a ijs pendet his quidem exactius, his autem obscurius esse, & viuere. Etenim, quemadmodum in vulgaribus sententijs circa diuina sæpe declaratur rationibus, quod diuinum ipsum intransmutabile esse necesse est omne, primum, ac maxime summum: quod sic se habens, attestatur ijs, quæ dicta sunt; neque enim aliud melius est quod moueat; illud enim esset vtique diuinius, neque habet prauitatem vllam, neque indigens suorum bonorum vllo est.* Profecto diuinum ipsum intransmutabile, primum, & maxime summum; quo aliud melius non est, neque diuinius; quodque nullo suorum bonorum indiget; nec habet prauitatem vllam; a quo pendet alijs rebus omnibus esse, & viuere; quodque vitam habet optimam, & per se sufficientissimam, id inquam diuinum vnus est Deus, & nihil aliud; etenim nullum horum attributorum conuenit vlli menti post Deum sitæ; nam vel prima omnium intelligentiarum infra Deum, non primum absolute Diuinum, ac maxime summum; quum ea prior, ac superior sit ipse Deus; qui est quid illa melius, atque diuinius: eademque suorum bonorum indiget, quæ a summo Deo beatitudinem recipit, ac sui complementum: & in puris naturalibus inspecta capax est prauitatis: nec ab ipsa pendet rebus om-

q 1. Tim. 2. & Hebr. 8. 9. 12.
r ps. 73.
ſ ps. 45.
t 1. cæl. t. 100.

omnibus esse ac viuere; sed a solo Deo, a quo & ipsa dependet: nec ipsa vitam habet optimam; quum ea Deus vitam habeat meliorem: nec eadem obtinet vitam per se sufficientissimam; quum Deo summo indigeat, a quo conseruetur, & beatitudine repleatur: Modo nunc Aristoteles de hoc summo Deo loquens numero multitudinis, dum inquit ea, quæ sunt extra cælum, esse optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam, impassibilia, inalterabilia, &c. clare supponit in simplicissima Dei natura quampiam esse pluralitatem: nam etsi Deus (*u*) Aristoteli sit vnus tum specie, tum nu- *u* 12. meta.
mero; quia tamen Deus idem (*x*) Aristoteli est tum forma vniuersi; tum t. 49.
(*y*) bonum ac finis mundi totius; tum caussa efficiens, conseruans, & bene *x* 1. meta.
(*z*) gubernans omnia mundana cuiusque generis entia: considerata natura su. 2. cap. 2.
Diuina sub ista triplici formalitate, de summo Deo loquitur apte nunc Ari- *y* 12. meta.
stoteles sub numero multitudinis; quoniam ea attributa, quorum in præ- t. 52. &
sentia meminit, conueniunt vni Deo, prout est formaliter trinus, forma seqq.
nempe, finis, & efficiens vniuersi. Et sane quum Theologi nostri diuinas *z* 12. meta.
personas quibusdam attributis appropriatis distinguere videantur, colen- t. 56.
tes Patrem omnipotentem Creatorem cæli, & terræ, tanquam caussam effectricem Mundi; Filium vero Sapientiam Patris; & Spiritum sanctum Bonitatem; Aristoteles, qui Deum esse decernit alibi, tum (*a*) principium, a quo *a* 12. meta.
cælum, & tota natura dependet: tum (*b*) Intellectum in Vniuerso; tum (*c*) bo t. 38.
num Vniuersi; tres diuinas personas in vno Deo nobis adumbrasse quoquo *b* 1. meta.
pacto videtur. Ceterum & alibi hanc trinitatem in vno Deo significasse su. 2. cap. 2.
Philosophum apparet ex ijs, quæ scribit tum asserens, (*d*) *Quare qui vt in* *c* 12. meta.
animalibus, ita in Natura intellectum inesse caussam mundi, totiusque ordinis dixe- t. 52.
rat, quasi sobrius comparatus ad Antiquiores vana dicentes, apparuit: tum dicens, *d* 1. meta.
(*e*) *Est autem anima viuentis corporis caussa, & principium: hæc autem multipliciter* su. 2. cap. 2.
ter dicuntur; attamen anima secundum determinatos modos tres caussa dicitur: et- *e* 2. de an.
enim anima caussa est vnde motus, & cuius caussa, & vt essentia animatorum cor- t. 36.
porum: Quod igitur sit substantia, manifestum est: caussa enim ipsius esse omnibus substantia est: ipsum autem viuere viuentibus esse est: caussa autem, & principium horum, anima. Deus igitur erga mundum se habet vt efficiens, forma, & finis vniuersi: efficiens caussa personam Patris designat, cui tribuitur omnipotentia in creatione mundi: formalis caussa personam Filij representat, de
quo dicitur, *in* (*f*) *ipso vita erat*; & apud Aristotelem, (*g*) a Deo pendere re- *f* Ioan. 1.
bus alijs esse ac viuere; quum proprium formæ sit suo composito dare (*h*) es- *g* 1. cæl.
se, & (*i*) vitam: Caussa vero finalis personam Spiritus Sancti, qui Bonum t. 100.
fuit post Christum Mundo aduentiens; etenim finis ab (*k*) Aristotele defini *h* 2. phys.
tur bonum vltimum: etsi vero personas diuinas ita distincte non agnouerit; t. 28.
ea tamen de Deo scripsit, quæ trinitatem in vnitate non inficiarentur, sed *i* 2. de an.
quodammodo confiterentur. Verum enimvero subtiliori philosophia vi- t. 37.
detur Aristoteles alibi nobis Trinitatem personarum in vnitate simplicis *k* 2. phys.
essentiæ diuinæ significare, dicens, (*l*) *Est aliquid, quod non motum mouet, quod* t. 23.
æternum, & substantia, & actus est. Mouet (*m*) *autem hoc modo: concupiscibile, &* *l* 12. meta.
intelligibile mouet, non motum: horum autem prima eadem sunt: desiderabile namque quod apparet bonum: primum vero voluntate affectabile, quod est bonum: magis t. 35. *m* tex. 36.

vero

n tex. 37. *vero appetimus, quia videtur, quam videtur, quia appetimus. Principium (n) enim intellectio. At intellectus ab intelligibili mouetur. Intelligibile vero alter ordo est, qui per seipsum est: & huius substantia prima, atque huiusce quæ simplex, & secundum actum est. Est autem vnum, & simplex non idem: siquidem vnum significat mensuram, simplex vero quomodo se habeat ipsum. At vero bonum quoque, & quod per se eligibile est in eodem ordine sunt: & semper primum est optimum, aut proportionale. Quod vero cuius gratia in immobilibus sit, ipsa diuisio manifesta: est enim id cuius gratia alicui eorum, quorum hoc quidem est, hoc vero non est: mouet itaque, vt quod amatur; quod mouetur autem, cætera mouet.* Etenim reuera in altero intelligibilium ordine, qui diuersus est ab ordine sensibilium, tanquam in immateriali mundo, qui per seipsum est, substantia prima, quæ simplex est, & vna, & secundum actum, Deus est; cuius tria attributa, mouens, intelligibile, & appetibile bonum, mirifice significant in vna & simplici natura diuina, quæ primus actus est, tres esse personas; etenim mouens Pater est, qui sua omnipotentia cuncta creauit, & creata mouet: intelligibile Verbum est Dei Patris Filius, qui nascitur ex mente fecunda Patris semetipsum contemplantis, talique contemplatione simillimum sibi conceptum generantis: appetibile bonum est Spiritus-Sanctus, qui amor est ex Patre Filioque procedens, dum Pater Filium a se genitum videns esse bonum, ac sibi simillimum, amat dilectio e perfectissima. Quæ mysteria dabo non ita perspecta fuisse Philosopho, sed eum illis consentanea dixisse, dum de diuina natura dissereret, non obscurum est. Præterea vero paullo post ea scrit Aristoteles, quæ sententiam eandem de Trinitate

o tex. 39. in summa Dei vnius simplicitate satis innuant, addens, (o) *Degentia vero, qualis nobis pauco tempore, optima illi est: siquidem ita semper illud est; nobis autem profecto id impossibile est: quoniam & delectatio actus huius est.* & mox. *Ipsa vero intellectio secundum se eius est, quod secundum se optimum est: & quæ maxime est, eius quod maxime est. seipsum vero intellectus intelligit assumptione intelligibilis: intelligibilis namque fit attingens & intelligens, ita vt idem intellectus & intelligibile sit: susceptiuum enim intelligibilis & substantia intellectus est; operatur autem habens. Quare istud magis, quam illud est id diuinum, quod intellectus videtur habere: & speculatio optimum, & maxime delectabile est. Si igitur ita bene se habet Deus semper, vt nos aliquando, admirabile est: quod si magis, adhuc admirabilius est: at ita se habet. Cæterum vita quoque profecto inexistit; siquidem intellectus operatio vita est: ille vero est actus; actus vero per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum, sempiternum optimumque viuens esse. Quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo inest hoc enim Deus est.* Quibus Aristoteles non solum apertissime profitetur Deum vnicum esse, verum etiam in vno Deo Trinas personas vtcunque videtur adumbrare, statuens Deum esse intellectum æterna intellectione optima suiipsius semper beatum; seipsumque semper intelligere sic *assumptione*, seu potius *perceptione* (vtramque siquidem significationem habet vox Græca *Metalepsis*, quam Bessario vertit *assumptionem*) nam vere Deus intelligit seipsum nihil assumens, at solum percipiens intelligibile: dicit inquam Aristoteles Deum sic seipsum intelligere perceptione intelligibilis, vt optimam vitam semper ha-

habeat; quare in Deo ponit intellectum intelligentem, rem intelligibilem & vitam optimam; quæ tria vult eum Deo identificari, ac esse ipsummet Deum: Porro in Deo persona Patris est formaliter intellectus intelligens; qui suimet intellectione producit Verbum, qui est imago substantialis Patris, ac omnino intelligibile idem re cum Patre intelligente: sed persona tertia Spiritus-sanctus apte dicitur Vita; quia vt ait (p) D. Augustinus, & ex eo (q) D. Thomas, *Spiritus-sanctus ex propria significatione dicitur; nam nomen spiritus in rebus corporeis impulsionem quandam & motionem significare videtur: nam flatum & ventum spiritum nominamus*; Flatus autem viuentium perfectiorum dicitur spiritus, respiratio, & vita. Deinde vero Philosopho consentiens (r) D. Thomas ait, *Viuere Dei est eius intelligere: in Deo autem est idem intellectus, & quod intelligitur, & ipsum intelligere eius.* Quod Aristoteles paullo post repetit, ac ratione confirmat apertius, inquiens de mente diuina, (s) *Ea vero, quæ circa mentem sunt, quasdam dubitationes habent: videtur enim eorum, quæ apparent, quid diuinissimum esse: quo vero modo se habens, talis erit, difficultates quasdam habet. Siue enim nihil intelligat, seu ita se habeat, vt dormiens, quidnam præcellens erit? siue intelligat, huius vero aliud sit principale (non enim id, quod est eius substantia intellectio erit, sed potentia) profecto non erit optima substantia: siquidem eo quod intelligit, et honorabilitas inest. Præterea siue mens, siue intellectio eius substantia sit, quid intelligit? aut enim ipsa seipsam, aut aliquid aliud: quod si aliud, aut idem semper, aut aliud. Vtrum autem differt aliquid, an nihil intelligere bonum, vel quodcumque? An vero de quibusdam ipsam etiam cogitare absurdum est. Manifestum itaque est, quod illud intelligit, quod diuinissimum, honorabilissimumque est. Neque mutatur: in deterius namque mutatio fieret, ac motus, quod huiusmodi iam esset. Primo igitur, si non est intellectio, sed potentia, rationabile est laboriosam ei continuationem intelligendi esse. Dein dilucidum, quod aliquid aliud honorabilius esset quam mens, id scilicet quod intelligitur: Et intelligere profecto, ac intellectio, & quod pessimum intelligenti inerit. Quare fugiendum hoc est: etenim quædam melius est non videre, quam videre: alioquin non fuerit quod optimum intellectio. Seipsam ergo intelliget, si est quidem, quod optimum est; & est intellectio intellectionis intellectio. At videtur semper alterius esse, tum scientia, tum sensus, & opinio, ac cogitatio; sui vero ipsius præter necessitatem. Si aliud præterea intelligere, aliud intelligi sit, secundum quod horum inest ei bene esse? quandoquidem non est idem intellectioni esse, & intellecto. An in quibusdam scientia est ipsa res: in effectiuis quidem absque materia substantia, & ipsum quid erat esse; in speculatiuis vero, ratio, res, & intellectio. Quum igitur non sit diuersum id quod intelligitur, & intellectus, quæcumque non habent materiam, idem erunt, ac intellectio vna eius, quod intelligitur.* Ex quibus apertissime constat, Aristotelem decernere, Deum esse vnum, in quo tamen tria sunt, Intelligens, Intellectum, & Intellectio; quæ tria sint vnum inter se, ac idem substantia; adeoque, vt ait D. Thomas, in Deo idem esse intellectum, quod intelligitur, & intellectionem. Quo dogmate Aristotelis, mirifice nobis insinuatur Trinitas personarum in vna essentia simplicissima veri Dei: nam vt intellectus producit Verbum, quod est conceptus mentis; & intellectio procedit ab intellectu simul & ab intelligibili, tanquam ab vno prin-

p 15. de Trin. c. 19.
q 1. p. q. 36. a. 1. C.
r 1. p. q. 18. a. 4.
s 12. metaf. t. 51.

n tex. 37. *vero appetimus, quia videtur, quam videtur, quia appetimus. Principium (n) enim intellectio. Ac intellectus ab intelligibili mouetur. Intelligibile vero alter ordo est, qui per seipsum est: & huius substantia prima, atque huiusce quæ simplex, & secundum actum est. Est autem vnum, & simplex non idem: siquidem vnum significat mensuram, simplex vero quomodo se habeat ipsum. At vero bonum quoque, & quod per se eligibile est in eodem ordine sunt: & semper primum est optimum, aut proportionale. Quod vero cuius gratia in immobilibus sit, ipsa diuisio manifesta: est enim id cuius gratia alicui eorum, quorum hoc quidem est, hoc vero non est: mouet itaque, vt quod amatur; quod mouetur autem, cetera mouet.* Etenim reuera in altero intelligibilium ordine, qui diuersus est ab ordine sensibilium, tanquam in immateriali mundo, qui per seipsum est, substantia prima, quæ simplex est, & vna, & secundum actum, Deus est; cuius tria attributa, mouens, intelligibile, & appetibile bonum, mirifice significant in vna & simplici natura diuina, quæ primus actus est, tres esse personas; etenim mouens Pater est, qui sua omnipotentia cuncta creauit, & creata mouet: intelligibile Verbum est Dei Patris Filius, qui nascitur ex mente fecunda Patris semetipsum contemplantis, talique contemplatione simillimum sibi conceptum generantis: appetibile bonum est Spiritus-Sanctus, qui amor est ex Patre Filioque procedens, dum Pater Filium a se genitum videns esse bonum, ac sibi simillimum, amat dilectione perfectissima. Quæ mysteria dubio non ita perspecta fuisse Philosopho, sed eum illis consentanea dixisse, dum de diuina natura dissereret, non obscurum est. Præterea vero paullo post ea serit Aristoteles, quæ sententiam eandem de Trinitate

o tex. 39. in summa Dei vnius simplicitate satis innuant, addens, (o) *Degentia vero, qualis nobis pauco tempore, optima illi est: siquidem ita semper illud est; nobis autem profecto id impossibile est: quoniam & delectatio actus huius est.* & mox. *Ipsa vero intellectio secundum se eius est, quod secundum se optimum est: & quæ maxime est, eius quod maxime est. Seipsum vero intellectus intelligit assumptione intelligibilis: intelligibilis namque fit attingens & intelligens, ita vt idem intellectus & intelligibile sit: susceptiuum enim intelligibilis & substantia intellectus est; operatur autem, habens. Quare istud magis, quam illud est id diuinum, quod intellectus videtur habere: & speculatio optimum, & maxime delectabile est. Si igitur ita bene se habet Deus semper, vt nos aliquando, admirabile est: quod si magis, adhuc admirabilius est: at ita se habet. Ceterum vita quoque profecto inexistit; siquidem intellectus operatio vita est: ille vero est actus; actus vero per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum, sempiternum optimumque viuens esse. Quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo inest: hoc enim Deus est.* Quibus Aristoteles non solum apertissime profitetur Deum vnicum esse, verum etiam in vno Deo Trinas personas vtcunque videtur adumbrare, statuens Deum esse intellectum æterna intellectione optima suipsius semper beatum; seipsumque semper intelligere sic *assumptione*, seu potius *perceptione* (vtramque siquidem significationem habet vox Græca *Metalepsis*, quam Bessario vertit *assumptionem*) nam vere Deus intelligit seipsum nihil assumens, at solum percipiens intelligibile: dicit inquam Aristoteles Deum sic seipsum intelligere perceptione intelligibilis, vt optimam vitam semper ha-

habeat; quare in Deo ponit intellectum intelligentem, rem intelligibilem & vitam optimam; quæ tria vult cum Deo identificari, ac esse ipsummet Deum: Porro in Deo persona Patris est formaliter intellectus intelligens; qui suimet intellectione producit Verbum, qui est imago substantialis Patris, ac omnino intelligibile idem re cum Patre intelligente: sed persona tertia Spiritus-sanctus apte dicitur Vita; quia vt ait (p) D. Augustinus, & ex eo (q) D. Thomas, *Spiritus-sanctus ex propria significatione dicitur; nam nomen spiritus in rebus corporeis impulsionem quandam & motionem significare videtur: nam flatum & ventum spiritum nominamus*; Flatus autem viuentium perfectiorum dicitur spiritus, respiratio, & vita. Deinde vero Philosopho consentiens (r) D. Thomas ait, *Viuere Dei est eius intelligere: in Deo autem est idem intellectus, & quod intelligitur, & ipsum intelligere eius.* Quod Aristoteles paullo post repetit, ac ratione confirmat apertius, inquiens de mente diuina, (s) *Ea vero, quæ circa mentem sunt, quasdam dubitationes habent: videtur enim eorum, quæ apparent, quid diuinissimum esse: quo vero modo se habens, talis erit, difficultates quasdam habet. Siue enim nihil intelligat, sed ita se habeat, vt dormiens, quidnam præcellens erit? siue intelligat, huius vero aliud sit principale (non enim id, quod est eius substantia intellectio erit, sed potentia) profecto non erit optima substantia: siquidem eo quod intelligit, ei honorabilitas inest. Præterea siue mens, siue intellectio eius substantia sit, quid intelligit? aut enim ipsa seipsam, aut aliquid aliud: quod si aliud, aut idem semper, aut aliud. Vtrum autem differt aliquid, an nihil intelligere bonum, vel quodcumque? An vero de quibusdam ipsam etiam cogitare absurdum est. Manifestum itaque est, quod illud intelligit, quod diuinissimum, honorabilissimumque est. Neque mutatur; in deterius namque mutatio fieret, ac motus, quod huiusmodi iam esset. Primo igitur, si non est intellectio, sed potentia, rationabile est laboriosam ei continuationem intelligendi esse. Deinde dilucidum, quod aliquid aliud honorabilius esset quam mens, id scilicet quod intelligitur: Et intelligere profecto, ac intellectio, & quod pessimum intelligenti inerit. Quare fugiendum hoc est: etenim quædam melius est non videre, quam videre: alioqui non fuerit quod optimum intellectio. Seipsam ergo intelliget, si est quidem, quod optimum est; & est intellectio intellectionis intellectio. At videtur semper alterius esse, tum scientia, tum sensus, & opinio, ac cogitatio; sui vero ipsius præter necessitatem. Si aliud præterea intelligere, aliud intelligi sit, secundum quod horum inest ei bene esse? quandoquidem non est idem intellectionis esse, & intellecto. An in quibusdam scientia est ipsa res: in effectiuis quidem absque materia substantia, & ipsum quid erat esse; in speculatiuis vero, ratio, res, & intellectio. Quum igitur non sit diuersum id quod intelligitur, & intellectus, quæcumque non habent materiam, idem erunt, ac intellectio vna eius, quod intelligitur.* Ex quibus apertissime constat, Aristotelem decernere, Deum esse vnum, in quo tamen tria sunt, Intelligens, Intellectum, & Intellectio; quæ tria sunt vnum inter se, ac idem substantia; adeoque, vt ait D. Thomas, in Deo idem esse intellectum, quod intelligitur, & intellectionem. Quo dogmate Aristotelis, mirifice nobis insinuatur Trinitas personarum in vna essentia simplicissima veri Dei: nam vt intellectus producit Verbum, quod est conceptus mentis; & intellectio procedit ab intellectu simul & ab intelligibili, tanquam ab vno prin-

p 15. de Trin. c. 19.
q 1. p. q. 36. a. 1. C.
r 1. p. q. 18. a. 4.
s 12. metat. t. 51.

principio sui: sic in Deo Pater intelligendo se generat Filium; a quibus vtrisque producitur Spiritus-Sanctus; quæ tres personæ sunt vnum, & idem re, vna, & eadem numero substantia, natura, & essentia diuina; solisque relationibus ad inuicem distinguuntur. Quam sane doctrinam Aristotelis expresse D. Augustinus applicat Sacrosanctæ Trinitati; quod obseruat Pererius nobilis Theologus inquiens, (*) *Denique in lib. de Trinitate, multifariam disputans Augustinus de hac Dei imagine, ad quam factus est homo, docet ea re hominem referre imaginem Sanctæ Trinitatis, quod intelligat seipsum; & intelligendo se producat in corde suo verbum intelligibile sui ipsius expressiuum; & hinc procedat amor: quod mirifice adumbrat duas in Sancta Trinitate processiones, vnam Filij per modum Verbi intelligibilis, alteram Spiritus-Sancti per modum Amoris.* Augustini verba sunt hæc, (*) *An hæc sapientia, quæ Deus dicitur, non se intelligit, non se diligit? ecce ergo Trinitas, Sapientia scilicet, & Notitia sui, & Dilectio sui. Sic enim & in homine inuenimus Trinitatem, idest Mentem, & Notitiam qua se nouit, & Dilectionem qua se diligit. Sed hæc tria ita sunt in homine, vt non ipsa sint homo.* (*) *Nunquid autem possumus dicere Trinitatem sic esse in Deo, vt aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus? Quapropter singulus quisque homo, qui non secundum omnia quæ ad naturam pertinent eius, sed secundum solam mentem imago Dei dicitur, vna persona est; & imago est Trinitatis in mente. Trinitas vero illa, cuius imago est, nihil aliud est tota quam Deus, nihil est aliud tota quam Trinitas: nec aliquid ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat Trinitatem; & tres personæ sunt vnius essentiæ, non sicut singulus quisque homo vna persona.* Quibus mirifice consentiunt, ac prorsus eadem esse videntur, quæ decreuit Aristoteles in loco proposito decernens Deum ita semetipsum semper intelligere, vt idem penitus in eo sit Intellectus, Intelligibile, ac Intellectio. Sic ergo Philosophus in Deo primam rationem Patris naturalis erga Filium suum vnigenitum vtcumque cognouisse videtur. Attamen secundam rationem Patris in Deo satis aperte prospexit, ac professus est; ad quam etiam Plato peruenisse conspicitur in Tymeo ponens Deum esse Patrem Deorum iuniorum; nam Aristoteles inquiens alicubi, (t) *Filiorum autem imperium est regium; quod enim genuit, quodque per amicitiam præest, & per ætatem, id ipsum est idem, quod species quædam regij imperij. Ideo bene Homerus de Ioue inquit, hominum Pater, atque Deorum; sic appellans horum omnium Regem. Natura enim excellere Regem oportet, genere autem esse eundem; quod accidit seniori ad iuniorem, & parenti ad natum:* Nimirum Patrem erga Filios habere se, vt Rex erga subditos, proportione quadam, non identitate relationis; vnde paterna dominatio dicitur species quædam imperij regij; recteque laudatur Homerus constituens Iouem, qui Rex dicitur hominum, atque Deorum, esse eorumdem Patrem. Ceterum Deus hominum Pater ab Aristotele non ideo dicitur hoc in loco, quia sit ipsorum caussa remota & communis; nam ita nihilomagis Deorum, & hominum Pater fuerit ipse Deus, erga quos habere dicitur imperium regium, quam brutorum animalium stirpium & rerum inanimatarum, erga quæ se Deus habet vt caussa remota, & communis, non tamen vt Rex erga subditos, sed vt herus & dominus erga seruos & (u) mancipia. Deus itaque, quem Iouis nomine significat Aristoteles, est hominum Pater atque Deorum, quoniam ab vno & solo Deo

* lib. 4. in Genes. c. 1. ver. 26.

* 15. de Trin. c. 6.

* cap. 7.

t 1. polit. c. 8.

u 12. meta. t. 53.

Deo per simplicem emanationem immediate dependent tum animæ rationales; quæ a suo(x) fine physico, & politico, qui est homines in esse constituere ad mundi complementum, & ad ciuitatem, denominantur homines: tum etiam secundarum Intelligentiarum genus, quæ nuncupantur etiam a Platone Dij iuniores in Timæo. Deus etiam ab Aristotele recte constituitur pater hominum, atque Deorum, quia Deus idem summus est caussa efficiens proxima, tum a qua quotidie generantur homines in vtero matrum per conciliationem animæ rationalis, cuius vnius adeptione fætus fit homo; vt (y) alibi decernit Aristoteles, qui hoc sensu statuit, hominem ab homine gigni, & a (z) Sole, seu ab (a) omnia-mouente, tanquam omnium primo; decernitque rationales animas humanis conceptibus in hominum generatione, non a parentibus mediante semine, nec ab vllo corporali agente prouenire, sed (b) extrinsecus accedere, solasque diuinas esse; quum aliæ animæ fætibus ab eorum parentibus communicentur mediante semine: tum etiam a qua pridem in principio semel per simplicem emanationem fluxerunt omnes Intelligentiæ secundæ, quæ Deorum nomine nunc ab Aristotele donantur. Verum & hanc secundam rationem Patris in Deo ponit Aristoteles alibi decernens Mundum esse veluti magnam quamdam domum, in qua entia cuncta coordinata sunt ad vnum Deum, tanquam ad Patrem-familias; nobiliora quidem, quales sunt homines, & Dij iuniores, siue Intelligentiæ secundæ, veluti liberi; ignobiliora vero, cuiusmodi sunt bruta, stirpes, & inanimata corpora, veluti mancipia, dum ait, (c) *Cuncta autem coordinata quodam modo sunt, verum non similiter & natantia, & volatilia, & plantæ: nec ita se habent, vt sit vllum alteri ad alterum, sed sunt ad quippiam: ad vnum namque coordinata sunt omnia. Verum, quemadmodum in domo liberis quidem minime licet quodcumque facere, sed ea omnia, aut plurima, quæ ordinata sunt: mancipijs vero & bestijs parum, quod ad commune conferat, sed vt plurimum, quodcumque contingit; tale namque principium cuiusque eorum natura est. Dico* (d) *autem pariformiter quod necesse est omnia in discrimen venire: & alia ita sunt, quibus omnia communicant ad vniuersum*. Quin & alibi Deum erga cunctas res mundanas veluti patrem ac genitorem sese habere, docuit Aristoteles inquiens, (e) *Et enim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, cum seruator est Deus, tum vero quæcumque in hoc mundo quoque modo perficiuntur, eorum omnium genitor est*. Quod apertius alio in loco profitetur cum Homero dicens, (f) *Patris enim erga filios societas figuram regni habet, quippe quum patri cura filiorum sit; vnde etiam Homerus Iouem patrem appellat, eo quod regnum paternum imperium esse debet*. Hanc Aristotelis opinionem fuisse testatur etiam Alexander eius Interpres in Metaphysicis afferens, (g) *Quo in loco diuinum viri huius* (de Aristotele loquitur) *artificium admirari licet, quo a posterioribus* (*neque enim aliter hoc fieri posset*) *nobisque notis viam ad Deum Optimum Maximum, ac omnium parentem & conditorem cognoscendum nobis cum ratione aperit*. Sic igitur Aristoteles, qui Deum Patrem æterni Filij nobis vtcumque adumbrauit, esse rerum omnium parentem apertissime significauit.

x 2. de an. t.49.
y 2. de gen. an. cap.3.
z 2. phys. t.26.
a 12. meta. t.24.
b 2. de gen. an. cap.3.
c 12. meta. t.52.
d tex.53.
e de mund. cap.7. init.
f 8. ethic. cap.10.
g 8. meta. com. 14. in f.

F Deum

Deum omnipotentem, ac rerum omnium creatorem quomodo cognouerit Aristoteles. Cap. IV.

QVod autem Aristoteles Deum esse rerum omnium creatorem omnipotentem, multa sunt quæ doceant aperte. Primum enim id constat ex eo, quod asserit hoc solo priuari Deum, quod contradictoria facere non valet; laudans & asserens (a) Agathonis carmina huiusmodi,

a 6. ethic. c.2.

Re namque sola hac ipse priuatur Deus,
Vt facta minime infecta possit reddere.

nam hunc locum D. Thomas explicat de Diuinæ potestatis immensitate, dum ait, (b) *Consilium non est nisi de aliquo contingenti, vt supra habitum est: factum autem, quod est præteritum, non est contingens; quia non contingit ipsum non fieri, idest, quod non sit factum: & ad hoc inducit verbum Agathonis, qui recte dixit quod solo isto posse priuatur Deus, vt scilicet faciat ingenita, idest non facta, quæ sunt facta & hoc recte dixit: necesse est enim quod potestati cuiuslibet caussæ subsit omne illud quod potest contineri sub proprio obiecto virtutis eius; sicut ignis potest calefacere omne calefactibile. Virtus autem Dei, qui est vniuersalis caussa entium, extendit se ad totum ens: vnde solum illud subtrahitur Diuinæ potestati, quod repugnat rationi entis; vt hoc, quod implicat contradictionem; & tale est, quod factum est, non fuisse* factum. In eamdem sententiam hunc locum Aristotelis explicans Eustratius ait, *Tragicus poeta fuit Agatho; cuius hic meminit Aristoteles, quod consentientia cum ipso scripserit; vnde etiam dictum eius laudat: Quia enim, inquit, hæc ita se habent; propterea etiam Agatho recte dixit, adeo necesse esse vt quod iam factum est non possit esse non factum; vt de Deo etiam ipso dicere audeamus, quod licet omnia possit, vt pote omnium caussa, eo solo tamen priuetur, vt quod factum est, facere quin factum sit, nequeat: nam vel Deus est caussa etiam rei factæ; omnium siquidem, tam quæ sunt, quam quæ fuerunt, caussa est: vnde si id, quod factum est, ita tolleret, vt factum non esset; tollere etiam ne ipse esset caussa illius, posset: vel fieri facta non est caussa, caussa omnium non erit; quæ vtraque absurda sunt, fierique nullo modo possunt.* Dein etiam Dei omnipotentiam clare testari videtur Aristoteles, dum eum celebrat omnium genitorem, & vigore valentissimum, asserens, (c) *Etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, tum seruator est Deus, tum vero quæcumque in hoc mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium genitor est.* & mox. *Proinde hæc etiam de Deo sentienda nobis sunt; illo quidem, si vim spectes, valentissimo; si decorem, formosissimo; si vitam, immortali; denique si virtutem, præstantissimo.* Qui enim vi valentissimus est, is dubio procul omnipotens est; etenim qui non potest omnia, valentissimus non est: Qui pariter omnium genitor est, is omnipotens est. At vero Deum similiter esse creatorem cæli & terræ, vt ex eodem Aristotelis dogmate colligitur, ita clarius ex alijs eiusdem locis habetur; in primis enim aliquando dixerat de Deo loquens in relatione ad mundum vniuersum, (d) *Immortale, ac Diuinum; vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obscurius, esse & viuere: etenim quemadmodum in vulgaribus sen-*

b 6.eth.l.2

c de mund. cap.7.

d 1. cæl. t.100.

*sententijs circa diuina sæpe declaratur rationibus, quod diuinum ipsum intransmu-
tabile esse necess. est omne, primum, ac maxime summum: quod sic se habens atte-
statur ijs, quæ dicta sunt: neque enim aliud melius est, quod moueat; illud enim es-
set vtique diuinius; neque habet prauitatem vllam, neque indiget e suorsum bonorum
vllo est.* A quo enim omnibus pendet esse, is omnium creator est Aristoteli,
qui multa ponit ingenerabilia, (*e*) cælum scilicet, (*f*) mundum, (*g*) Intelli- e 1. cæl. t.
gentias, (*h*) materiam primam, & id generis. Alibi quoque decernit, (*i*) *A ta-* 20. & seqq.
li principio tum cælum, tum natura dependet: loquitur autem de tali principio, 12. meta.
quod nupersime dixerat *mouens immobile existens, actu ens, latione circulari pri-* t. 43.
ma mouens, ex necessitate ens, prout necessitas bene est; hoc autem Deus est: cuius vi- f 8. phys. t.
tam immediate describit, addens, (k) *Degentia vero, qualis nobis pauco tempore,* 1. & seqq.
optima illi est; siquidem semper illud est, &c. quæ supra (*l*) latius explicauimus. g 12. meta.
Deum vero rerum omnium ac Vniuersi caussam effectricem; proindeque t. 30.
mundi totius creatorem multo prius asseruit Aristoteles, dum veterum sen- h 1. phys.
tentias expenderet de caussa rerum omnium procreatrice, dicens, (*n*) *Post* t. 82.
hos autem, & huiusmodi principia tanquam non sufficientia, vt entium naturam ge- i 12. meta.
nerarent, rursus ab ipsa veritate, vt diximus, coacti illud, quod sequitur, quæsiuerunt t. 38.
principium: vt enim entia bene se partim habeant, partim fiant, nec ignem fortassis, k 12. meta.
nec terram, nec aliud huiuscemodi quicquam verisimile est caussam esse; nec illos veri- t. 39.
simile est arbitrari: nec rursus casui, & fortunæ tantam attribuere rem probe se ha- l cap. 3.
bet. Quare, qui vt animalibus, ita in Natura intellectum inesse caussam mundi, to- m 1. meta.
tiusque ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad Antiquiores vana dicentes, su. 2. cap. 2
apparuit. Istas autem rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuisse scimus. &
mox: *nam & Anaxagoras, tanquam machina vtitur intellectu ad mundi generatio-
nem.* At vero non omittam euidentissimam de creatore Deo sententiam
Aristotelis, exaratam in epistola Philosophi ad Alexandrum, quæ legitur in
Vita M. Antonij Veri Rom. Imp. scripserat Alexander Aristoteli longissimas
litteras de rebus in India a se visis, & gestis; cui respondet Magister hoc
epistolio; *Aristoteles Philosophus Alexandro Regi Regum, & Domino Dominorum
S. D. Lectis tuis litteris magna me cepit admiratio, ratus partem Deitatis tibi esse;
quem videris, expertusque sis id, quod nulli mortalium videre, experirique contigit:
Quamobrem gratias ago Creatori Vniuersi immensas, eo quod tibi concesserit videre
cuncta mirabilia, & quod nemo valuerit resistere tuæ Maiestati. Beati igitur Prin-
cipes tui, qui se tibi comites præbuere, opemque in tam graui caussa tulere. Vale.*
Huc etiam ea pertinent, quæ scribit ad eundem Alexandrum Aristoteles in
libro de Mundo, dicens, (*n*) *Vniuersa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse,* n cap. 7.
atque coagmentata: etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, tum serua- init.
*tor est Deus, tum vero quæcumque in hoc mundo quoque modo perficiuntur, eorum
omnium genitor est; non sic tamen ipse vt opificis in morem, animalisque lassitudi-
nem sentientis, labore affici possit; vt qui ea facultate vtatur, quæ nulli cedat dif-
ficultati, totius ipse vi facultatis omnia in potestate continet,* &c. Si ergo Deus
Aristoteli est, ex quo, & per quem vniuersa constituta fuerunt, & coagmen-
tata, velut a genitore omnium, quæ rerum natura complectitur, ea produ-
cente non opificis in morem, animalisque in procreanda sobole lassitudinem
sentientis: sique Deus eidem Philosopho in rebus omnibus producendis ea

F 2 fa-

facultate vtitur, qua omnia continet in potestate; iam aperte constat Aristotelem confiteri Deum esse omnipotentem vniuersi mundi creatorem. Sed tamen huiuscemodi rerum omnium creationem a Deo censuit Aristoteles
o 1.p.q.45. ar.3. fortasse factam ab æterno; cuiusmodi fieri potuisse monent cum (o) D. Thoma, Subtilliumque (p) Principe Theologi nostri: Hac tamen in re pietati non
p 2. se. d.1. q.3. repugnasse Philosophum, nec Moysi contradixisse, latius infra (q) patebit suo loco.
q lib.2.c.9.

Dei virtutem infinitam, & naturam immensam innotuisse Aristoteli. Cap. V.

a 1.p.q.7. a.1. INter orthodoxæ fidei dogmata Theologi nostri profitentur Dei virtutem infinitam intensiue, & naturam immensam: ita (a) D. Tho. ex Damaso statuit, (b) *quod Deus est infinitus, & æternus, & incircumscriptibilis*: ita in Concilio
b 1. orth. fid.c.4. (c) Lateranensi *Deus decernitur immensus*: ita (d) D. Thomas ex (e) Hilario,
c sub In 3. c. 1. ex. de sum. Trin. *Deus est immensa virtutis viuens & potens, omne autem immensum est infinitum; ergo virtus diuina est infinita*. Quam veritatem catholicam ab Aristotele cultam fuisse, multa confirmant illius dogmata; sed speciatim deducta ex tri-
d 1.p.q.25 ar.2. plici principio: quorum primum est, Tempus ab æternitate differt in eo, quod Aristoteli tempus est duratio (f) infinita, (g) diuisibilis, in successio-
e 8. de Tri. ne posita, & non tota simul, sed cum (h) ordine partium secundum prius, &
f 3.phys. t. 56.& seqq. posterius: æternitas vero est duratio infinita, tota simul, indiuisibilis, ac fine successione; quum sit (i) finis continens omne tempus, ac infinitatem: vox
8. phys. t.10.11. enim Aristotelis græca *aon*, quæ versa fuit *æuum* a Boethio, melius vertitur *sempiternitas* ab Augyropilo, & *æternitas* a Lexicographo; licet absolute
g 4.phys. t. 96.& seqq. vtramque significationem habeat. Alterum fundamentum est, Deus apud (k) Aristotelem est, atque agit in momento æternitatis supra omnem condi-
h præd. Quant. tionem temporis extra cælum super extima latione degens, vbi non est tempus, vitam sibi sufficientissimam, vnde rebus omnibus tribuit esse, ac viuere:
i 1. cæl. t.100. res autem aliæ a Deo pendentes omnes intra cæli ambitum conclusæ sunt in tempore, & a summo Deo viuere & esse suscipiunt in tempore. Tertium
k loc. cit. fundamentum est, Aristoteli Mundus semper fuit, & semper erit (l) æterno
l 1. cęl. t. 101. & sequentib. tempore; proindeque res omnes in tota duratione mundi sunt infinitæ secundum numerum. Ex his ita philosophari possumus ad mentem Aristotelis, Intellectus simul infinita actu cognoscens est essentiæ, virtutis, operatio-
8. phys.t.1 & seqq. nisque infinitæ intensiue; nam obiectum debet habere ad facultatem cognoscentem debitam proportionem; quæ (m) nulla est inter finitum & in-
m 8. phys. t.15. finitum: Deus autem in momento æternitatis vnico actu simul seipsum intelligit, & in seipso (n) cuncta, quæcumque in tempore in seipsis & fuerunt,
1.cęl.t.64. & sunt, & futura sunt, at Deo simul omnia præsentia sunt, & ad mentem
n Rhet. ad Alex.c.17. Aristotelis vere infinita: igitur Aristoteles censuit Deum esse virtutis, ac potentiæ infinitæ intensiue. Porro Deum nihil posse latere, ac omnia cogno-
& Poet.c.12. scere, nos expresse docuit Aristoteles tum in Rhetorica dicens, Peierantem *latere homines posse, Deos autem non posse*: tum in Poetica scribens, *Deos cuncta in-*

inſpicere. ſatis quidem apud nos conſtat: tum in calce libelli De Mundo, *Deum eſ-
ſe cauſſam; quam nemo fallere poteſt, aut vitare*. Præterea vero Deus Ariſtoteli
eſt omnium ſuprema cauſſa operans quæcumque per (o) intellectum & vo- o 12. meta.
luntatem; quum ſit eſſentialiter (p) intellectus & intellectio: ſed omnia t.36. & ſe-
hucuſque a Deo producta ſunt infinita numero Ariſtoteli ponenti mundum quentib.
ab æterno: Deus igitur Ariſtoteli nouit numero infinita: modo quæ Deus p 12. meta.
ſemel nouit, eorum nunquam obliuiſcitur; quum obliuio ſit a materia; quæ t.39. & ſe-
nulla eſt in Deo: Deus igitur Ariſtoteli ſimul infinita noſcens vim habet in- quentib.
finitam ſimul. Deinceps Ariſtoteli Deus (q) non eſt in tempore, ſed extra q 1. cæl.
cælum, vbi non eſt tempus, in momento æternitatis indiuiſibili ſimul omnia t.100.
videns: at Deo in momento æternitatis cuncta præſentia ſunt; quorum no-
bis in tempore degentibus ſub cælo alia præſentia ſunt, alia præterita fue-
runt infinita, & alia futura ſunt infinita ſecundum Ariſtotelem, cui mundus
eſt vndique perpetuus: ergo Deus Ariſtoteli ſimul cognoſcens infinita vim
habet intellectricem infiniti vigoris. Deinceps numerus numerans abſolu-
te tum infinitus eſt Ariſtoteli, (r) cui definitur infinitum eſſe id, cuius ſecun- r 3. phyſ.
dum quantitatem accipienti ſemper eſt aliquid extra ſuſcipere: tum etiam t.64.
intelligibilis; quum ens omne ſit intelligibile: quamuis numerus omnino
ſeparatus infinitus, quem ponebant antiquiores, ab (ſ) Ariſtotele non re- ſ 11. meta.
cipiatur, nec ſit intelligibilis: quum igitur a Deo cuncta ſint intelligibilia; ſu.4. cap.
profecto Deus omnia, proindeque ſimul intelligens infinita, vim habet in-
tellectricem infiniti vigoris. Præterea vero virtus in momento æternitatis
infinita ſimul actu gubernans eſt neceſſario infinita intenſiue: ſolus Deus
Ariſtoteli in momento (t) æternitatis ſimul actu (u) cuncta, proindeque in- t 1. cæl.
finita gubernat: gubernatio namque ſingularum rerum poteſt conſiderari t.100.
tum prout a Deo primarie prouenit, tum prout in res ipſas recipitur: dubio u 12. meta.
procul a Deo tota ſimul prodit in momento æternitatis (x) extra omnem t.56.
temporis ſucceſſionem; nam agens omne agit prout eſt; Deus autem eſt ſi- x 1. cæl.
mul totus in æternitate, ita vt ſi eſſent omnia ſimul in momento æternitatis, t.100.
quæ infinita numero ſunt tota vniuerſi temporis duratione, Ariſtoteli a Deo
ſimul gubernarentur; at a rebus ipſis diuina gubernatio ſuſcipitur ſecun-
dum temporis ſucceſſionem, in qua ipſæ ſunt, & operantur. Ergo Deus in
momento æternitatis gubernat ſimul actu infinita ſibi præſentia; quamuis
eorum in tempore ſint nobis, & in ſeipſis alia præterita, alia præſentia, &
alia futura. Inſuper cauſſa ſimul infinita actu conſeruans eſt eſſentiæ, vi-
goris, & actionis actu infinitæ intenſiue: Deus Ariſtoteli in momento
(y) æternitatis & ſupra omnem conditionem temporis, atque adeo ſimul y 1. cæl.
(z) conſeruat omnia, proptereaque res actu infinitas: ergo Deus Ariſtoteli t.100.
eſt eſſentiæ, virtutis, & actionis infinitæ intenſiuæ. Amplius id, a quo ſi- z de mũd.
mul actu infinita acquirunt eſſe ac viuere, eſt eſſentiæ, virtutis, & actionis cap.7. init.
infinitæ intenſiue: Deus Ariſtoteli eſt id, a quo ſupra conditionem (a) tem- a 1. cæl.
poris omnem, in momento æternitatis omnia, quæ ponenti mundum ſem- t.100.
piternum infinita ſunt, acquirunt eſſe ac viuere; igitur Ariſtoteli Deus eſt
infinitæ eſſentiæ, virtutis, & operationis intenſiue. Deinde cauſſa ſimul
actu concurrens ad operandum cum infinitis numero cauſſis inferioribus

eſt

est essentiæ, virtutis, & actionis infinitæ intensiue: Deus Aristoteli est caussa
in æternitatis momento quantum sit ratione sui simul concurrens cum om-
nibus caussis secundis, quæ ponenti mundum æternum infinitæ sunt: igitur
Aristoteles arbitratur Deum esse vigoris, essentiæ, ac functionis infinitæ in-
b 1. polit. c.6. tensiue. Deinceps Humana cupiditas Aristotelis (b) decreto appetit infini-
tum: sed Aristoteli Deus est summum bonum, quod (c) omnia, & speciali-
2. polit. c.5 ter homines appetunt naturaliter: igitur Aristoteli Deus est essentia, & bo-
3. ethic. c.2 nitas infinita. Vlterius id, cuius opus est actu totum quid simul infinitum,
c 1. eth. c.1. habet essentiam, vim & operationem intensiue infinitam: sed ex (d) Aristote-
2. de an. le Dei opus est æternitas, quæ est quid totum simul actu infinitum, ad tem-
t.35. poris differentiam, quod est in successione positum, & in potentia (e) solum
12. meta. infinitum: ergo Deus Arist. habet essentiam, vim, & operationem intensiue
t.52. infinitam. Amplius id quod ab infinitis intellectibus infinito tempore, & a
d 2. cæl. seipso per totam æternitatem intelligitur sine vllo fastidio ac satietate, sed
t.17. cum perenni delectatione, est infinitum intelligibile infinitos gradus ha-
e 3. phys. t. bens perfectionis ac entitatis: modo Deus Aristoteli, ponenti mundum
56. & seqq. (f) æternum, & animas (g) immortales, ab infinitis intellectibus, & a seipso
f 8. phys. t. intelligitur infinito tempore, ac per totam (h) æternitatem sine vllo fastidio,
1. & seqq. ac satietate, sed cum perenni delectatione: Deus igitur Aristoteli est infini-
1. cœl. t. 101 tum intelligibile infinitos gradus habens perfectionis ac entitatis. Denique
& seqq. Finis, qui simul mouet infinita agentia ad operandum, seu cuius gratia
g 2. de an. agunt infinita numero agentia, debet esse infinitę bonitatis, virtutis, ac na-
t.21. turæ; secus enim non esset proportio inter finem, & ea quæ ad finem; quum
3. de an. t.6 inter finitum & infinitum (i) nulla proportio reperiatur: Deus Aristoteli est
& seqq. finis, cuius gratia operantur (k) omnia agentia secundum naturam, quæ sibi
12. meta. ponenti mundum æternum sunt infinita numero: sic ergo Deus apud Aristo-
t.16.17. telem est infinitæ essentiæ, virtutis, & operationis, qua in æternitatis mo-
h 12. meta. mento simul actu cuncta, quæ nobis partim præterita sunt, partim præsen-
t.36.51. & tia, & partim futura; Deo vero soli cuncta præsentia, proindeque numero
seqq. infinita cognoscit, gubernat, conseruat, cunctisque tribuit esse ac viuere,
i 8. phys. omnibusque cum caussis secundis concurrit ad operandum, infinitum opus
t.15. habet, & infinitum est appetibile, ac infinitum intelligibile. Quapropter
2. cœl. t.64. Aristoteles consentanea veræ Fidei, ac pietati statuit de infinita essentia,
k 2. de an. virtute, ac operatione Dei.
tex. 34. 35.

Actionem Dei liberam esse, non autem ex necessitate naturæ quomodo nouerit Aristoteles. Cap. VI.

ORthodoxæ Fidei dogma piorum hominum est, Deum non agere ex ne-
cessitate naturæ, sed ex libero suæ voluntatis arbitrio; sic habemus
a ps. 113. apud Psalmistam, (a) *Deus autem noster in cælo, omnia quæcumque voluit, fecit.*
b ps. 134. (b) *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in om-
c 1.p.q.19. nibus abyssis*: & apud D. Thomam, (c) *Dicit Apost. Rom. 12. vt probetis quæ sit
art. 1. voluntas Dei. Quum voluntas intellectum consequatur; oportet in Deo volunta-*

tam

tem esse: quum in eo sit intellectus. & mox. (*d*) *Apost. dicit 1. Thess. 4. Hec est vo-* d art. 2.
luntas Dei, sanctificatio vestra. Quum ad perfectionem voluntatis spectet, vt bonum,
quod quis habet, aliis communicet: hoc diuinam precipue voluntatem decet, vt se. &
alia velit: se vt finem, cetera vero vt ad finem ordinata, id est propter se, quo condecet
eius summam bonitatem alia participare. & infra, (*e*) *Dicit Apost. Ephes. 1. Deus,* e art. 3.
qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sua: quod autem operamur ex con-
silio voluntatis, non ex necessitate volumus: non ergo quicquid Deus vult, ex necessi-
tate vult. & vlterius, (*f*) *Deus quum sit primum agens, per intellectum & vo-* f art. 4.
luntatem cunctis caussare dicendum est. Respondeo dicendum, quod necesse est di-
cere voluntatem Dei esse caussam rerum; & Deum agere per voluntatem, non per
necessitatem natura, vt quidam existimauerunt. & demum, (*g*) *Dicit Am-*
bros. in lib. de (*h*) *Fide, Spiritus sanctus diuidit singulis prout vult; idest, libero* g art. 10.
voluntatis arbitrio non necessitatis obsequio. Deus liberum arbitrium habet respe- h cap. 3.
ctu aliorum a se, qua non necessario vult; respectu sui vero nullam libertatem ha- lib. 2.
bet, quum se necessaria velit. Dicendum, quod liberum arbitrium habemus respe-
ctu eorum, que non necessario volumus, vel naturali instinctu: non enim ad li-
berum arbitrium pertinet quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum:
vnde & alia animalia, qua naturali instinctu mouentur ad aliquid, non dicun-
tur libero arbitrio moueri. Quum igitur Deus ex necessitate suam bonitatem ve-
lit, alia vero non ex necessitate; respectu illorum, qua non ex necessitate vult, liberum
arbitrium habet. Quam veritatem professum fuisse Aristotelem omnes In-
terpretes eius Græci confitentur; Latinorumque alij fatentur, alij negant;
Auerroes ambigere videtur. Qua de re paullo diligentius hic nobis agen- i Poet. cap.
dum est. Porro libertas, vel necessitas agendi refertur per se ad actiones di- 12.
uinas; quæ multiplices enumerantur: rediguntur autem ad duo summa ge- Rhet. ad
nera; nam aliæ sunt immanentes, ac internæ; aliæ transeuntes, ac externæ: Alex. c. 17.
Immanentes actiones Dei, quas *ad intra* Scholastici vocant, illæ sunt, qua- 12. meta.
rum finis primarius, & terminus postremus est intima Dei perfectio, non t. 37. 39. 40.
autem aliquid a Deo diuersum; & huiusmodi duæ sunt, intellectio, qua Deus 51. & seqq.
seipsum, & in seipso alia cuncta cognoscit; & voluntatis actio, qua Deus k 1. cæl.
amat seipsum, & alia cuncta in seipso, & gratia sui: quas actiones Dei t. 100.
(*i*) cognouit Aristoteles. Externæ vero, siue transeuntes Dei actiones, quas 12. meta.
ad extra nuncuparunt, illæ sunt, quarum terminus est aliquid extra Deum; t. 36.
& huiusmodi sunt plures; specie a seinuicem distinctæ; prima est Mundi l de mund.
totius constitutio, ac omnino creatio; quam posuit (*k*) Aristoteles, at non c. 7.
nouam, sed potius ab æterno: secunda est Mundi totius constituti conserua- m 12. meta.
tio in esse; (*l*) Aristoteli nota: tertia est conseruati Mundi mira gubernatio; t. 56.
quæ non latuit (*m*) Aristotelem: quarta est quotidiana rationalium anima- n 2. de gen.
rum infusio corporibus infantium in vtero matrum; de qua pariter agit an. cap. 3.
(*n*) Aristoteles inquiens intellectricem animam non a parentibus indi fætui 3. rhet.
mediante semine; sed extrinsecus aduenire fætui iam alias animæ partes ha- cap. 10.
benti, & organizato: quinta est concursus Dei cum singulis caussis secundis o 1. cæl.
ad singulos earum effectus producendos; de qua tractauit etiam (*o*) Aristo- t. 100.
teles. Hæ Dei actiones ita se se habent ad inuicem, vt internæ sint externa- 1. meteor.
rum caussæ, adeo vt quicquid Deus agit *ad extra*, id omne per intellectum c. 2.

ac voluntatem operetur; nempe sciens optime quid agat, & volens agere quod efficit, siue cum caussis secundis ad operandum concurrat, siue per se rationales animas corporibus infundat, siue mundum gubernet, siue conseruet, siue constituat: Quin & internæ Dei actiones se se mutuo comitantur; quia nihil intelligit Deus in se, quod non voluntate prosequatur; & vicissim nihil voluntate prosequitur, quod non intelligat. Quare actiones illę interiores apte dici poterunt primarię, & communes; hę vero exteriores secundarię, & particulares. His ita se habentibus, quemadmodum certo constat ex (p) Aristotele Dei cognitionem nihil subterfugere posse, sed illi cuncta esse perspectissima: vt inquam Aristoteli Deus absque vlla mentis deceptione distincte intelligit quodcumque operatur; ita libere, ac sine vlla voluntatis violentia operatur quodcumque agit. Ceterum hæc distinctius explicanda sunt ad voluntatis libertatem attinentia. (q) Simplicius, & eius testimonio Alexander, admonet duplicem esse necessitatem operandi, & duplicem itidem libertatem; necessitatem alteram ait esse violentiam, & coactionem quandam, qua vrgentur etiam mali ob legem non errare; aliam esse necessitatem Diuiniorem, qua necesse est Deum esse bonum, & mentes a materia separatas non inquinari vitijs: similiter libertatem aliam esse ambiguam ad vtrumque efficiendum, bonum scilicet, ac malum; qua libertate donantur homines: aliam esse libertatem determinatam ad bonum: Quare Deum agere ex necessitate Diuiniori citra violentiam, & coactionem, & libere libertate ad vnum determinata, quia semper bonum efficit. Quæ doctrina vt proxime ad veritatem accedit, ita eam penitus non attingit; quia in plerisque functionibus voluntas Dei non ita est ad vnum determinata; quia Deus nunc infundens hanc animam huic corpori non ita determinate agit, quin eandem animam & potuerit antea infudisse, & possit postea infundere corpori suo; & aliam nunc potius, quam hanc infundere proprio corpori. Quare distinctius adhuc est agendum de necessitate, ac libertate. Profecto necessitas (r) Aristoteli multiplex est; alia nimirum ex suppositione finis, & alia est absoluta: Necessitas ex suppositione finis itidem duplex est, alia quidem ex suppositione finis facta ab ipsomet agente; quæ necessitas cum libertate iuncta est; vt si homo sibi proponat alios e cathedra docere, necesse eum præmeditari; quum tamen libere doceat, & præmeditetur dicenda: alia vero necessitas est ex suppositione finis ab alio facta; quæ est necessitas non libera; vt serra, qua quis sibi proponit ligna diuidere, necessario debet esse ferrea & dentata. Verum necessitas absoluta pariter est duplex, alia est sine cognitione, alia cognoscens: necessitas ignara est vt in igne, secundum quam ignis dicitur necessario calefacere, licet ignis non cognoscat se calefacere; quę necessitas nec libera est, quia cognitioni iuncta non est; nec violenta est, quia ignis ab interno principio calefacit; violentum enim ab (s) externo principio est. Necessitas vero cognitioni iuncta duplex est etiam; alia nempe violenta, siue coacta; qualis est qua quis a satellitibus tractus necessario tendit in carcerem: alia eminens, ac perfecta, quæ dicitur necessitas constantiæ, seu immutabilitatis; quæ necessitas libertatem non adimit, & Deo ab Aristotele tribuitur, dum ait, (t) *Quum autem aliquid*

p Rhet. ad Alc. 17. Poet. c. 12. de Mund. cap. 7.
q 5. phys. com. 15.
r 2. phys. t. 87. & seqq.
s 3. eth. c. 1.
t 12. meta. t. 38.

quid sit mouens, ipsum immobile existens, actu ens, hoc nullo modo contingit aliter se habere: latio nanque prima mutationum est: huius autem, quæ circularis est: hoc autem illud mouet. Ex necessitate itaque est ens: & prout necessitas bene est; & sic principium. Necessarium nanque toties dicitur; quoddam vi, quia præter inclinationem: quoddam, sine quo non bene esset: quoddam, quod non aliter contingit se habere; sed simpliciter est: a tali ergo principio tum cælum, tum natura dependet. Sic igitur Aristoteles Deo tribuit necessitatem perfectiorem, quæ libertatem non adimit. Libertas etiam multiplex est; etenim alia est indeterminata, & indifferens ad contraria; qualis est in homine, qui libere ambulat, & loquitur, quoniam ad arbitrium potest ambulare, & non ambulare; loqui, & tacere: alia est determinata ad vnum oppositorum: quæ subdiuiditur in duplicem; nam alia est mutabilis; alia immutabilis; libertas determinata mutabilis est in homine iusto, qui dum iuste agit, libere agit, sed tamen necessario agit determinate bonum; attamen hæc libertas determinata mutabilis est, quia iustus homo potest amittere habitum iustitiæ, ac euadere iniustus: Libertas autem determinata immutabilis est in Deo, & in quanis mente separata, quę bonum determinate operatur immutabiliter; libere quidem, quia si posset bonum non agere, tamen bonum semper ageret. Distinctio quoque adhibenda est Dei actionibus; etenim aliæ sunt Dei perfectiones essentiales, vt actiones *ad intra* nuncupatæ, nimirum intelligere, ac velle Diuinum, quo Deus contemplatur, & amat seipsum: aliæ sunt perfectiones eorum, quæ Deus operatur extra se, proindeque actiones *ad extra* vocatæ a Scholasticis, vt constitutio mundi, gubernatio vniuersi, & aliæ Dei functiones exteriores, quas supra recensuimus. Quibus ita præmissis, has ex Aristotele sententias in proposito decernimus. Primo Deus nihil agit necessitate ignara; quum Deus (*u*) omnia cognoscat; & quicquid agit per (*x*) intellectum agat, ad inanimorum differentiam. Dein Deus Aristoteli nihil agit necessitate violenta, & coacta; tum quia nihil imperfectum poni potest in Deo; tum quia Deus a nullo potest cogi, aut violentiam pati; quum nihil sit Deo (*y*) validius; tum quia Deo Philosophus apertis verbis adimit necessitatem (*z*) violentiæ, vt nuper vidimus. Deinde Deus internas sui functiones edit ex necessitate perfecta, & eminenti, seu ex necessitate constantiæ, ac immutabilitatis, quæ non destruit libertatem agentis: quod ibidem docet Aristoteles; & ex eo deducitur paullo post decernente, (*a*) Deum essentialiter esse intellectum, intellectionem, & intelligibile; voluntatem, amorem, & summum bonum; quare Deus necessario semper intelligit, & amat seipsum, & in seipso omnia, quorum est autor, & caussa. Deinceps Aristoteli Deus mundum (*b*) condidit (siue ab æterno, siue in principio temporis; hoc enim problema (*c*) neutrum existimauit, vt (*d*) infra latius apparebit) non ex necessitate naturæ, quæ violentiam ingerat & libertatem tollat; sed ex necessitate, prout necessitas bene est, vt ait (*e*) ipse, disertis verbis asserens, vt vidimus, cælum & naturam pendere a tali principio, quod est primum mouens immobile, ex necessitate ens, prout necessitas bene est, non autem prout dicit violentiam: Libere vero Deus mundum condidit: quia quum Aristotele doctore caussa efficiens (*f*) præcedat effe-

u Poet. cap. 12.
3. Rhet. ad Alex. c. 17.
x 12. meta. t. 39. & 10. ethic. c. 7. & 8.
y de mund. c. 7.
z 12. meta. t. 38.
a 12. meta. t. 39. & 51.
b 1. cæl. t. 33. & 100. 12. meta. t. 38.
de mund. cap. 7.
c 1. top. c. 9.
d lib. 2. c. 9.
e 12. meta. t. 38.
f 12. meta. t. 16. 17.

ctum suum, alias quidem tempore, alias vero natura: Deus in illa prioritate, seu temporis, seu naturæ, libere proposuit sibi mundum condendum esse tunc, quando ipsum condidit. Vlterius Deus Aristoteli conseruat vniuersum, & res immateriales, & quas ipse retur æternas, ex necessitate constantiæ, siue immutabilitatis; non autem ex necessitate violenta; sed libere, libertate determinata; quod satis aperte nos edocet Aristoteles a cælo tol-
g 2. cęl. t. 2. lens necessitatem cogentem, dum ait, (g) *Cælum autem, & qui sursum est, locum,*
h tex. 3. *Antiqui quidem Dijs attribuerunt, vt pote quod solum est immortale. (h) Præsens autem testificatur ratio quod ingenerabile & incorruptibile: Amplius autem impassibile omnis mortalis difficultatis est: Amplius autem sine labore, propterea quod nulla indiget violenta necessitate cogente, quæ prohibens detineat ipsum aptum natura aliter ferri: omne enim tale laboriosum est, quo magis sempiternum fuerit, & di-*
i tex. 4. *spositionis optimæ expers. (i) Quapropter neque secundum Antiquorum fabulam arbitrandum est se se habere, qui dicunt Atlante quodam ipsi opus esse ad salutem.*
k tex. 6. & mox. *At (k) vero nec ab anima cogente rationabile est manere sempiternum: neque enim possibile est talem esse vitam animæ sine tristitia & beatam: necesse enim est motum cum violentia existentem, si quidem mouet, quum ferri aptum natura sit primum corpus aliter, & mouet continue, negotiosum esse, & omni carentem ocio mente concepto: si quidem neque vt animæ mortalium animalium requies inest ea, quæ circa somnum fit, corporis remissio, sed necesse est Ixionis cuiusdam fatum detinere ipsam sempiternum & indomitum. Si itaque quemadmodum diximus, contingit dicto se habere modo de prima latione, non solum de ipsius sempiternitate sic existimare melius, sed & solum vtique habebimus sic consentanea diuinationi ei, quæ de Dijs est, enunciare concordes sermones. Sed de talibus quidem sermonibus satis sint, quæ nunc dicta sunt.* & in eodem proposito consimiliter alibi scri-
l 9. meta. bit, (l) *Quare semper agit Sol, & Stella, totumque cælum: neque timendum ne*
t. 17. *quandoque stet; quod metuunt quidam Naturales; non enim fatigantur, quum hoc faciunt, eo quod motus eis non est circa contradictionis potentiam; quemadmodum corruptibilibus, ita vt laboriosa ei sit motus continuatio: substantia nanque materia & potentia existens non actu, huius caussa est.* Sic igitur Aristoteli omnis operatio violentiam includens est cum labore, ac tristitia, neque conuenire potest naturæ degenti vitam optimam, & præstantissimam: Quare non arbitratur ipse Deum agere ex necessitate naturæ, quæ violentiam includat;
m 1. cel. quem viuere vitam optimam, ac felicissimam (m) confitetur. Amplius Ari-
t. 100. & stoteli Deus gubernat vniuersum recte, vt Dux exercitum, Princeps (n) ciui-
12. meta. tatem, Paterfamilias domum, auriga (o) currum, nauta nauem, præcentor
t. 39. 51. chorum: ergo non ex necessitate naturæ, neque coacte, sed libere. Præterea
n 12. meta. Deus Aristoteli (p) creat animas rationales, easque (q) infundit corpori non
t. 52. & seq. ex necessitate naturæ, quæ libertatem tollat, sed libere. Quin & Deus Ari-
o de mund. stoteli concurrit libere cum caussis secundis ad quoslibet effectus producen-
c. 7. dos. Ac summatim quum actiones Dei ad tria summa capita redigantur;
p 3. rhet. nam aliæ sunt internæ Dei perfectiones, nempe intelligere, ac velle; aliæ sunt
c. 10. perfectiones rerum a Deo per tales actiones dependentium; quarum aliæ
q 2. de gen. sunt æternæ, seu necessariæ; aliæ vero non æternæ, seu contingentes: quæ-
an. cap. 3. renti num Deus agat ex necessitate naturæ, an libere, de mente Aristotelis di-

dicendum est, Deum internas actiones suas agere libere simul ac ex necessitate naturæ suæ nullam violentiam patientis, at cum libertate determinata a seipso ad bonum: Actionum vero externarum illas, quæ res æternas respiciunt, agere necessitate immutabilitatis pariter, quæ libertatem non tollit, nec violentiam includit; & nititur suppositione finis ab ipsomet Deo præscripti: sed illas, quæ respiciunt contingentia, Deum agere non ex necessitate vlla, quæ violentiam ingerat, ac libertatem tollat; sed libere prorsus libertate a se determinabili. Quam sententiam manifestam apud Aristotelem habemus multis in locis: in primis enim (r) afferens, hac sola re priuari Deum, quod facta minime infecta possit reddere; clare decernit Deum non priuari libertate agendi. Deinde scribens, (f) cum pœna indigere, qui dubitat honorare Deos, vel parentes diligere; similiter supponit Deum agere libere, non autem ex necessitate naturæ; nam qui ex necessitate nobis opitulatur, non meretur honorem; sic enim ignis nos calefaciens, & Sol nos illuminans honorari deberet a nobis. Deinceps inquit, (t) Deum hominibus sapientibus & probis, qui honeste agunt, & excolunt intellectum, amare, multisque bonis donare; quæ functiones liberæ sunt, & non necessariæ. Præterea discrimen hoc ponens (u) Aristoteles inter agens ex scientia, & agens ex necessitate naturæ, quod illud agit libere, hoc non item: *alia enim, ait, mouent singulariter, alia autem & secundum contrarios motus; vt ignis quidem calefacit, frigefacit autem non: scientia autem videtur contrariorum esse vna*. Quum itaque Deus quicquid agat, per intellectum, ac voluntatem agat; nec singulariter agat, sed omnium actionum autor sit, concurrens cum omnibus caussis secundis, quarum actiones plerumque contrariæ sunt, ad quoslibet effectus producendos; aget libere, non autem necessitate naturæ. Postea decernens Aristoteles (x) Naturam esse caussam ordinis, cuius principium est (y) Deus, post quem sunt Intelligentiæ, tertium locum homines obtinent, quartum bruta, & postremum plantæ, ac inanimata: quum inanimata, & plantæ nullam habeant libertatem agendi, sed operentur semper ex necessitate naturæ, & non raro coacta a contrario validiori; brutis agentibus cum libertatis vmbra in quibusdam rebus, at cum vera libertate nihil, quia carent electione, ac voluntate, vt ait (z) Aristoteles, ad quam solam attinet libertas: homines viceuersa polleant vera libertate; quę tamen cogi valeat, ac tolli ab agente validiori; iam ordini naturæ totiusque mundi consentaneum est vt in mentibus separatis, atque adeo in omnium suprema sit maior, & euidentior libertas agendi, citra omnem violentiam. Insuper (a) Aristoteli caussa prima magis agit quam secunda, quia sine secunda potest agere, non autem vicissim secunda sine prima: modo caussæ agentis ex necessitate naturæ operatio est necessaria, non autem contingens, vt liberæ: igitur si Deus ageret ex necessitate naturæ; quum nullus effectus producatur sine Deo operante, vel per se, vel cum caussis secundis; iam nulla operatio contingens esset, sed omnis necessaria; quod quum absurdum sit dicere; proculdubio dici non debet in Peripato Deum agere ex necessitate naturæ. Vltimo quum (b) Aristoteli necessitas triplex sit; alia violentiam inferens, alia ex suppositione finis, & alia immutabilitatis, quæ omnium optima est, & libertatem

r 6. eth. c. 2

f 1. top. c. 9

t 10. ethi. c. 8.

u 8. phys. t. 8.

x 8. phys. t. 15.

1. meta. su. 2. c. 2.

y 12. meta. t. 52. 53.

z 2. phys. t. 59.

a 8. phys. t. 33.

b 12. meta. t. 38.

G 2 non

c ibid. non adimit operanti: quumque (c) eidem Philosopho primum mouens immobile actu ens, quod est Deus, a quo cælum, & tota natura dependet, sit & agat ex necessitate, quæ optima est; profectò Deus Aristoteli non agit ex necessitate naturæ, quæ violentiam infert; nec ex necessitate ex suppositione finis, præsertim ab alio facta; sed simpliciter ex necessitate immutabilitatis, quę libertatem non adimit; ait enim, *Quum autem aliquid sit mouens, ipsum immobile existens, actu ens*; ecce primum motorem immobilem Deum, qui purus actus est: *hoc nullo modo contingit aliter se habere*: scilicet necessarium est, & immutabile: *latio namque prima mutationum est: huius autem, quæ circularis est: hanc autem illud mouet*. nimirum Deus mouet cęlum motu circulari, qui species est motus localis, qui primus est inter omnes motus; adeoque solus continuus esse potest, ęternus, & immutabilis: *Ex necessitate itaque est ens: & prout necessitas bene est, sic & principium*. nempe primum omnia mouens Deus est ens ex necessitate; sed quia necessitas multiplex est, alia particeps imperfectionis, vt quę violentiam includit, & caussam sine qua non, quę dicitur ex suppositione finis; & alia vndique perfecta, vt immutabilitatem habens; etenim motus, & mutatio quęuis ob participationem potentię, vt ait (*) alibi Philosophus, est actus imperfectus; Deus inquam vt omnia mouens immobilis habet necessitatem omni carentem imperfectione: *Necessarium namque toties dicitur*, hoc est tripliciter generatim: *quoddam vi, quia, præter inclinationem*; vt sagitta sursum iaculata necessario ascendit, violentiam sagittarij non valens eludere: *quoddam, sine quo non bene esset*: vt serra necessario ferrea est & dentata; quia sine tali figura, & materia finem suum, quod est secare ligna, in quem tanquam in suum bonum instituta est, non assequeretur; vt etiam improbus ciuis necessario viuit honeste, quia secus pacatam vitam non haberet, nam lege puniretur acerbis cruciatibus: *quoddam, quod non aliter contingit se habere, sed simpliciter est*: nimirum Deus est natura sua immutabilis, & perfectissimus; adeoque necessario perfectus existens, & necessario semper ex se bene agens, non ab vlla violentia coactus, non ob metum vllius pœnæ, non vt assequatur vllum bonum; sed quia ipse summum bonum est, & sui ipsius communicatiuus rebus omnibus, & omnibus caussis secundis. *A tali ergo principio* libere semper agente *tum cælum*, hoc est (d) vniuersum in sui (e) coagmentatione, *tum natura* (hoc est caussarum omnium secundarum operationes, quæ sunt effectuum particularium generationes, quę sub (f) naturæ nomine comprehenduntur) *dependet*. Ita ergo Aristoteles pietati consentit afferens Deum agere non ex necessitate naturæ, quæ violentiam includit; nec ex necessitate nixa suppositioni finis ac boni cuiuspiam sibi comparandi; quæ duæ necessitates imperfectionem includunt, & libertatem agendi vitiant; at ex necessitate immutabilitatis, quæ libertatem agendi seruat: sic vir iustus, qua iustus est, ex habitu iustitiæ agens necessario iuste agit, non coactus, nec ob metum legis, sed libere; proindeque iustitia definitur constans & perpetua voluntas tribuendi vnicuique suum; quæ vt libere agit in hominibus, at ob materiæ culpam mutari potest; ita in Deo libere agit, licet sit immutabilis ob materiæ absentiam. Qua distinctione necessitatis ab Aristotele proposita facile dissoluuntur omnes difficultates eo-

Marginal notes: * 3. physs. t. 15. — d 1. cæl. t. 97. — e de mund. c. 7. — f 2. phys. t. 14. — 5. meta. t. 5.

eorum, qui probare nituntur Aristotelem putasse Deum agere ex necessitate naturæ, non autem libere.

Consentire veræ pietati Philosophum Aristotelem, qui eum orthodoxis ponit Deum ita in cælo esse, ut ipsum vbique in quauis mundi parte confiteatur, ac etiam supra cælos extra mundum.
Cap. VII.

SVmmum Deum orthodoxi pie venerantur tum in cęlo, tum in Vniuersi regionibus omnibus ac singulis, tum etiam supra cęlum omne corporeum extra mundanam molem: nam apud Psalmistam habemus, (a) *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* (b) *Dominus in templo sancto suo: Dominus in cælo sedes eius. Domine,* (c) *quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.* & apud Prophetam, (d) *Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe? si occultabitur vir in absconditis; & ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus? Vidi* (e) *Dominum stantem super altare, & dixit, Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint vsque ad cælum, inde detraham eos. & si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celauerint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. & si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum. Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet, & lugebunt omnes habitantes in ea; & ascendet sicut riuus omnis, & defluet sicut fluuius Aegypti. Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit. Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius.* & apud (f) Matthæum Dominus docens nos orare Deum, *Pater noster, qui es in cælis.* & quum a (g) D Thoma Deus constituatur esse naturę, ac entitatis infinitę, non potest ita coęquari, ac veluti coarctari corpori mundano finitę molis, quin Vniuersi mensuram in immensum excedens extra mundum etiam sit, ac super omnes cęlos: sic a Psalmista canitur, (h) *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos.* Hęc eadem dogmata non semel protulit Aristoteles: in primis enim Deum habere proprium domicilium in cęlo posuit Aristoteles agens dedita opera de sede Primi Mouentis in hanc sententiam, (i) *Necesse est autem aut in medio, aut in circulo esse: hæc enim principia sunt; sed celerrime mouentur quæ proxima sunt mouenti; huiusmodi autem est ipsius totius, seu circuli motus; illic ergo ipsum mouens.* nempe vult Deum sub ratione primi mouentis motu circulari esse in cęlo, quod celerrime circulo mouetur: non tamen absolute negat ipsum esse in centro: licet vt motor motu circulari sit potius in cęlo, quam in terra, vel etiam si placet in cęlo simpliciter. Idemque statuit alibi dicens, (k) *Hanc eandem igitur rationem*

a ps. 2. b ps. 10. c ps. 138. d Hierem. 23. e Amos 9. f cap. 6. g 1.p.q.7. ar.1.& 2. h ps. 8. i 8.phys. t.84. k de műd. cap.7.

Deus

Deus habet in mundo, vt pote qui vniuersorum coagmentationem cohærentem cohibeat & coarctet, incolumitatemque vniuersitatis conseruet: nisi quatenus non medio ille loco, in terra scilicet, vbi turbida regio est, sed in excelso situs est, purus ipse in puro loco. Quem locum tum Vranon ab origine vocis dicimus, quasi terminum extimum supremorum corporum: tum etiam Olympum, vt vsquequaque lucidum, ab omni caligine secretum, motuque omni incondito, huiusmodi sunt qui apud nos ventis fiunt, & tempestates: id quod his verbis significat Homerus.

„ *Esse solum Diuis subnixum semper Olympum*
„ *Fama est, haud ventis tremefactum, haud imbribus vdum*
„ *Splendida summotis, candensque extenditur æthra.*

Huius autem rei elogium est mortalium consensus, regionem mundi summam non dubie Deo tribuentium: quam ob caussam ipsi manus tollimus sursum inter vota concipienda. Qua ratione nec male illud quoque ab eodem Poeta pronunciatum,

„ *Cælum sorte tulit simul æthera Iuppiter altum.*

Eleuationem autem manuum ad concipienda vota didicisse potuit Aristo-
l Exod. 17. teles a sacra pagina, vbi talia leguntur, (*l*) *Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis: Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paullulum remisisset, superabat Amalech. Manus autem Moysi erant graues. Sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem, & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte: & factum est vt manus ipsius non lassarentur vsque ad occasum Solis. Pugnauitque Iosue Amalech, & populum eius in ore gladij.* & alibi, (*) *Vniuersa autem protendentes manus in cælum de-*
* 2. Machab. c. 4. *precabantur.* Addit autem in eandem sententiam Aristoteles alibi. (*m*) *Qua-*
m 1. cæl. t. 22. *re si circulare corpus neque augmentationem habere contingit, neque diminutionem, rationabile est, & inalterabile esse. Quod igitur sempiternum, & neque augmentationem habens, neque diminutionem, sed insenescibile, & inalterabile, & impassibile est primum corporum, si quis suppositis credit, manifestum ex dictis est. Videtur autem & ratio ijs, quæ apparent, attestari; & ea, quæ apparent, rationi: Omnes enim homines de Dijs habent existimationem; & omnes eum, qui sursum est, locum Deo tribuunt, & Barbari, & Græci, quicunque putant esse Deos, tanquam videlicet in mor-*
n 2. cæl. t. 2 *tali immortale coaptatum sit; impossibile enim aliter.* Et adhuc infra, (*n*) *Quare bene se habet quemque sibi persuadere, Antiquos, & maxime patrum nostrorum veros esse sermones, quod est immortale aliquid ac diuinum eorum, quæ motum quidem habent, talem tamen habent, vt nullus sit finis ipsius, sed potius iste aliorum finis sit; nam & finis continentium est; & hic perfectus existens, continet imperfectos, & habentes finem, ac quietem; ipse quidem neque principium vllum habet, neque finem, sed incessabilis est infinito tempore; aliorum autem, horum quidem principij caussa est, horum autem suscipiens quietem. Cælum autem, & qui sursum est, locum Antiqui quidem Dijs attribuerunt, vt pote quod solum est immortale.* Porro duobus in hisce locis Aristoteles attribuit cælum sedem & Deo, & Dijs; quia locat in cælo, & summum Deum, & secundas Intelligentias, quibus diuinum nomen participatiue conuenit: Hanc autem sententiam accipere se tanquam veram ait a duplici genere scriptorum, a Barbaris, & a Græcis; ab Antiquis, & a suis maioribus: & profecto vt per suos maiores intelligit nonnisi Græcos; ita per Antiquos, & Barbaros nullos alios intelligit, quam Hebræos,

Aegy-

Aegyptios, & Chaldęos; quia nulli tempestate Aristotelis haberi poterant Antiqui scriptores, Barbari ve preter Hebręos, Aegyptios, & Chaldęos, ad quos (vt ait D. Hieronymus, obseruatu Ficini in vita Platonis) discendi gratia Plato se contulit ex Græcia; & a quibus ad Græcos doctrinæ defluxerunt; vt admonet in Critia Plato, & in Timæo scribens ab Aegyptiorum sacerdotibus edoctum Solonem disciplinas in Græciam attulisse. At vero tunc apud Aegyptios habebantur, & apud Chaldæos, & Hebræos libri Mosis, & Prophetarum diuinas leges, & historias continentes. Vnde satis aperte constat Aristotelem hanc de Deo, Dijsque sententiam a sacris biblijs Hebræorum hausisse. Hausit eamdem a Græcis, vt ait, & a patribus suis. Quod & eodem in opere nobis insinuat inquiens, (o) *Vno igitur modo cælum dicimus, substantiam extremæ Vniuersi circumlationis, aut corpus naturale, quod in extrema est circumlatione Vniuersi: consueuimus enim maxime extremum, & sursum vocare cælum: in quo & Diuinum omne collocatum esse dicimus. Rursus autem alio modo corpus continuum extremæ circumlationi ipsius Vniuersi, in quo Luna, & Sol, & quædam astrorum sunt. etenim hæc in cælo esse dicimus. Præterea aliter dicimus cælum contentum corpus ab extrema circumlatione; totum enim & vniuersum consueuimus dicere cælum. Tripliciter igitur quum dicatur cælum, totum ab extrema contentum circumlatione necesse est ex omni constare naturali, & sensibili corpore: propterea quod neque vllum est extra cælum corpus, neque contingit esse.* o 1. cęl. t.96.
Quum igitur Aristoteles cæli nomine significet cum vniuersum; tum corpus naturale, continuum extremæ circumlationi, quod in se planetarum orbes complectitur; tum prima significatione substantiam extremæ Vniuersi circumlationis, aut corpus naturale, quod in extrema est circumlatione Vniuersi; in quo cælo primæ significationis, ad aliorum cælorum discrimen collocat omne Diuinum: profecto cæli huiusce nomine, quod duplici vocabulo circumscribit, *Substantiam extremæ Vniuersi circumlationis; aut corpus, quod in extrema est circumlatione Vniuersi*: duo nobis insinuat, vnum est primum mobile, quod ipse censuit esse firmamentum continens astra fixa nuncupata, esse corpus naturale collocatum vbi fit extrema circulatio Vniuersi, quæ dicitur motus diurnus: alterum est, quod nomine corporis naturalis non dignatur, sed appellat substantiam, quam innuens attiguam extremæ circumlationi Vniuersi, detegere nobis videtur cælum Empyreum appellatum, quod maxime extremum est, & supra primum mobile; in quo cælo Empyreo collocatum esse dicit omne diuinum, Deum nempe summum, cum omnium Mentium beatarum choro. Sic igitur Aristoteles agnouit Deum esse in cælo. Sed ita Deum in cælo cognouit Aristoteles, vt eum etiam posuerit in Vniuerso præsentem singulis mundi partibus; nam id constat ex eius locis apertissimis; & primum vbi scribit in hanc sententiam, *Quamobrem viliorum animalium disputationem per pensionemque fastidio puerili quodam spreuisse, molesteque tulisse, dignum nequaquam est; quum nulla res sit Naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. Et quod Heraclitum dixisse ferunt ad eos, qui cum eum alloqui cum vellent, quod forte in casa furnaria quadam caloris gratia sedentem vidissent, accedere temperarunt; ingredi eos fidenter iussit, quoniam, inquit, ne huic quidem loco Dij desunt immortales; hoc idem in indaganda quoque natura animantium faciendum* p 1. de part. cap.5.

dum est; aggredi enim quæque fine pudore debemus; quum in omnibus Naturæ Numen, & honestum, pulchrumque insit ingenium: nimirum Deus, qui sub ratione Primi Motoris est forma, finis, & efficiens Vniuersi caussa; qua de re nos
q 2. de gen. t. 59. fuse disseruimus in libris *De Natura Primo-Mouente*, atque in Dialogo *De Natura Assistente* iam inuulgatis. Dein ait alibi Philosophus, *(q) Reliquo modo compleuit totum Deus continuam faciens generationem: ita enim maxime continuabitur ipsum esse, quia proximum est substantiæ fieri semper generationem*: complere autem est formæ, quæ non complet nisi ea in quibus est. Deinde alio
r 9. eth. c. 4 in loco scribit, *(r) Habet enim etiam nunc Deus bonum: sed quum sit ipse id quodcumque est*: iam in rebus omnibus Deum esse necesse est ex mente Philosophi; cui Deus est *(s) bonum vniuersi*; quod est esse communem rerum om-
s 12. meta. t. 52. nium formam; quæ *ipsum quod quid erat esse* *(t)* definitur ab Aristotele.
t 2. phys. t. 28. Deinceps id ipsum confirmat Aristoteles dum laudat & *(u)* accipit dogma Hermotimi, & Anaxagoræ dicentium, Deum ita esse in mundo toto, vt intellectrix anima est in hominibus, *Quare, qui vt in animalibus, ita in Natura*
u 1. meta. su. 2. c. 2. *intellectum inesse caussam mundi, totiusque ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad Antiquiores vana dicentes, apparuit*: modo rationalis anima, & intellectus Aristoteli sic est in toto humano corpore, vt sit in singulis eiusdem par-
x 1. de an. t. 92. tibus, non autem in vnica solum, ad aliarum differentiam; *(x) Dubitabit autem aliquis, ait, & de ipsius* animæ *partibus, quam potentiam habeat vnaquæque in corpore: si enim tota anima totum corpus continet: conuenit & partium vnamquamq; continere aliquid corporis: hoc autem assimilatur impossibili; quam enim partem, aut quomodo intellectus continebit, difficile est etiam fingere*: Quæ scripsit Aristoteles contra decretum Platonis in Timæo statuentis, animæ partem vegetatiuam esse in hepate, sensitricem in corde, & intellectiuam in cerebro, proindeque caput appellat membrum diuinissimum cælo comparandum: si ergo Aristoteles vult Deum ita esse in toto mundo, vt intellectus humanus est in corpore nostro: quum aperte statuat intellectum humanum nullam sibi determinatam corporis partem eligere, quam contineat, sed esse sic in toto, vt simul sit in singulis corporis partibus; plane constituit Intellectum Diuinum cælo non coarctari, sed esse in singulis mundi partibus. At hoc ipsum eui-
y 7. Eud. c. 18. dentissimis verbis profitetur Aristoteles alibi scribens, *(y) Patet autem sic esse, quemadmodum in Vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexistente in nobis Numine* Deus igitur Aristoteli non est in solo cælo, sed sic in Vniuerso mundo, vt existat etiam in nobis; adeoque in qualibet
z 3. phys. t. 64. re mundana, & proinde vbique locorum. Immo qui statuit ita Deum esse in vniuerso, vt vicissim cuncta sint in illo; ponit Deum esse in vniuerso, vt
4. phys. t. 35. forma in subiecto constitutionis; & vicissim cuncta in Deo vt effectus in efficiente, vt subiectum in forma; formæ siquidem est *(z)* continere mate-
4. cæl. t. 35. riam sibi subiectam, vt multis in locis decernit Aristoteles: quare vult Deum esse vbique præsentem singulis mundi partibus. Quod & euidentissime pa-
2. de an. t. 39. riter affirmat, vbi de proposito tractat ex professo dicens, *(a) Etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, cum seruator est Deus, tum vero quæcumque*
a lib. de mund. c. 7. *in hoc mundo quoque modo perficiuntur, eorum omnium genitor est: non sic tamen ipse vt opificis in morem, animalisque lassitudinem sentientis, labore affici possit; vt*

qui

qui ea facultate vtatur, qua nulli cedat difficultati; cuius ipse vi facultatis omnia in potestate continet; nec minus etiam, qua ab ipso videntur esse submota. Summam igitur & primam sedem mundi sortitus, ea de caussa hypatos, quasi supremus appellatus est: & (vt inquit Poeta) in summo culmine vniuersi cæli suum habet ipse domicilium situm & collocatum. Maxime vero vim eius sentit, numineque eius ante omnia fruitur id corpus, quod proxime eum situm est: tum quod secundum ab hoc situm habet; & vnumquodque deinceps, prout situum ordo ad nostrum vsque locum natura constitutus est. Quo fit vt terra, & terrena omnia quamlongissime ab diuinitatis adminiculatione abscedunt, tam infirmitate summa sint ipsa, continuitatisque sibi consentanea maxime expertia; atque ideo multo tumultu exagitata. Atqui quum ita sit Numen Diuinum natura sua comparatum, quoquo vt versus permeet: nimirum ea, in quibus ipsi versamur, ac nobis superiora, pro eo quantus est accessus ad Deum, vel abscessus ab eo, eius opitulationem quoque sentiunt. Proinde id præstabilius esse censemus, Deoque tum decentius, tum magis consentaneum, ita de Deo opinari, vt dicamus, potestatem illam in cælo sedes suas habentem, incolumitatis caussam rebus vniuersis præstare, ijs, quoque, quæ longius ab ea remota sunt. & mox. *Quare angustius id, decentiusque existimandum est, Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis vt tamen eius vis per vniuersum mundum pertinens, tum Solem, Lunamque moueat, tum cælum omne circumagat; simulque caussam præbeat eorum, quæ in terra sunt, salutis atque incolumitatis.* Quod si res aliquæ distare dicuntur a Deo, non arguit hoc loci distantiam, sed naturæ varietatem, vt ait D. Thomas inquiens, (b) *Hoc autem ad maximam virtutem Dei pertinet, quod immediate in omnibus rebus agit, vnde nihil est distans ab eo, quasi in se illud Deum non habeat: Dicuntur tamen res distare a Deo per dissimilitudinem naturæ, vel gloriæ; sicut & ipse est super omnia per excellentiam suæ naturæ.* Quam sententiam in Aristotele cognoscunt, ac ex eo profitentur omnes illius Interpretes Græci, (c) Alexander, (d) Themistius, (e) Philoponus, atque (f) Simplicius, & (g) Iamblicus. At vero non ita censet Aristoteles Deum esse vbique præsentem in singulis mundi partibus, quin sit etiam extra mundum immensus, ac infinitus. Quod expressis verbis testatur Aristoteles inquiens, (h) *Extra autem cælum quod neque est, neque contingit esse corpus, ostensum est: manifestum igitur est, quod neque locus, neque vacuum, neque tempus est extrinsecus. Quapropter neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neque tempus facit ipsa senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extima disposita sunt latione; sed inalterabilia, & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam perseuerant tota æternitate. Etenim hoc nomen diuine enunciatum est ab antiquis: finis enim, qui continet vitæ vniuscuiusque tempus, cuius nihil est extra secundum naturam, æuum vniuscuiusque vocatum est* (vel potius æternitas; *aeon* enim æque vertitur æuum, ac æternitas; quæ proprie tota simul, nec partem habet vllam sui extra partem aliam, quum sit indiuisibilis, & contineat omne tempus, & sit mensura esse Diuini) *secundum eandem autem rationem & totius cæli finis, & finis omne tempus, ac infinitatem continens, æternitas est, ab eo, quod sit semper, sumpta denominatione, immortale, & diuinum: vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obscurius, esse & viuere. Etenim, quemadmodum in vulgaribus sententijs circa diuina sæpe declaratur rationibus, quod diuinum ipsum intransmutabile esse neces-*

b 1. p. q. 8. ar. 1. ad 3.

c 2. de an. c. 23.

d 12. meta.

e 1. de an. t. 4. 40.

f in epist. c. 66.

g lib. de myst. Aegypt.

h 1. cæl. t. 100.

se est omne, primum, ac maximè summum: quod sic se habens, attestatur ijs, quæ dicta sunt: neque enim melius aliud est quod moueat; illud enim esset vtique diuinius: neque habet prauitatem vllam, neque indigens suorum bonorum vllo est. Quæ D. ipse Thomas aduersus Alexandrum de cælis exponentem ait, (i) *Sed hoc non videtur esse verum, quod corporum cælestium non sit aliqua transmutatio; quum moueantur localiter. Nisi forte exponamus de transmutatione, quæ est in substantia: sed hæc videtur extorta expositio; quum Philosophus vniuersaliter omnem mutationem excludat. Similiter etiam non potest dici propriè quod cælum sit ibi, idest extra cælum. Et ideo conuenientius est quod intelligatur de Deo, & de substantijs separatis; qui maximè neque in tempore, neque in loco continentur; quum sint separata ab omni magnitudine, & motu: Huiusmodi autem substantia dicuntur esse ibi, idest extra cælum, non sicut in loco, sed sicut non contenta, nec inclusa sub continentia corporalium rerum, sed totam corporalem naturam excedentia: & his conuenit quod dicitur, quod eorum nulla sit transmutatio, quia superexcedunt supremam lationem, scilicet vltimæ sphæra, quæ ordinatur sicut extrinseca & contentiua omnis mutationis.* Quem locum etiam Scaliger afferens ait, (k) *Deum enim, aliasque a motricibus Aristoteles agnoscit supra cælum Intelligentias. Eius verba aureis, immo vero cælestibus describenda notis, subtexere libuit, propter eorum duplex nectar, tum eloquentiæ, tum diuinitatis. Phaneron ara &c.* quæ nuper Latio data proposuimus, *Vbi videmus in numero plurali ta exo. Et Deum ipsum nuncupat pan cum articulo to proton. Ipse namque autos di' auton: vt alibi dicit idem: Non enim pan hic significat numeralem distributionem, sed essentiam in infinitate. Igitur ta' cei designat Deum & Intelligentias: non autem, vt peruicax Auerrois, pro sola prima caussa accipitur. Sed neque vt accipit Alexander apud Themistium, pro orbe vltimo; ille enim non est exo; neque suprà extimum motum; sic enim ait ton hyper exotato pheromenjn phoran.* Licet hic numerus multitudinis ad plures rationes formales caussæ finalis, effectricis, & formalis, quas Deus vnus habet erga mundum, referri valeat. Quam sententiam videtur amplecti non solum D. Thomas, paullo post hunc Aristotelis locum explicans de Deo, nulla facta mentione mentium aliarum separatarum, inquiens, (l) *Omne quod mouetur, aut ad hoc mouetur, vt fugiat aliquod malum, aut ad hoc quod requirat aliquod bonum: sed primum non habet aliquod malum, quod possit euadere; neque indiget aliquo bono, quod possit acquirere; quia est perfectissimum: ergo primum non mouetur. Potest autem & sic formari ratio, Omne, quod mouetur, aut mouetur ad melius, aut deterius: sed neutrum potest Deo conuenire secundum ea, quæ hic dicuntur: ergo Deus nullo modo mouetur.* Sed etiam ille Steuchus Eugubinus afferens, (m) *In libro de cælo, loquens de significatione eius, quod dicitur cælum, Postremo, inquit, dicitur cælum corpus naturale, quod est in extrema circumferentia Vniuersi: solemus enim extremum, & quod supremum est, præcipuè vocare cælum, in quo totam Diuinitatem dicimus habitare. Hæc ille sua lingua, to en eschatei periphera tu pantos, eiotha men gar to eschaton, ca to ano malista caloin, en ho to theion pan hydrystha phamen. Apparet hic diuinitatis aliud omnino genus, quam eorum, qui moueant orbes & lumina cælestia: Nam Platonem præceptorem secutus, supra sideribus, in extrema vertigine mundi, idest, vt clarum est, supra primo mobili collocat hos Deos. Deos autem in Metaphysica censuit Intelligentias orbium cælestium, Solis, Lunæ, astrorum, epyciclorum, planetarum, qui sunt*

omnes

i 1. cæl. lec. 21.

k exer. 365 ar. 5.

l 1. cæl. com. t. 100 in f.

m 4. de peren. phil. cap. 2.

omnes infra primum mobile, & extremam circumferentiam. Porro quod hoc loco ad consuetudinem temporis, communemque omnium mortalium sententiam dixerat Deos habitare supra mundum; postea pluribus verbis, & ex philosophia explicans, disserit praeclara latius velut in ipsam Theologiam ingressus. Cuius haec verba sunt: exo de tu vranu dedeicta hoti vt' estin, vte endecheta genesthai soma. Phaneron ara, hoti vte topos, vte cenon, vte chronos estin exothen. Dioper vt' en topo ca... pephycen. vte chronos auta poiei gjrascein. vt' estin vdenos vdemia metaboli, ton hyper ton exotato tetagmenon phoran, all' analloiota, ca apathi, tin arist jn echonta Zoin, ca tin autarcestatin diateleiton apanta aona. Quae sunt. Ostensum est autem, extra caelum nullum esse, neque esse posse corpus. Manifestum igitur quod neque locus, neque vacuum, neque tempus est extra. Quocirca, quae ibi sunt, neque in loco sunt, neque tempus ea facit senescere: neque vllius est vlla mutatio eorum, quae supra nouissimam, supremamque vertiginem posita sunt, sed immutabilia, & impassibilia, optimam agunt vitam semper, & opulentissimam, omne aeuum. Haec ille. Considera igitur si... ula. Prius dixerat, Caelum dicimus extremam circumferentiam, vbi totam dicimus habitare Diuinitatem: Nunc dat quiddam clarius: illic in caelo, nunc supra caelo, supra vltima circumferentia: nam dicit etiam extra caelum nullum esse corpus: igitur multo magis semouet eas res a toto mundo, dicens eas esse extra locum, extra tempus, quae cum caelo sunt: Deinde eas res non esse mutabiles. Ex quibus omnibus clarissime constat, eum non sentire de Intelligentijs Solis, Lunae, planetarum, et eyclorum, quae sunt omnia infra extremam circumferentiam, & corporaliter sunt in loco & tempore. Tum loquitur de his, quae non sunt corpora, ideo negat ea habere locum. Totaque descriptio est pulcherrima, diuinaque, vt a Theologo nihil expectem amplius de his, qui habitant in caelo, idest, desuper: Describit enim beatitudinem, immortalitatem, felicitatem aeternam, aeternamque eorum requiem; quia neque senescunt, neque subiacent tempori, non sunt in loco, nulli distristi, & praesc... seue: vita non deficit eos omnibus bonis copiosissima: appellat enim eorum vitam optimam, autarcestatin, copiosissimam. Nec Aristoteles nunc dicit quid ea sint, sed per neutrum genus ta cebei, ea quae ibi: superius autem declarauerat, & declarat alibi eos esse Deos. & in secundo libro eiusdem operis ton d' vranon, ca ton ano topon, oi men archai, tois theois apeneimon hos onta monon athanaton: caelum autem & supremum locum veteres quidem Dijs attribuerunt, quippe qui solus sit immortalis. Horum igitur est illud, quod supra caelo dixit esse. Eorum est regio habitaculum, vt in Compendio suae Philosophiae quoque magis declarat. Veterumque maiorum suorum Theologiam declarauit in primo libro, reducens eam ad considerationem Philosophiae. Sunt igitur Dij Aristotele etiam teste, supra sideribus. Audi etiam quid de hoc ipso, quod Antiqui tradidissent, loquatur: dioper calos echei sympeithein eauton, tus archaeus ca malista tus patrius kimon alithels eina logus. Quocirca, inquit, praeclare habet, vt sibi quisque persuadeat, veteres traditiones, praecipue maiorum nostrorum, veras esse. O Aristoteles, si rectum est inducere in animum vnumquemque, vt credat vera esse quae crediderunt antiqui, vide quaeso quid retro omnes antiqui tradidissent, quid Chaldaei, quid Sibylla, quid Mercurius, quid Graeci ipsi, quibus fidem maximam putas tribuendam. Orpheus, Pythagoras, Anaxagoras, Archytas, Philolaus, Parmenides, ceterique omnes vnanimiter, non illos fictitios orbium caelestium motores Deos, sed vnum singularem, omnipotentemque sunt confessi, qui non corpus quidem caeleste moueat, aliud non agat; sed Deum

per omnia penetrantem, totum mundum implentem, omnia considerantem. Tum Deos quosdam minores ministros eius induxerunt, qui res humanas ei parentes administrent. Sic illi censuerunt, & tu aliquando asseruisti, si quis dicta tua bene consideret. Recordare qua dicis XI. *de Philosophia diuina libro, de eisdem antiquis. Traditum est, inquit, ab Antiquis de Dijs, per fabulas interdum: hon eitis chorisas auto, labei monon to proton, hoti theus Oonto, tas protas vsias eina, theios aneirjstha nomiseie. A quibus si quis id separet, id est, fabulam; solumque accipiat, quod est pracipuum, quod Deos crediderunt primas substantias, diuine locutos eos arbitretur. Bene igitur habet o Aristoteles: asseris Maiores diuine locutos, Deos esse primas substantias: At antiqui, si bene meministi dicta tua, non dixerunt Deos illos orbium calestium motores; sed sicut superius in libris de calo monstrasti, supremum altissimumque locum extra calum, & locum, & tempus eis attribuerint. Asseris autem diuine eos locutos. Si diuine igitur locuti sunt, non sunt Dij calestes Intelligentia, nec prima Intelligentia mouet calum duntaxat, aliud non agens. Hac igitur consideratio verissima est, & incontradicibilis, nisi quis furiosorum Peripateticorum vanissimis quibusdam artificijs eam conetur subuertere. Denique supradictum locum testatur Simplicius quosdam interpretum sensisse de immobilibus caussis calestibus, & immobilibus principijs, qui moueant sphaeras calestes: In quo quidem quum recte senserint, quod eas caussas dixerunt, quod Aristoteles de caussis supramundanis sit ibi locutus, in vno tamen error fuit, quod eas caussas dixerunt, qua moueant orbes calestes: Quomodo enim mouent, si sunt, vt ait Aristoteles, Exotato, longissime, remotissime supra motus calestes? si motrices caussas has Aristoteles sensisset, non longissime ab eo, quod mouent, separasset: Cur enim caussa mouens Solem, debuit supra Solem, sphaeraque omnes longissime locari? Clarum igitur Aristotelem Deos quidem illic esse supra calestes motus longinquissimos, sed non eos Deos, qui moueant Orbes: quos si mouerent, vnusquisque sphaera sua vel inesset, vel assisteret;* vt clare testatur Aristoteles ponens omnem motorem (*n*) simul cum suo mobili, speciatimque primum motorem in circulari corpore, vbi velocissimus est motus; quum celerrime moueantur quae (*o*) proxima sunt mouenti. Ceterum hunc locum latius explicabimus (*p*) infra. Denique Deus Aristoteli non est in (*q*) loco, neque circumscriptus, quia non est corpus, neque definitus, quia naturam & essentiam habet immensam, & infinitam, vt (*r*) supra visum est in Peripato: sed si Deus non esset extra caelum in infinitum; iam esset non infinitae naturae. Sic igitur Aristoteli Deus est ita in caelo, & in singulis mundi partibus, vt sit extra Mundum etiam in infinitum. Cuius immensitatem pulchre Mercurius ille Termaximus nobis insinuauit, asserens Deum esse circulum, cuius centrum est vbique, at circumferentia nullibi. Theologis ergo verae Pietatis cultoribus, Deum in caelo, & vbique locorum, ac super omnes caelos immensum colentibus, Aristoteles apprime consentit.

n 7. phys. t.10.
o 8. phys. t.84.
p lib.2. c.12
q 1. cael. t.100.
r cap. 5.

Aristotelem agnouisse, confessumq; fuisse Deum habere curam, & prouidentiam rerum omnium, & speciatim humanarum Cap. VIII.

a 1.p. q.22 ar.1.2.3.

Diuus Thomas aperte decernit Deum habere (*a*) prouidentiam; quod potissimum ostendit ex sacra pagina, quam affert haec de Deo scribentem,

tem, (b) *Tu autem pater gubernas omnia cum prouidentia.* statimque addit, *Quum* b Sap. 14.
in mente diuina præexistant omnium rerum rationes, prout in finem, & præcipue vl-
timum ordinantur; in eo prouidentiam esse necesse est; quæ est ratio ordinis eorum in
finem. & mox ait, (c) *De Diuina* (d) *sapientia, quod attingit a fine vsque ad finem* c art. 2.
fortiter, & disponit omnia suauiter. additque, *Deus quum omnium sit prima caussa,* d Sap. 8.
omnia etiam in particulari cognoscens, quauis subiecta esse Diuinæ prouidentiæ, non
tantum in vniuersali, sed etiam in singulari necessarium est. & adhuc infra (e) sub- e art. 3.
dit, (f) *Iob, ait, Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super or-* f cap. 34.
bem, quem fabricatus est? super quo dicit (g) *Gregorius, Mundum per seipsum re-* g 24. mor.
git, quem per seipsum condidit. additque D. Gregorius, *Omnipotens Deus, se per* cap. 26.
semetipsum regere non negligit, quod creauit; quia bene creauit, vtique bene regit;
quia quod pie condidit, impie non disponit; & qui nec dum facta curauit vt essent,
quæ sunt facta non deserit. Quia ergo præsens est in regimine, qui auctor extitit in
creatione, ideo curam nostri non præterit. Subnectitque D. Thomas, (h) *Imme-* h loc. cit.
diate Deus omnibus prouidet quoad ordinis rationem; quo vero ad executionem ordi-
nis per aliqua media prouidet. & mox. *Ad prouidentiam duo pertinent, scilicet ra-*
tio ordinis rerum prouisarum in finem, & executio huius ordinis, quæ gubernatio di-
citur. Quantum igitur ad primum horum, Deus immediate omnibus prouidet, qui
in suo intellectu habet rationem omnium, etiam minimorum: & quascumque caussas
aliquibus effectibus præfecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos: Vnde
oportet quod ordinem illorum effectuum in sua ratione præhabuerit. Quantum au-
tem ad secundum, sunt aliqua media Diuinæ prouidentiæ; quia inferiora gubernat per
superiora, non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis,
vt dignitatem caussalitatis etiam creaturis communicet. Hanc eandem doctri-
nam (quicquid plerique senserint in oppositum) professus est Aristoteles
multis in locis adeo clare, vt D. Thomas eam a Philosopho didicisse videa-
tur. In primis enim Aristoteles, qui decernit Deum esse vnicum, bene gu- i 12. meta.
bernantem (i) omnia mundi entia; seseque habere ad Vniuersum, vt (k) Dux t. 56.
ad exercitum, & Paterfamilias ad liberos, & seruos in domo; clarissime k t. 52. ibi.
statuit Deum habere rerum omnium prouidentiam: quomodo res omnes l tex. 53.
bene gubernabit ille, qui singularum non habet prouidentiam? non ne Pa-
terfamilias in domo singulorum habet prouidentiam? audi leges ab Aristo-
tele datas Patrifamilias, (m) ait enim eum habere debere curam vxoris, ser- m 1. Oe-
uorum, & rerum omnium ad familiam attinentium; *proinde seruos comparare* con. c. 1.
sedulos oportet: operæpretium fuerit & parare, & alere etiam eos, quibus liberalia of-
ficia recte credantur. Cum seruis autem ita est consuescendum, vt neque in petulan-
tiam euadere, neque in segnitiem declinare permittantur: & ijs, quidem, qui magis
ingenui sint, honores impertiendi; operarijs autem cibi copia subministranda videtur.
& mox. *Quare & inspicere ac cognoscere diligenter quid a seruis agatur oportebit,*
& ijsdem pro meritis singula, cibum, vestimenta, otium, supplicia, tum verbo, tum
re tribuere, & remittere, medicorum artem imitantes, & considerantes, vt medica-
menti locum obtinet cibus. & c. & paullo post. *Quatuor porro sunt, quæ Pa-*
tremfamilias habere oportet in re pecuniaria; nam non minus ad conseruandum,
quam ad comparandum idoneum esse oportet. Ad conseruandum autem ratione &
Persica, & Laconica vti commodum est. Est autem Persica ratio vt ipse per se vnus-
quisque

quisque & disponat omnia, & inspiciat : nam nemo aeque diligenter suam atque alienam rem solet curare : quare quoad eius fieri poterit, vnumquemque per seipsum adhibere diligentiam oportet : & quod Persa cuiusdam, atque Afri dictum fertur, ad hanc rem commode applicabitur : ille quippe interrogatus, quidnam esset, quod maxime equum pinguem efficeret, Domini oculum esse respondit : Afer autem roganti cuipiam, quodnam stercus optimum, ipsius, inquit, Domini vestigia : quare non est putandum fieri posse, vt sine diligentia dominorum, procuratores, seu villici sint diligentes, &c. Ex quibus apertissime constat Aristotelem velle bonum patremfamilias cuncta sua bene gubernantem, de singulis sibi subiectis prouidentiam habere: Quum autem idem Aristoteles Deum ita cuncta Mundi entia bene gubernare decernat, vt paterfamilias domum suam, & ad eam pertinentia: quis non videt Aristotelem velle Deum habere curam, & prouidentiam rerum omnium mundanarum? vis Aristotelis ipsissima verba? *Perscrutandum autem,* (n) ait, *etiam hoc, quonam modo natura Vniuersi habeat ipsum bonum, & ipsum optimum: vtrum separatum quiddam, & ipsum, an per se an ipso ordine. An vtroque modo, quemadmodum exercitus: etenim bene esse eius, in ordine, & dux ipse est, ac magis ipse: non enim ipse propter ordinem, verum ordo propter ipsum est. Cuncta autem coordinata quodammodo sunt, verum non similiter & natatilia, & volatilia, & plantae: nec ita se habent, vt sit vllum alteri ad alterum, sed sunt ad quippiam: ad vnum namque coordinata sunt omnia. Verum quemadmodum in domo liberis quidem minime licet quodcumque facere, sed ea omnia, aut plurima, quae ordinata sunt: mancipijs vero, & bestijs parum, quod ad commune conferat, sed vt plurimum quodcumque contingit (tale namque principium eiusque rerum natura est) Dico (o) autem pariformiter quod necesse est omnia in discrimen venire; & alia ita sunt, quibus omnia communicant ad Vniuersum,* & paullo post, (p) *Qui vero dicunt mathematicum numerum primum, & ita semper aliam attiguam substantiam, ac alia cuiusque principia, inconspirantem Vniuersi substantiam faciunt (nihil enim altera alteri confert, siue sit, siue non sit) & principia multa: At entia nolunt male gubernari: non est bonum pluralitas principatuum: vnus ergo princeps.* An non princeps habere debet prouidentiam omnium subditorum in ciuitate? an non Dux habere debet prouidentiam omnium militum in exercitu? Deus ergo quem Aristoteles ait ita se habere in mundo, vt Dux in exercitu, & Princeps optime gubernans in ciuitate, secundum Aristotelis decreta prouidentiam habere debet omnium rerum mundanarum. Quin optime gubernari nequeunt res mundanae ab eo, qui de illis curam & prouidentiam non habet; quum optima gubernatio sit idem cum prouidentia, vel saltem non sine prouidentia: Philosophus ergo, cui Deus optime gubernat omnia mundi entia, necessario curam & prouidentiam rerum omnium a Deo haberi confitetur. Dein Aristoteles alibi decernens, Naturam prouidisse ne motibus astrorum fieret sonus, quia tali maximo sono, vehementissime aerem agitante, destruerentur omnia subcaelestia; scribit enim, (q) *Quare quoniam non videtur hoc accidere, neque animata, neque violenta feretur latione vllum ipsorum, veluti id quod futurum erat, prouidente Natura, quod non hoc modo sese habente motu, nihil vtique esset eorum, quae sunt circa hic existentem locum, similiter se habens.* At vero Natura haec prouidentiam habens conseruationis rerum subcae-

n 12. meta. t. 52.

o tex. 53.

p tex. 56.

q 2. cel. t. 56.

cœlestium Aristoteli est ipse Deus, vt explicat eo loci (r) D. Thomas in- r 2. cæl. com. t. 56.
quiens, Ostendit idem ex caussa finali. Ideo enim Natura non dedit stellis motum
per se; & per consequens nec sonos, ac si prouidisset, quod nisi ita se haberet, motus stel-
larum, quod non mouerentur per se, sed solum per motum sphærarum, sequeretur hoc
inconueniens, quod nihil in his inferioribus esset similiter se habens, quasi per aliquod
tempus in suo esse conseruatum. Datur autem per hoc intelligi, sicut Alexander no-
tat, quod Aristoteles hic sensit, quod Deus habet prouidentiam de his, quæ sunt hic in-
ferius: non enim potest Natura attribui prouidentia, secundum quod est quædam vir-
tus in corporibus, sed solum per comparationem ad Intellectum instruentem naturam
huiusmodi corpoream. Quam Aristotelis opinionem hoc eodem in loco re-
fert (s) Simplicius asserens, Secundo autem notat & hoc bene, quod ex his, quæ hic s 2. cæl. com. 37.
dicuntur, manifestius est Aristoteles, plane existimans prouidentiam eorum, quæ hic
sunt: Naturam enim, ait, prouidentem eorum, quæ hic sunt, fecere sphæras motas, sed
non astra: nam caussa faciens hæc, & prouidet: patet autem quod Naturam nunc
Deum vocat Aristoteles. Etsi Naturę nomen de Deo minus proprie dici non be-
ne subiungat ipse Simplicius, qui perperam opinatur Naturam proprie dici
solum de rebus infra animam. At vero commentarium Alexandri ad hunc
locum Aristotelis, quod videtur citasse D. Thomas, non habentes, alium li-
brum afferre possumus, in quo tale dogma profitetur Aphrodiseus ex Arist.
tractans de prouidentia, dum ait, (t) Substantiarum secundum Aristotelem quæ- t 1. qu. nat. cap. 25.
dam est incorporea, & sine corpore forma quædam immaterialis, & separabilis actus
quidam existens ab omni potestate seiunctus; quam substantiam & intellectum vo-
cat; intellectum autem secundum actum; semper enim intelligentem id quod est opti-
mum inter entia; hoc autem ipse est: seipsum itaque hic intellectus intelligit: maxime
enim intelligibile maxime intellectus intelligit: maxime vero intelligibile forma sine
materia: sui enim natura est huiusmodi substantia intelligibilis: materiales enim
formæ intelligibiles quidem sunt, sed non sui natura, immo nec per se; sed intelligens
ipsas intellectus ipsas facit intelligibiles, seiungens ipsas a materia intelligentia, & vt
per se existentes accipiens: forma vero ab omni materia, & omni potestate seiuncta, sui
natura est proprie intelligibilis: atqui huiuscemodi substantia prædictus intellectus
est: idcirco seipsum intelligit; etenim huiusmodi substantia nihil habens potestate,
semper actu est intelligibilis; est autem actu intelligibile, quod semper actu intelligitur:
quod semper actu intelligitur, id porro fuerit quod intelligitur ab intellectu æterno,
& actu: tale vero erat prædicta substantia, prima substantia, primusque intellectus,
& primum intelligibile, & intellectus semper intelligens, & in hoc essentiam habens.
quibus attributa summi Dei satis aperte declarat, & (u) postea infit, Quum u in f. cap.
autem hæc hoc modo se habeant; si quis velit dicere prouideri omne id, quod propter ali-
quid, & ab aliquo, quouismodi mutationem habet & motum: fuerit vtique omnis
corporea substantia, & æterna, & generabilis, & corruptibilis, a prima substantia
æterna, immobili, & incorporea prospecta. Si quis autem hæc sola prouideri diceret,
quorum gratia quod ipsis dicitur prouidere, actu quibusdam actionibus mouetur, so-
lum sublunare corpus secundum Aristotelem prouisum esset: hoc autem est materiale,
& generabile, & corruptibile: quoniam gratia ordinata huius mutationis & perma-
nentia secundum speciem æterna ponuntur moueri corporis circulo versatilis post pri-
mam, quæ & firmamentum vocatur, septem sphæra motu secundo: quum enim indi-
ge-

gerent generabilia & corruptibilia vario motu; non poterant eodem modo se se habentia diuina omnia simul quidem generationis, simul quoque & corruptionis ordine caussa inferioribus fieri: ob quas generationes & corruptiones, quum ita fiant, manent & hæc æterna secundum speciem, manente quodam & in illis vario motu.

x l.2. c.21. Quin & inferius (x) Alexander ait, *Quum haberemus paullo ante sermones cum socijs de prouidentia: & tentarem ego monstrare quod secundum Aristotelem Numina ipsa mortalium curam habent prouidentiam: promptumque esset dicere quanam esset, & quo pacto fieret: dixit quidam eorum, qui aderant, prius dignum esse discere quo pacto respondere oportet interrogantibus vtro potius modo a Numinibus prouideri hæc quæ apud nos, dicere opus sit, principaliter ne, an per accidens: qui enim negant esse secundum Aristotelem prouidentiam quam scilicet nos dicimus fieri prouidentiam, per accidens aiunt dici, & fieri*, &c. quibus late comprobat non esse per accidens prouidentiam secundum Aristotelem; licet non satis explicet quomodo sit, sed alibi latius de proposito tractaturum se polliceatur. Amplius autem Deum prouidere toti mundo; speciatimque perpetuitati speciei rerum corruptibilium, aperte profitetur Aristoteles (y) alibi dicens, *Quoniam enim in omnibus inquimus quod melius est, desiderare naturam semper: melius autem esse quam non esse: esse autem quot modis dicimus, in alijs dictum est; hoc autem in omnibus impossibile existere propterea quod longe a principio distant; reliquo modo compleuit totum Deus continuam faciens generationem*: (adeoque prouidens ne rerum caducarum species deficiant, sed perpetuæ conseruentur; proindeque addit) *ita enim maxime continuabitur ipsum esse; quia proxime est substantiæ fieri semper generationem*. Sed apertius alibi fatetur Aristoteles Deum habere curam rerum humanarum, inquiens, (z) *At qui ex intellectu operatur, huncque excolit, atque optime afficit, is esse Deo carissimus videtur: nam si aliquam rerum humanarum curam Dij habent, sicut videtur: consentaneum est ipsos re illa, quæ optima est, atque ipsis maxime cognata, delectari, quæ est intellectus; eosque, qui eam maxime amant, & honorant, remunerari; vt pote qui eorum, quæ ipsis sunt amica, curam habeant, recteque, & honeste agant. Hæc autem omnia sapienti maxime inesse, obscurum non est: is igitur est Deo carissimus: eundemque esse etiam felicissimum verisimile est. Quare ita quoque efficitur, vt sapiens maxime felix sit.* Quibus Aristoteles asserens Deo carissimos esse homines recte honesteque viuentes, decernensque Deos humanarum rerum curam habere, satis aperte declarat non solum a Deo summo probos homines amari, sed etiam incorporeas alias mentes infra Deum, quos Angelos vocamus, habere curam rerum nostratium, ijs plane consentiens, quæ de prouidentia diuina constituit D. Thomas, inquiens, vt (y) vidimus, Deum (z) immediate rebus omnibus prouidere, quas ipse solus ordinat ad certum finem; at per medios Angelos, tanquam sui ministros, efficere vt res proprium finem assequantur: etenim tum vniuersim motrices Intelligentiæ cælorum motibus gubernant res omnes inferioris mundi; vt propterea sanxerit Aristoteles alibi, (a) Necessarium fuisse mundum inferiorem hunc esse quodam modo continuum supernis lationibus, vt omnis huius mundi virtus gubernetur inde: tum speciatim quilibet homo custodem habet sui separatam quandam Intelligentiam, quam proprium cuiusque Genium vocauit Aristoteles; eique numinis ac diuinitatis parti-

y 2. de gen. t.59.

z 10. ethic. cap.8.

y init. cap.

z 1.p.q.22. a.3.

a 1. meteo. su.1. c.2.

ci-

elpationem assignauit, inquiens; (b) *Ex impensis autem, quas honorabiles dici-* b 4. ethic.
mus, illa sunt, quæ ad Deorum donaria, ædificationes, & sacrificia pertinent; quæque cap. 2.
ad omne denique Geniorum numen spectant. Quibus non aliam ob caussam Dijs,
& Genijs donaria, & sacrificia vult adhiberi, nisi quia rerum humanarum
eos curam, & gubernationem, proindeque prouidentiam habere putauit.
Deinde ponens hic (*) Aristoteles Intellectum humanum esse Deo, separa- * 10 eth. c. 8
tisque infra Deum Intelligentijs, quas cum D. Paulo, (c) & (d) Areopa- c 1. Cor. 8.
gita Deos appellat, maxime cognatum, valde consentanea scribit Orthodo- d de diu. no.
xorum cætui, qui tum recipit a (e) Moyse, Deum fecisse hominem ad imagi- e Genes. 1.
nem, & similitudinem suam: quam imaginem, & similitudinem Dei Theolo- f 1. ep. Iar.
gi fere omnes, (f) Augustinus, Gregorius (g) Nyssenus, (h) Damascenus, Ma- tr. 8.
gister (i) sententiarum, (k) Bernardus, (*) Beda, (l) Lyranus, (m) D. Thomas, 15. de Trin.
& alij constituunt potissimum in anima rationali: tum ab Angelo dicente 6. 7.
Ioanni se (n) conseruum suum esse. Statuitque Philosophus (o) hoc in loco 6. in Gen.
sapientem hominem, qui rectas & honestas actiones edit, adeoque virum ad lit. 12.
probum moribus, & intellectu doctum, esse Deo carissimum, & maxime fe- g Hexam.
licem, ijs plane consentiens quæ describuntur in libro Sapientiæ titulo inter h 2. orth.
sacra Biblia recepto; in eo siquidem volumine vir probus, & sapiens forma- fid. 12.
tur, qui beatus, ac felix esse dicitur; constituiturque in eodem volumine, i dist. 16.
(p) sapientiam non intrare in animam maleuolam. Ceterum & Deum ha- k ser. 8. in
bere prouidentiam rerum omnium, speciatimque subcælestium, ac humana- cant.
rum, clarissime profitetur Aristoteles alibi dicens, (q) *Vniuersa tum ex Deo,* de an. c. 1.
tum per Deum constituta fuisse, atque coagmentata: nullamque naturam satis in- * Hexam.
structam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium sua ipsa demum tutela per- c. 1.
missa sit: adeoque singula gubernari a diuina prouidentia. & mox D. Tho- l Gen. 1.
mæ consentiens, (r) asserenti Deum per ministros curam habere ac proui- m 1. p. q. 43
dentiam rerum nostratium, proposito exemplo Regis, qui per ministros sin- ar. 2. 6. 7. 8.
gulis amplissimi regni partibus ac subditis bene prouidet, addit Aristoteles; n Apoc. 22
Quare augustius id, decentiusque existimandum est, Deum summo in loco ita esse col- o 10. Ethi.
locatum, numinis vt tamen eius vis per vniuersum mundum pertinens, tum Solem, c. 8.
Lunamque moueat; tum cælum omne circumagat; simulque caussam præbeat rerum, p cap. 1.
quæ in terra sunt, salutis atque incolumitatis. & adhuc infra. *Deus vniuersum* q de mund.
mundum moderatur & regit. & paullo post. *Quum ab vna vi Diuina impul-* c. 7.
trice cieantur omnia; fit vtique quod cuique commodum est ac conueniens. & dein- r 1. p. q. 22.
ceps, *Atque ea quidem, quæ in aere fiunt, quoquomodo affecto, quæ in terra, quæ in* ar. 3.
aqua, ea certe Dei opera esse merito dixerimus; Dei inquam opera eum imperio summo
mundum ac pro potestate obtinentis; ex quo Deo, vt inquit Empedocles physicus,

,, Omnia quotquot erunt, quot sunt præsentia, quotque
,, Orta fuere ante hac, stirpes, hominesque, feræque,
,, Inde etiam volucres, piscesque humoris alumni.

& inferius, *Vt vero summatim iam loquamur, quod in naui gubernator est, quod in*
curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & dux in exer-
citu; hoc Deus est in Mundo. An non regit cum prouidentia nauim guberna-
tor? currum agitator? chorum præcentor? dux exercitum? & lex ciuita-
tem? De ceteris quidem id apertissimum est vnicuique; De lege vero dicit

(s) 5. ethic. c. 1. hoc (s) Aristoteles, *Leges autem de omnibus prascribunt, ea spectantes qua vel communiter omnibus conferunt, vel optimis quibusque, vel principalibus, qui scilicet aut virtute, aut tali aliquo modo huiusmodi fuerint: atque ita vno quidem modo ea iusta dicimus, qua felicitatem eiusque partes ciuili societati & efficiunt & conseruant. Quin etiam lex pracipit & id quod fortis viri opus est, vt non deserere ordines, non fugere, non abijcere arma: & id quod est temperantis, vt non committere adulterium, non contumeliose se gerere; & id quod est mansueti, vt non verberare, non maledicere: simili modo qua que secundum alias virtutes & vitia alia iubet, alia prohibet; ac recta quidem lex est, qua recte; mala, qua tumultuarie posita est.* Ex quibus apparet Aristotelem veræ pietati plurimum adhærere tum legem approbans, quæ nostri continet fere præcepta Decalogi; tum clare decernens Deum omnia cum prouidentia gubernare. Quod & paullo post euidentissime fatetur

(t) de mund. cap. 7. inquiens, (t) *Vnus porro Deus quum sit, pluribus nominibus appellatus est; ab ijs vtique suis omnibus effectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet.* & mox. *Quin & Frugiperens, & Custos urbium vocitatur, & Natalitius, Septitius, Cortalis, Gentilitius, & Patrius: videlicet a communione, qua Diuino ipsi numini ijs cum rebus intercedit. Ad hac Sodalitius, & Amicitia prases, tum Hospitalis, Castrensis, Trophaalis, Expiator, Sanguinarius, Supplex, & Placabilis, vt Poeta loquuntur. Denique Seruator dicitur, & Assertor: & (vt semel omnia complectar) Calestis, & Terrenus, ab omni natura sorteque nomen adeptus, vt pote qui omnium rerum autor sit. Quamobrem qua de ipso in Orphicis carminibus dicta sunt, haud quaquam perperam dicta sunt.* & vlterius, *Quin & Mairam id est Sortem, appellatum eundem Deum a partitione rerum dixerunt; & Nemesin, quasi potestatem Diuinam eius, quod visum est cuique distributricem: Adrasteian etiam, quasi caussam quamdam natura comparatam, quam fallere nemo queat, aut vitare.* ac demum, *Enimvero Deus (vt est vetusto verbo proditum) principium, & finem, & media rerum omnium tenens, recta que linea incedens, operatur illa quidem secundum naturam, e vestigio comitem habens iustitia prasidem, quam Dicen nominauerunt, diuina legis vindicem, simul vt quicquam sanctionum eius pratermissum est.* Quibus luce meridiana clarius est, Aristotelem opinari Deum omnia gubernare cum prouidentia. Deinceps agens Aristoteles de amicitia morali ad legalis, quæ ciuilis etiam nuncupatur, comparationem, confert eam amori, quo Deus

(u) 7. Eude. cap. 13. homines prosequitur, inquiens, (u) *Moralem igitur secundum electionem esse patet, (non ex pacto, vt ciuilis esse dicta est antea) quoniam etsi magnis beneficijs acceptis vel ob facultatum penuriam non rependit, sed quantum potuit, prastitit, recte habet. Atque ita Deus pro facultatum modulo nostrarum sacrificia nostra estimat, verum emenst, & ad vsuram danti, nisi amplius istinc prouenturum pollicerare, non sufficerit: vnde multa accusationes in amicos oriuntur.* Quem locum Aristotelis D. Hieronymus super Amos celebrat inquiens, *Deus non sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium merita caussasque dijudicat: vnde vidua, qua duo minuta in corbonam misit, omnibus prafertur, qui animalia pinguissima, & hostias modulatas se offerre credebant.* Hanc sententiam pulchre versibus expressit Ouidius in

(x) lib. 3. eleg. 4. (x) Ponto concinens,

„ Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas:
„ Hac ego contentos auguror esse Deos.

Hæc

" Hæc facit vt veniat pauper quoque gratus ad aram,
" Et placeat cæso non minus agna boue.

Profecto nisi Deus nostrarum rerum curam haberet Aristoteli, eidem Deus non æstimaret pro modulo facultatum nostrarum nostra sacrificia, quæ illi pro beneficijs ab eo susceptis facere solemus. Vlterius idem Aristoteles alibi scribens, (x) *Neque enim quod pro dignitate fit, in omnibus est: sicut in honoribus, qui Dijs, aut parentibus exhibentur: nemo enim referre his dignam gratiam posset: sed qui pro viribus colit, is esse probus videtur*: apertissime Dei prouidentiam fatetur, Deumque rerum humanarum curam habere statuit; siquidem gratiæ non referuntur nisi pro beneficijs acceptis; & beneficia non accipimus ab ijs, qui rerum nostrarum curam non habent. Immo vero Deum parenti comparans Aristoteles in proposito, manifeste nobis indicat Deum nostra gubernare, vt pater cum prouidentia filios gubernat. Amplius Aristoteles asserens, (y) *Quum ergo tanta adhibeatur cura pro corporis esca, quid pro liberis, & matre educatrice? non ne protinus omne studium fuerit adhibendum? hoc enim solo hominum conditio mortalis per successionem sempiternitatem consequitur; omniaque parentum vota huc tendunt: quamobrem qui ista negligit, & Deos ipsos videtur negligere, quibus præsentibus sacra fecit, & vxorem duxit, ac multo magis se post parentes vxori tradit ad honorem*: non ne fatetur Deum vbique præsentem interesse rebus humanis, ac earum curam & prouidentiam habere? non ne statuit ab hominibus Deo sacra fieri debere ob suscepta a Deo beneficia? Idipsum paullo post apertissime profert, dum laudat Homerum precibus a Deo flagitantem sibi bona domestica, sub Vlyssis persona dicens, (z) *In oratione quoque illa, quam habuit ad Nausicaam, apparet Poetam maxime probare viri & vxoris pudicam societatem: precatus est enim Deos, vt darent illi virum, & familiam, & vnanimitatem cum viro, non quamlibet, sed honestam*: Quid enim opus est homines precari Deum vt sibi det bona, si Deus humanarum rerum curam & prouidentiam non habet? Paullo post etiam in eamdem sententiam scribit Aristoteles, agens de officijs viri & vxoris in familiæ gubernatione, (a) *In quibus qui superauerit, maximum præmium a Dijs consequitur, vt Pindarus inquit, Dulce enim sibi cor, & spes mortalium multiplicem alit voluntatem: secundum vero a filijs in senectutem feliciter educari. Quapropter & priuatim & publice decet eum, qui vitam gerit, ad omnes Deos, hominesque respicere, multumque & ad vxorem, & ad filios, & parentes*. Quæ sane perperam dicerentur ab eo, qui non censeret Deum cum prouidentia gubernare res humanas. Verum & opere confessus est Aristoteles, nedum lingua, Deum habere curam rerum humanarum, dum pro salute Generi sui ægrotantis Deo votum fecit, vt aperte testatur Marsilius Ficinus in epistola, quam scribit ad Franciscum Marescalchum inquiens, (b) *Librum de Christiana religione nondum absolui, Francisce, quia dum emendarim hoc Augusto in febrem incidi, atque diariam. Minabatur id forte mihi Saturnus hoc anno, qui & in mea Natiuitatis ascendente Aquario ab initio fuerat, & ijs temporibus est in Cancro domo mea Natiuitatis sexta. Missa nunc faciamus cælestia: sunt enim qui talia paruifaciant: ad supercælestia veniamus. Quod ergo mihi in hoc morbo contigit, audi: In tantam, Marescalche, debilitatem quandoque prolapsus sum, ut salutem pene iam desperarem.*

x 8. ethic. cap. 14.

y 2. oecon. cap. 2.

z ibid. c. 3.

a cap. 4.

b lib. 1. epist.

Meditabar igitur quaecumque annis triginta magna legissem, si quid forte mihi occurreret, quod aegrum animum consolaretur. Scriptores humani, exceptis Platonicis, nihil penitus conferebant; Christi autem opera multo magis, quam Philosophorum verba consolabantur. Feci insuper Diuae Mariae vota, signumque salutis aliquod postulaui. Respiraui subito aliquantum, ac manifestum in somnijs nuncium salutis accepi. Non igitur Aesculapio gallum, sed Christo Matrique animum, corpusque debeo. Omnia semper accipienda in melius, Marescalche. Quid si Deus hoc inter morbum signo admonere me voluit, vt acriori posthac ingenio studioque doctrinam Christi confirmem? Praesertim quum paucos post dies etiam ab ardore vrinae voto simili fuerim liberatus. Audi si placet, & aliud mirabile, atque verum. Pater meus Ficinus Chirurgicus Florentiae suo seculo singularis, ductus olim fuit a rustico quodam, nomine Pasquino, ad curandum filium eius, Thomam caput grauissime vulneratum. Medicus inspecto incurabili vulnere, puerum paullo post procul dubio periturum existimans, recessit inde, tanquam non rediturus. Parentes infirmi a Medico destituti, Diuam Mariam pro nati sanitate supplices obsecrarunt. Igitur eadem, qua illi orabant hora Ficino in itinere sub quercu, vel oscitanti, vel certe leuissime dormienti mulier quaedam visa est, aspectu admodum veneranda, ita eum compellans: Quid ingratus erga Deum es Ficine? Quae ab eo gratis accepisti, non das gratis? Respondit ille: Panem do quotidie mendicantibus: Subiunxit illa; Artis quoque tuae munera egentibus abunde largire. Post triduum redijt ad Medicum rusticus ille orans, vt ad filium curandum reuerteretur. Quod quidem valde miratus est Ficinus, iam obijsse illum arbitrabatur. Accessit gratis, tum praeterito somnio, tum voto parentum admonitus. Narrauit enim rusticus quae vota, & qua hora fecisset. Denique puer praeter spem Medici, artemve medendi sanus euasit; ex eo tempore Ficinus saepe pro salute eorum, qui curae suae commissi sunt, vota Mariae fecit, feliciterque successit. Quamobrem amicos tuos admone, ne spernant vota: nam neque Aristoteles quidem in Generi morbo contempsit. 11. Septembris 1474.

At quid vota Deo facit Aristoteles, si Deum nostra curare non censet? Praeterea Philosophus Aristoteles aperte testatur Deum habere prouidentiam & curam rerum humanarum, dum praecipit hominibus vt Deum colant, ac timeant; quid enim eum timere, ac venerari debemus, qui nostra non curat? certe Magister alicubi scribit, (c) *Si quempiam eo vsque feceris intrepidum, vt ne quidem Deos metuat, iam non fortis, sed demens fuerit.* & alibi dominantem

c 1. mag. mor. c. 6.

d 5. polit. cap. 11.

eius describens ait, (d) *Videri etiam oportet ipsum erga religionem Deorum affici vehementer: minus enim formidabunt populi, ne quid contra iustitiam fiat, si religioni deditum illum existimabunt, ac Deorum timorem habere: minusque contra illum audebunt insurgere; quasi Deos habeat propitios & fauentes: Verumtamen oportet sine improbitate talem videri.* Denique vero dicens Aristoteles, (e) *Qui igitur legem praeesse iubent, videntur iubere Deum praeesse, & leges: qui autem hominem iubet praeesse, adiungit & bestiam: libido quippe talis est, atque obliquos agit etiam viros optimos, qui sunt in potestate. ex quo mens absque appetitu lex est.* Sic igitur Aristoteli Deus est lex, quia quicumque vult imperium legis, vult Dei: lex autem est gubernaculum, est consilium, vt ait etiam (f) Steuchus, est prouidentia, rerumque humanarum dispositio. Constat igitur ex his longe lateque de sententia Aristotelis Deum habere prouidentiam rerum

e 3. polit. c. 12.

f 4. de per. phil. c. 16.

 om-

omnium mundanarum, specialimque curam habere rerum humanarum; adeoque hac in re Pium maxime fuisse Aristotelem.

Ab Aristotele cognitum fuisse Deum esse iustum retributorem pœnarum improbis, remuneratoremque bonorum operum, & beatitatis datorem hominibus recte ac honeste viuentibus ab æterno prædestinatis. Cap. IX.

INter articulos Orthodoxæ Fidei vera Pietas Deum credit, & colit Iustum retributorem pœnarum improbis, ac remuneratorem bonarum actionum præmio felicitatis, qua semetipsum fruendum bonis ac beatis mirabiliter elargitur; quos ab æterno prædestinauit. Quam veritatem non latuisse Philosophum Aristotelem pleraque demonstrant eius effata. In primis enim hoc satis expressisse videtur, dum ait, (a) *Enimvero Deus, vt est vetusto verbo proditum) principium, & finem, & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille quidem secundum naturam, e vestigio comitem habens iustitiæ præsidem, quam dicẏn nominauerunt, diuinæ legis vindicem, simul vt quicquam sanctionum eius prætermissum est. Cuius vt sit particeps numinis iam inde oportet ab initio, qui ad vitam beatam euasurus est, atque felicem.* An ne clarius dici poterat, Deum esse iustum vindicem malorum; & proborum hominum opera remunerari felicitate, vitaque beata, quæ consistat in participatione numinis, possessione, fruitioneque Dei? an ne clarius dici poterat, hominem qui ad vitam beatam atque felicem demum euasurus est, oportuisse ab initio participem esse numinis per æternam prædestinationem? An ne clarius dici poterat, hanc doctrinam haberi a sacra pagina, quam ipse vetustum verbum appellat? sunt enim Hebræorum biblia scriptorum omnium vetustissima: nam Græcos suos Aristoteles appellare consueuit maiores, & ab Antiquis (b) contradistinguere. At vero Deum remunerari & amare homines recte honesteque viuentes, & animum maxime colentes, vel spretis corporis & sensuum voluptatibus, aperte satis Aristoteles ipse declarat alibi dicens, (c) *Si igitur intellectus diuinum quid est, si ad hominem respiciamus; sic vita, quæ ex intellectu traducitur, si humanæ vitæ comparetur, diuina etiam ipsa est: Neque vero oportet, quemadmodum nonnulli monent, vnumquemque quum sit homo, humana; & quum sit mortalis, cogitare mortalia: sed quatenus licet, immortalem se reddere omniaque efficere, vt ex præstantissimo omnium, quæ in ipso est, vitam traducat; nam licet id mole sit paruum; vi tamen, & pretio omnia longo interuallo excellit. Id autem esse etiam vnusquisque videretur, siquidem præcipuum & melius est: quocirca absurdum esset, si non suam quisque, sed alicuius alterius vitam expeteret. Quodque dictum superius est, nunc etiam conueniet: quod enim natura vniuscuiusque est accommodatum, id præstantissimum, ac iucundissimum vnicuique est: ergo etiam homini vita, quæ ex intellectu traducitur: siquidem maxime id homo est.* An non hæc eruta videntur ex intimis Theologiæ practicæ, moralisve penetralibus? qua passim apud sanctos patres suademur, ne corporis voluptatibus operam demus; vt mortalia & caduca bona despiciamus; vt incumbamus toti vnius ani-

a de mund. c. 7. in f.

b 2. cœl. t. 2.

c 10. ethic. cap. 7.

animæ nostræ rationalis culturæ. Sed addit paullo post Aristoteles ad principale nostrum institutum attinentia, (d cap. 8. in f.) (*d*) *At qui ex intellectu operatur, huncque excolit, atque optime afficit; is esse Deo carissimus videtur: nam si aliquam humanarum rerum curam Dij habent, sicut videtur; consentaneum est ipsos re illa, quæ optima est, atque ipsis maxime cognata, delectari, qui est intellectus; eosque, qui eam maxime amant, remunerari; vt pote qui eorum, quæ ipsis sunt amica, curam habeant, recteque, & honeste agant: Hæc autem omnia sapienti maxime inesse, obscurum non est; is igitur est Deo carissimus: eundemque esse etiam felicissimum verisimile est. Quare ita quoque efficitur, vt sapiens maxime felix sit.* Quæ omnia videtur Aristoteles e sacro Sapientię libro desumpsisse, vbi scriptum legimus; (* cap. 1.) (*) *Peruersæ cogitationes separant a Deo; probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur a superueniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiæ, & non liberabit maledictum a labijs suis; quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor.* & inferius, (e cap. 7.) (*e*) *Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ; & præposui illam regnis & sedibus; & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius: nec comparaui illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua: & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam; quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus; quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam quoniam bonorum omnium mater est.* (ecce felicitatem, quæ definitur aggregatio bonorum omnium, sapienti inesse) & mox. *Amicos Dei, & prophetas constituit* sapientia: *Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat.* (f cap. 8.) & mox. (*f*) *Generositatem illius,* i. sapientiæ, *glorificat contubernium habens Dei: sed & omnium Dominus dilexit illam.* Quibus consentientia maxime paullo antea dixerat Aristoteles inquiens, (g 10. ethic. cap. 7.) (*g*) *Intellectus vero operatio tum studio præstare, quum contemplatiua sit; tum appetere præter seipsam finem nullum videtur, habereque voluptatem propriam, quæ operationem ipsam auget: & sufficientia quoque, & ociositas, & indefatigabilitas, vt pote humana, & quæcumque alia beato attribuuntur, ex hac operatione videntur existere; perfecta sane felicitas hæc hominis est, vbi vitæ longitudinem perfectam est nacta: nihil enim eorum, quæ sunt felicitatis, imperfectum est. Ac talis quidem vita præstantior esset, quam homini conueniat; non enim quatenus homo est, ita viuet; sed quatenus diuinum quid in ipso inest: quanto autem id præstat composito, tanto quoque eius operatio ab operatione distat, quæ ex virtute alia existit. Si igitur intellectus diuinum quid est,* &c. quæ paullo antea retulimus. Sed & priorem (h 10. ethic. l. 13. in f.) locum Aristotelis (*h*) D. Thomas explicans, nobisque consentiens, ait Aristotelem ponere probum ac sapientem hominem esse felicem, Deo simillimum, & a Deo amari maxime; Deumque curam habere, ac prouidentiam rerum humanarum; ait enim citatis verbis, Aristoteles *Ostendit quomodo felix se habeat ad superiora, scilicet ad Deum, & dicit quod felix felicitate speculatiua, quia operatur secundum intellectum contemplando veritatem, & curam suam apponit*

ad

ad bona intellectus, videtur esse optime dispositus in quantum excellit in eo quod optimum hominis est; & est amantissimus Deo: supposito enim, sicut rei veritas habet, quod Deus habeat curam & prouidentiam de rebus humanis, rationabile est quod delectetur circa homines de eo, quod est optimum in eis, & quod est cognatissimum, id est simillimum Deo: quod quidem est intellectus, vt ex præmissis patet: & per consequens rationabile est quod Deus maxime benefaciat his, qui amant intellectum & honorant, ipsum bonum intellectus omnibus alijs præferentes: quod ipsi Dij curent de his, qui recte & bene operantur. Manifestum est autem quod omnia prædicta conueniunt sapienti, sapiens enim diligit & honorat intellectum, qui maxime amatur a Deo inter res humanas. Sapiens etiam bene & recte operatur. Relinquitur ergo quod ipse sit Deo amantissimus. Ille autem est felicissimus, qui maxime amatur a Deo, qui est fons omnium bonorum. Relinquitur etiam secundum hoc, quod quia felicitas hominis dicitur esse per hoc, quod amatur a Deo, quod sapiens est maxime felix: ex quo patet quod vltimam felicitatem humanam ponit Aristoteles in operatione sapientiæ; de qua supra in sexto determinauit; non autem in continuatione ad intellectum agentem, vt quidam fingunt. Attendendum etiam quod in hac vita non ponit perfectam felicitatem; sed talem, qualis potest competere humanæ & mortali vitæ: vnde & supra in primo dixit, beatos autem vt homines &c. Quo quid magis ad veram pietatem accedere potest? nam & ex sacra pagina, & ex Theologia scholastica passim docemur, Deum probis & sapientibus tum in hac vita mortali bonorum omnium corporalium affluentiam, tum in alia perfectam felicitatem tribuere. Sed & hunc Aristotelis locum Eustratius nobis itidem consentanea scribens aperit ita, *Quum demonstrauerit Aristoteles contemplatiuam felicem, optimum, atque honestissimum, atque ex sese sufficientissimum esse: & cætera omnia habere, quæ dicta iam sunt: eundem Deo quoque carissimum ostendit. Deo carissimus autem, idest Theophilestatos, is est, quem Deus amat, sicut Philotheotatos, qui Deicola est, & Deum maxime amat. Inquit igitur, si curam hominum habet: hisque prouidet Deus, quemadmodum optimis quibusque philosophis placet, atque esse verum videtur; eum re optima, & maxime sibi cognata delectari verisimile est: optima autem res & maxime Deo cognata intellectus noster est. Gaudet siquidem Deus omnibus a se effectis rebus, vt pote quæ valde bona sint; intellectu tamen præcipue, eo quod maxime sibi est cognatus, oblectatur: cognatus vero Deo est intellectus, non substantia & essentia, sed eo quod ea natura est præditus, vt in seipsum reflecti possit, seque ipsum contemplari: atque ita ex ea in seipsum collectione in Deum quoque ipsum, a quo amatur, sublatus, deificetur, id est Deo similis, quoad eius fieri potest efficiatur. Cognatus igitur Deo vniuscuiusque nostrum intellectus est ex operationis similitudine: nam sicut ille seipsum intelligit ita nosmetipsos nos inspicimus, quum supra imaginandi facultatem euaserimus. Quod si cognatus intellectus noster Deo est, consentaneum est vt amantes eum atque honorantes Deus amet, ac remuneret. Amat autem cognatum Deo intellectum ille, qui totam virtutem complexus, multiplices appetitus, innatosque sensus, vt pote qui cogitationem decipiant, necnon imaginationes, quæ formant nobis partiunturque res ipsas, immensamque varietatem inducunt, effugit: auersatus item est opiniones, quæ variæ etiam ipsæ quum sint, ad externa feruntur, sensui & imaginationi coniunctæ: omnis enim opinio cum irrationali sensu & imaginatione operatur: tum ad scientiam & intellectum, atque inde ad intellectualem vitam.*

tam, simplicesque rerum appulsiones attollitur; quo quum peruenit, puras inde illustrationes sinceras que admittit. Hæc enim est remuneratio, qua eos, qui animum sibi cognatum amant & colunt, Deus prosequitur, quod clariore luce cognitionis illustrantur perfectioreque cum eo nexu coniunctis intellectuales naturas speculantur. Quæ remuneratio, siue sit in patria clara & beatifica Dei visio; siue sit in via reuelatio, quam hominibus dedit etiam (*i*) Aristoteles, vt infra latius apparebit, arguit Aristotelem de pietate bene sentire. Subdit autem Eustratius Aristotelis locum explicans, *Si nos, inquit, eos amamus, qui filios nostros, nobisque cognatos diligunt; quanto magis conuenit vt qui bonitatis omnis fons est Deus, amore eos prosequatur, qui rem ipsi cognatam amant atque excolunt? quisnam autem sit hic amor & cultus intellectus, declarat quum subiungit, recteque & honeste agunt, perinde ac si diceret, Amare intellectum nihil aliud est quam recte agere, & secundum omnes virtutes, tam actiuas, quam rationales operari.* Ceterum remuneratio, quam homo recte honesteque degens, operatus secundum omnes virtutes tam morales, quam intellectuales, a Deo adipiscitur, nulla est alia, quam omnium bonorum, tam corporalium, quam spiritualium, affluentia: qua de re præclarum alibi testimonium Aristotelis habemus, dum pie negans diuinitatem Fortunæ, a cæca Gentilitate inter numina cultæ, scribit in hanc sententiam, *At nunquid secunda Fortuna est, vt Deorum quadam cura? An id minime videri debet: talium siquidem dominum præficimus Deum, vt bona malaque meritis distribuat: at Fortuna & quæ a Fortuna, tam vere quam vt sors tulerit, fiunt: quod si huiusmodi distributori Deo adscripserimus, malum ipsum iudicem faciemus, neque iustum: id nefas Deo deputare:* quo quid magis pium ab orthodoxo Theologo nostro dici potest? Addit autem Aristoteles in eodem proposito. *Ceterum præter hæc, ad nihil aliud Fortunam quispiam ordinarit: proinde non dubium quin horum aliquid sit: mens certe, ac ratio, nec non scientia prorsus alienum ab hoc esse videtur: præterea neque cura, neque beneuolentia, quæ a Deo, videatur esse felicitas,* seu prospera fortuna; *quoniam malis attribuitur: atqui Deum malorum curam habere* cum beneuolentia *fas non est.* Diuites enim improbos, Deique contemptores esse constat vt plurimum ex eo, quod vel ipse Saluator Dominus asseruit, (*l*) *facilius esse camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum:* præclareque secum agi putant plerique diuites, quod aliquem trucidarint, opes auxerint (vt obseruat etiam (*m*) Steuchus) quorum a Deo nihil est: non enim malarum rerum Deus est largitor, sed bonarum: a quo tametsi proficiscuntur omnia, vera tamen eius beneuolentia, vt Aristoteles ait, erga bonos dumtaxat: Nec, (*n*) *si Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos,* nullo discrimine id facit, sed propter bonos benefacit malis: Omninoque Aristoteles sentit caducarum rerum, temerariamque istam felicitatem, neminem debere Diuinæ erga se beneuolentiæ ascribere: quia datur æque malis, atque bonis; sæpius etiam malis: quoniam, inquit, quæ vulgo putantur bona, & quibus apud plebem solent homines fortunati vocari, eueniunt sine discrimine bonis, & malis; non sunt, quibus ea contigerunt, amici, gratique Deo dicendi; vt sit eadem ratio conciliandæ charitatis diuinæ, atque consequendorum terrenorum bonorum. Ipse enim etiam dicit, (*o*) *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem*

i 2. cæl. t. 34

k 2. mag. mor. c. 9.

l Matth. 19 Marc. 10.

m 4 de per. phil. c. 9.

n Matth. 5

o Ioã. 15. & ep. 1. c. 3.

vnde vobis adueniunt. & , (p) *Odisti obseruantes vanitatem*. Non amantur igi- p psal. 30.
tur improbi a Deo, inquit Aristoteles : si non amantur, bona quæ sunt con-secuti, non omnino eius beneuolentia sunt assecuti, sed ipso conniuente, & sinente : multo enim largitur amicis suis meliora. Quos igitur fortunatos aspexeris, non continuo amicos Dei, & quibus Deus faueat, arbitreris ; sed scito hæc accidere, fierique eo conniuente. Subijcit Aristoteles, Bona, & mala meritis a Deo dari : hunc ordinem esse prouidentiæ, vt dentur bonis bona, mala malis. Quod si terrena bona, quæ dicuntur *Eutichias*, temera-rie contingunt, idest, casu quodam, & fortuito, quid superest quod detur a Deo, certo discrimine bonis, & malis ? Nam largitio, inquit, rerum for-tuitarum non est recta a Deo : ergo quod dat Deus, maius sit quam quæ sint in potestate Fortunæ, necesse est : in potestate Fortunæ sunt vires corporis, forma, opes, a bonis, & a malis æque possessæ : igitur, quid mali dabitur a Deo malis, boni bonis, si sunt ea fortuita, & in potestate Fortunæ ? & tamen Aristoteles fatetur, *Ton gar theon axiumen cyrion ton toiuton, tois axiois aponemein, ta tagatha, ta tacaca* : *Existimamus enim Deum, penes quem sunt ista, meritis tribuere bona, & mala* : nulla igitur supersunt mala, & bona, quæ dentur a Deo: eadem siquidem ratione quum videam bonis esse mala, dicam fortuito id fieri, & quum dicas bene fieri bonis a Deo ; verum miserijs & incommodis æque atque improbi, sæpe magis subiaceant boni, quid super-est quod detur vtrisque pro meritis ? Cogimur ergo hæc ad alia bona, & mala, quam præsentia, quæ fortuito danur, referre, maiora videlicet, & æterna, quod Aristoteles quadam mentis diuinitate fortasse perspexit. Ob-serua etiam quod nefas esse dicit, Vt Deum faciamus iniustum, aut impro-bum iudicem. Itemque obserua, quod ait non esse verisimile, Deum cura-re improbos : ergo ex aduerso est verisimile eum diligere bonos : quod ipse euidentissime confessus est in decimo, vt superius ostendi. Hic inquit, non est verisimile, improbis Deum consulere. Deinde putamus eum tribuere malis mala. In decimo autem Moralium dicebar, si Dij mortalia curant, vt probabile est, & euidens, verisimile est bonos, beneque & probe viuentes eos tedamare. Aperta igitur est ratio prouidentiæ, claraque confessio, Deum cuiusque merita respicere, dantem bona bonis, mala malis, reijcien-da in aliud tempus, diligentiusque iudicanda, quoniam præsentia fere sine discrimine. Atque hoc loco, clarissime non est Deus ille motor cæli, aut vlla Planetarum Intelligentia, sed quidam vniuersalis Deus, non cælum tantum mouens, verum etiam respiciens & intuens res humanas, ponderansque me-rita cuiusque. Considera enim, si negat Aristoteles fortuita bona debere referri in Deum, quoniam malis, & bonis accidant ; a motu autem cæli non datur nisi vita corporea, qua mali, & boni æque fruuntur : certe si Deus, cæli motor non alia bona largitur, quam corporea, & vniuersalia, non distin-guens merita cuiusquam, sed vitam æque suppetens omnibus, meritorum pondera non attendat : Datur igitur aliud, autore Aristotele, in quo Proui-dentia eius distinguatur, distinguantur mali a bonis : super quibus æque Sol lucet, pluit æque. Motor igitur ille Deus, curat etiam alia longe maio-ris Sapientiæ : nam mouere Solem, & sidera, solum ad vitam corpoream

pertinet; at in nobis non est solum corporaliter viuere: eoque necesse est, non illam cæli Intelligentiam hunc Deum esse, quem nunc dicit; aut illum quidem, sed non cælum dumtaxat mouentem, verum etiam humana gubernantem. Hæc propositum locum Aristotelis explicans, nobisque mire consentiens attulit egregius Theologus. Ad hoc idem facere videntur & illa,
q 2. rhet. cap. 5. quæ scribit alio loco Magister inquiens, (q) *Et vniuersaliter* homines omni timore carere, *si pij in Deos sunt; & tam ad cetera, quæ Dijs attribuuntur, bene se habeant, quam ad omina, & oracula: nam ira eiusmodi est, vt eo confidere possint: non afficere autem iniurijs, sed affici, ira effectiuum est. Porro Deus iniuria vexatis opitulari creditur.* Non aliter in sacra pagina loqui Deus ipse videtur, dum
r Deut. 32. ait, (r) *Mihi vindictam, & ego retribuam.* & alibi, (s) *Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.* (t) *Non irrideas hominem in amaritudine animæ; est enim qui humiliat, & exaltat, circumspector Deus.* (u) *Qui vindicari vult, a Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit.*
s psl. 139.
t Ecclesiastic. 7.
u cap. 28. Sic igitur Aristoteles sacræ paginæ consentientia scribens ait Deum esse iustum iudicem, vnicuique pro meritis bonorum, & malorum distributorem, & iniuria vexatorum opitulatorem.

Aristotelem Dei cultum in primis præcepisse.
Cap. X.

Sed & ab Aristotele Dei cultum hominibus præceptum fuisse, Deumque metuendum decreto Philosophi, non vnum est quod aperte declaret.
a 1. mag. mor. c. 6. In primis quidem illud, quo scribit Aristoteles, (a) *Si quempiam conspexeris intrepidum, vt ne quidem Deos metuat, is iam non fortis, sed demens fuerit.* Deinde vero tractans de modo, quo se se gerere debet Princeps erga subditos
b 5. polit. cap. 11. inquit, (b) *Videri oportet ipsum erga Religionem Deorum affici vehementer: minus enim formidabunt populi ne quid contra iustitiam fiat, si religioni deditum illum existimabunt, ac Deorum timorem habere; minusque contra illum audebunt insurgere, qui Deos habeat propitios, & fauentes: verumtamen oportet sine improbitate talem videri.* Quem locum Theologus pius ille Steuchus explicans, post multa scri-
c 4. de per. phil. c. 18. in f. bit (c) concludens, *Laudauit igitur Aristoteles religionem, eamque Principes dixit colere oportere, vtilemque esse: Et quod dixit præstare eum eo decere, videri, apparere, designat cerni, cognosci, intelligi, sentiri, vt denotent religionem perspicuam, exploratam, quam populus cernat, habeatque perceptam, cuius exemplo fiat Princeps venerabilior. Hoc enim est, quod superius dicebat, Deos curare res humanas.* Et sane præceptum hoc hausit Aristoteles e sacra pagina, in qua legitur de Salomone post admirabile iudicium inter duas illas mulierculas de puero viuo liti-
* 3. Reg. c. 3. gantes, (*) *Audiuit itaque omnis Israel iudicium, quod iudicasset Rex: & timuerunt videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.* Sed & hic ait oportere Principem videri valde religioni deditum sine improbitate, scilicet vere Dei cultorem maximum, non autem simulare se Deum colere. Deinceps
d 1. top. cap. 9. autem ait Aristoteles, (d) *Qui dubitant vtrum oporteat Deos honorare, & parentes diligere, pœna indigent.* non ne sunt hæc duo summa præcepta Decalogi?

(e) Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis, e Exod.20.
non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile. Honora patrem tuum, Deuter.5.
& matrem tuam, vt sis longæuus super terram. nonne ab his duobus manda-
tis tota lex Diuina pendet? *(f) Interrogauit Iesum vnus ex Pharisæis, legis do-* f Matt.22.
ctor, tentans eum, Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus, Di- Marc.12.
liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente Luc.10.
tua; hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic;
Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pen-
det & prophetæ. Cui dogmati consimile proposuit alibi scribens Aristote-
les, *(g) Necui enim quod pro dignitate sit, in omnibus est; sicut in honoribus, qui* g 8. ethic.
Dijs, aut parentibus exhibentur: nemo enim referre his dignam gratiam possit; sed c.14.
qui pro viribus colit, is esse probus videtur. & paullo post, *(h) Honor quoque pa-* h 9.eth.c.2
rentibus, quemadmodum Dijs exhibendus est. Quæ loca D. ipse Thomas expli-
cans ait, *(i) Aristoteles probat quod sufficiat rependere quod contingit; quia amicitia* i 8.ethic.
requirit id quod est possibile amico; non autem semper id quod esset dignum; quia le.14.
quandoque omnino esset impossibile; non enim potest in omnibus beneficijs retribui
condignus honor; sicut patet in honoribus, qui exhibentur Deo, & parentibus; qui-
bus nullus potest aliquando retribuere condignum: tamen si aliquis famulatur Deo,
& parentibus sicut cum suam potentiam, videtur esse epyeikes, id est, virtuosus.
Cæterum quod ibidem (k) ait Aristoteles, *Non omnia igitur omnibus esse retri-* k 9.ethic.
buenda, neque patri omnia; quemadmodum neque Ioui omnia sacrificantur, obscurum c.2.
minime est delectum victimarum summo Deo in veteri lege offerendarum at-
tingit; de quo legimus, *(l) Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens, Loquere ad* Leuit.22.
Aaron, & filios eius, & ad omnes filios Israel, dicesque ad eos, Homo de domo Israel,
& de aduenis, qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota sol-
uens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, vt offera-
tur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, & ex ouibus, & ex capris: si macu-
lam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile. Homo qui obtulerit victimam pa-
cificorum Domino, vel vota soluens, vel sponte offerens, tam de bobus, quam de ouibus,
immaculatum offeret, vt acceptabile sit: omnis macula non erit in eo: si cæcum fue-
rit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem;
non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini. Bouem & ouem
aure, & cauda amputatis, voluntarie offerre potes: votum autem ex his solui non
potest. Omne animal, quod vel contritis, vel tunsis, vel sectis ablatisque testiculis est,
non offeretis Domino, & in terra vestra hoc omnino ne faciatis. Quem locum Ari-
stotelis Eustratius in eamdem sententiam explicat inquiens, *(m) Quemadmo-* m 9. ethic.
dum, inquit, non omnia Ioui immolantur: nonnulla enim erant, quæ Ioui sacrificare c.2.
Græci nefas existimabant, vt canes, serpentes, & alia complura; quæ Ioui offerre esse
impium videbatur, qui apud Græcos pater est hominum, Deorumque: quem morem
ab Hebræis Græci videntur hausisse; nam & hæc erant animalia immunda
in Hebræorum lege a cibis eorum, proindeque a sacrificijs, quæ vero Deo
fieri solebant, abdicata; *(n) Quicquid autem ruminat, & habet vngulam, sed non* n Leuit.11
diuidit eam, sicut camelus, & cætera, non comedetis illud; & inter immunda reputa- Deut.14.
bitis. Chœrogrillus, qui ruminat, vngulamque non diuidit, immundus est: lepus quo-
que, nam & ipse ruminat, sed vngulam non diuidit: & sus, qui vngulam diuidit, non

ruminat; horum carnibus non vescemini, nec cadauera contingetis, quia immunda sunt vobis. Et multo ante, (o) *Aedificauit autem Noe altare Domino; & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suauitatis*. Quod si lubet huius loci Aristotelici explicationem habere a D. Thoma dicente, (p) *Dicit ergo primo, non esse immanifestum quod non sunt eadem omnibus reddenda: vnde nec patri sunt reddenda omnia, sicut nec apud Gentiles omnia sacrificantur Ioui, sed quadam alijs Dijs*: non inepte potuit his Aristoteles indicare longe diuersum cultum exhibendum esse Deo summo, quem Iouem appellat, & alium Intelligentijs secundis, quas Deos participatione vocat, vt (q) vidimus ex (r) D. Paulo, & (s) Dionysio Areopagita; sic enim & orthodoxa Fides Deo summo cultum Latriæ tribuit, Angelis, & alijs Sanctis Duliæ, vel Hiperduliæ cultum exhibet, vt constat apud (t) D. Thomam. Denique vero constituens Aristoteles partes ciuitatis optimæ gubernatæ necessarias, principem locum assignauit religioni, ac diuino cultui dicens, (u) *Considerandum autem est, quot sint illa, sine quibus ciuitas esse non potest: nam quas dicimus esse ciuitatis partes, eas necessarium est in istis esse. Capiendus est igitur operum numerus: ex his enim id apparebit. Primum igitur debent existere alimenta: deinde artes; multis enim instrumentis indiget vita: tertium arma; nam qui simul in communione viuunt, necessarium est in ipsis habere arma, quibus & magistratibus parere inobedientes compellantur, & quibus vim propulsetur externa; Praeterea pecuniarum habendarum facultas quadam, quo illas habere possint & ad proprias indigentias, & ad bellum: Quintum ac primum, circa rem diuinam cultus, quod vocant sacrificium; Sextum, quod est omnium summe necessarium, iudicium pro vtilitate & iustitia contrahentium. Hac sunt igitur opera, quibus indiget ciuitas omnis*. Quum ergo Principem locum in ciuitate optime gubernata dederit Aristoteles diuino cultui; quis eius pietatem non suspiciat, & religionem non exosculetur? & paullo post in eamdem sententiam inquit, (x) *Reliquum est ex his, qui supra numerati sunt, genus sacerdotum esse, quorum institutio manifesta est: neque enim agricola, neque artifex, neque vllum exercitiorum quisquam sacerdos est deputandus: honos enim Dijs est a ciuibus impendendus: sed cum distincti sint ciues in partes duas, hoc est in eos, qui arma tenent, & in eos, qui consultant; & decens sit Dijs cultum exhibere, & requiem suscipere eos, qui pro tempora in his laborauerunt ac defessi sunt, his vtique esset sacrorum cura demandanda*. Quam Aristotelis doctrinam Theologorum nostratium explicans (y) Steuchus, optime, vt solet, inquit, *Quis non mirabitur item Aristotelem cum priscis Philosophis* (inter quos Philo Mosen, & Abrahamum numerat) *cum sapientibus omnibus tam mirifice, tam vnanimiter, manibus pedibusque tendere in eum sensum ac sapientiam, quam nostra semper ingerit religio? Deum oportere colere*, (z) *primumque regnum calorum esse quarendum. Hoc Aristotele asseuerante, quid aliud sentire cogemur, & interpretari, quam eum cogitasse, ac sensisse pietatem omnium rerum optimam? cui multa alia necessaria coherent. In libris igitur de Republica, quum de his ageret, qua sint in ciuitate & Republica necessaria, primumque alimentum numerasset, tum artes, tertio arma, quarto copiam aliquam pecuniarum, subijcit, Quintum & primum cultus Dei, quam religionem vocant. Paullo post, A ciuibus enim conuenit coli Deos. Et, Conuenit cultum reddere*

o Genes. 8.
p 9. Ethic. l. 2.
q cap. 1.
r 1. Cor. 8.
s de Diuin. nom.
t 2. 2. q. 103 ar. 3. & 4.
u 7. polit. cap. 8.
x cap. 9.
y 4. de per. phil. c. 21.
z Matth. 6.

tis Dijs. Primum, inquit, locum habeat in ciuitate cultus Dei; nam to theion, est numen; quod etsi in multos competat, vt sanctitas, est tamen pracipuum singulare Dei nomen sicut Deus, & quemadmodum sapissime locutus est idem. Quare igitur eo primum, cur cultus numinis sit ex his, qua sunt in ciuitate necessaria, aut sine quibus, vt ipse loquitur, res publica non possit consistere? Iam quid sit illud Numen, cuius in ciuitate cultus sit necessarius; certum igitur Aristotelem aiturum, quum primum in Republica fateatur esse cultum Dei, quod Christus dixit, Primum quarite regnum Dei: siquidem & ipse quum de his loqueretur, qua fiunt in omni vita humana, praposuit omnibus, vt quareremus regnum Dei: id omnes communi consensu pietatem sentiunt, & interpretantur. Hanc autem quum sentiant omnes regnum Dei appellatam, palam est ideo pietatem primum exercendam esse, quia per eam ad pramium caleste peruenitur. Aut si non tam alte suspexit Aristoteles, superest vt primum in ciuitate locum dederit pietati, ob maximam aliquam aquitatem, ac iustitiam. Si colendus est enim, & qui eum colunt operantur iustissime, faciuntque id quod est pracipuum in ciuitate: iustitia autem posita est in dando & accipiendo; ciues iubentur reddere, reddentesque dicuntur agere iustissime; necesse est pietatem, siue cultum Dei, maximo debito respondere, ob maxima beneficia: Quanam igitur alia hac esse possunt, quam ea qua superius dixit Aristoteles? quod continet vniuersum, regitque Deus; quod humana corpora creauit, inquit sexus varietatem, vt nasceremur instinxit; quod animos exterius immisit: Qui enim, vtrumque sexum, vt nasceremur, qui postea nati sunt, aptauit, distinxit, is vtique autor fuit, vt nati sint omnes, qui postea nati sunt; atque tanquam autori, & qui parauerit, vt nasceremur, omnes debemus perpetuas grates. Triaque maxima beneficia doceo, ipso autore, nobis a Deo largiri: quod ab eo nati sumus, idest prouidentia eius corpus effectum: quod animi nostri exterius ab eo donati; quod alimur semper; & vegetamur; id enim calor eius prastat, quum a Deo esse sapius ipse testatur. Denique quod prouidentur ab eo, vt multis apparet locis Aristotelem fuisse confessum. Hac illa maxima iustitia, ipso Philosopho afferente, ob quam fit, vt primum cultus Dei habeat in ciuitate locum. Si negligat Deus res humanas, vt pertinaciter nonnulli Aristotelem suspicatum contendunt, nullus deberetur ei cultus; Efficiturque necessario quod Marcus latius aperuit: Sin autem, inquit, Dij neque possunt nos iuuare, nec volunt, nec curant omnino, nec quid agamus animaduertunt, nec est quod ab his ad hominum vitas permanare possit; quid est, quod vllos Dijs immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem ficta simulationis, sicut reliqua virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul & sanctitatem, & religionem tolli necesse est. Hac ille. Nullus igitur ei cultus deberetur, si quum precamur, & colimus eum, nec animaduertit honores, religionemque nostram, nec preces exaudit. Quum autem nulla virtus non maxime naturalis, ac solida, minimeque fucata sit; nec possit esse laudabile quod fucatum est: pietas quum non solum virtus sit, sed omnium virtutum excellentissima; fieri non potest, vt sit simulata, sit de eo quod non est, falsa, mendax: sed sicut fortitudini subest materia a qua vera laus fortitudinis existat, caterisque similiter virtutibus; sic necesse est, circa quod pietas versatur, & quo virtus est eminentissima, maxime naturale, maxime verum esse: id autem est firmissima persuasio, a Deo cuncta bona homines accepisse, iugiterque prastari quod aliquando dedisset: Qua persuasio si falsa est; pietas ipsa virtus inclyta, virtutumque princeps, vana, falsa, inanis esset, vanissimoque fundamento

ha-

nitteretur: sed nulla virtus est falsa; quia naturalis est potius, & communi consensu laudatur, possidentesque celebres facit, & beatos; vt necessario sit res ingens ac solida, quæ laudem gignit, & beatitudinem: sic pietas multo maxime habebit hæc omnia. Tum si nullum decorum, & honestum est falsum; contra omne falsum, aut fictitium est inhonestum: & si decorum censet coli Deos Aristoteles; certe hoc decorum est maxime verum, habetque verum fundamentum, veras caussas: vt, si decorum esset filium venerari parentes, aliqua maxima caussa id efficiat; sic, si decorum est homines venerari Deum; ab aliqua ingenti caussa dependeat necesse est: hæcque ab ipsa natura comprobantur. Aperte igitur, vt in plerisque alijs, sic nunc secutus est præceptorem Platonem Aristoteles, qui in Epinomide dicit. Meizon men gar aretes mēdeis ēmas pote peisēi tēs eusebias einai tō thnētō genei. Nemo vnquam nobis persuadeat, esse humano generi quicquam maius virtute, quæ dicitur Pietas. Ita locum hunc
* cap. 8. Aristotelis optime declarat eximius ac pius Theologus: qui paullo (*) antea dixerat Aristotelem *adorauisse Deum, quem Anaxagoras Mentis nomine designabat.*

Aristoteli cognitum fuisse modum credendi humano sublimiorem, adeoque notas eidem fuisse diuinas reuelationes; quibus maxime nititur vera pietas, & Orthodoxa Fides. Cap. X I.

AT vero quum orthodoxa Fides, ac vera Pietas erga Deum maxime nitatur diuinis reuelationibus, quæ supra naturæ nostræ captum homines erudiunt: hunc etiam modum credendi sublimiorem humano non latuisse Philosophum, sed ab Aristotele cognitum fuisse, constat ex eo pri-
a 2. cal. t. 34. mum, quod apertis verbis ipse profitetur inquiens, (a) *Videre oportet caussam dicendi, quænam sit; præterea quo pacto se habeant in credendo, vtrum humano modo, an validius.* certe credulitas & fides, quam homines habent non humano modo, sed validiori, decretis Aristotelis est diuinitus acquisita per reuelationem in somnis, vel etiam in vigilia per diuinationem & prophetiam; quam agnouisse potuit in Sibyllis: & reuera cognouisse nostrum Aristotelem testatur tum Sextus Empiricus, tum etiam Patritius infensissimus Ari-
b 8. adu. math. c. 1. stotelis hostis; Empiricus quidem inquiens, (b) *Aristoteles autem dicebat ex duobus principijs ortam esse Dei notionem inter homines, nempe ex ijs, quæ in anima accidunt; & ex sublimibus: ex ijs, quæ in anima accidunt, propter diuinos eius in somnis afflatus, & diuinationes: Quando enim, inquit, in somnis anima per se fuerit, tunc sua propria recepta natura, & diuinat, & futura prædicit: talis est autem etiam dum in morte separatur a corporibus. Admittit enim Homerum quoque Poetam, vt qui hoc obseruauerit; fecit enim Patroclum quidem, dum interimeretur, prædicentem cædem Hectoris, Hectorem autem Achillis. Ex his ergo, inquit, suspicati sunt homines, Deum esse aliquid, quod ex se est simile animæ, & est omnium scientissimum. Sed & ex sublimibus; nam quum contemplati essent Solem quidem interdiu circumeuntem, noctu autem ordinatum aliarum stellarum motum; existimauerunt esse Deum aliquem, autorem huius motionis & ordinis. Atque hæc quidem Aristoteles.* Ex quibus non solum apparet Aristotelem posuisse diuinas re-

reuelationes in somnis; sed etiam ex sacra pagina desumpsisse tum Deum fecisse hominem ad imaginem & (c) similitudinem suam, dum asserit hic, Deum ex se esse quid simile animæ; nam (d) supra vidimus omnes fere Theologos hanc Dei similitudinem cum homine ponere secundum animam: tum Deum (e) omnia cognoscere, ac solum esse (f) scrutatorem cordium, dum ait Deum esse omnium scientissimum: tum denique Deum posuisse in cælo duo (g) luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas. certe his Aristoteles Mosaica scripta nobis refert apertissime. Patritius autem hæc eadem refert ex Empirico: Licet autem Empiricus hæc Aristotelis effata legere potuerit in Dialogo Magistri De Animæ Immortalitate ad Eudemum inscripto; cuius partem affert (i) M. Tullius, & (k) Plutarchus; nos tamen in extantibus adhuc operibus Aristotelis hæc placita sparsa legere possumus; nam primum agens Aristoteles de (l) Diuinatione per somnum aperte satis innuit a Deo mitti somnia, non quibuslibet hominibus, sed optimis, & prudentissimis, inquiens, *Et quod de quibusdam fit diuinatio in somnijs, non est incredibile; habet enim aliquam rationem: ideo & de alijs somnijs similiter vtique quis arbitrabitur. Nullam vero rationabilem caussam videre, secundum quam vtique fiat, hoc non credere facit: nam Deum quidem esse mittentem, cum alia irrationabilitate, & non optimis & prudentissimis, sed quibuslibet mittere, inconueniens. Ablata vero, quæ a Deo, caussa, nulla aliarum conueniens esse videtur caussa.* & mox. (m) *Et ideo accidit hæc passio quibuslibet, & non prudentissimis: in die enim vtique fieret, & sapientibus, si Deus esset mittens.* Nimirum his vult Aristoteles, irrationabile esse, putare a Deo mitti somnia omnibus hominibus, quicumque somnijs præuident quoquomodo futura; sed solum optimis & prudentissimis vult a Deo mitti somnia, & etiam in die vigilantibus reuelationes, ac diuinationes; non autem improbis, & fatuis, qui somniantes quandoque præuident ventura. Et sane in sacris litteris frequentissime legimus a Deo mitti somnia vera viris (n) optimis, & prudentissimis, Abimelecho, Iosepho, & multis Prophetarum; non autem (o) improbis, & insipientibus. Quod autem Empiricus ex Aristotele subdit, animam, dum separatur a corporibus, diuinare ac futura prædicere, id satis innuit Aristoteles, dum asserit, (p) Intellectum humanum non bene se habere, dum in corpore inest; ast optimum esse sortiri, dum extra corpus egreditur; & (q) melius esse intellectui nostro non cum corpore esse, quemadmodum consuetum est dici, & multis placet; atque, (r) Intellectum, dum separatur, fieri id quod vere est. Quod vero Sextus adijcit, Aristotelem admittere Homerum, qui facit Hectorem, dum interficeretur, prædicere necem Achillis; id Aristoteles innuit tum dicens, (s) *Benefecisse Homerum, quod Hector iacet, aliud sapiens*; nam vt inquit ibi D. Thomas, *secundum Hectoris mutationem mutatus est intellectus eius; dum aliud saperet victus, & aliud inuictus:* inuictus enim humana sapiebat; victus autem morti proximus diuinabat interfectori necem; tum asserens, (t) *Homerum etiam talem aiunt opinionem habere videri; quippe qui faciat Hectorem, quum a vulnere infaniret, iacere, aliud sapientem; tanquam & insanientes saperent quidem, sed non eadem.* Quæ sic explicat eo loci D. Thomas, vt Aristoteles ex Homero *faciat Hectorem iacere quasi*

c Genes. 1.
d cap. 8.
e Genes. 3.
Isai. 40. 49
f Sap. 1.
g Genes. 1.
h tom. 1. lib. 7. p. 80
i 1. de diuin.
k de consul. ad Apollon.
l cap. 1.
m cap. 2.
n Genes. 20. 37. 41. Num. 12. 3. Reg. 3. Esther 10. 11. Dan. 2. 4. 7 Ioel. 2. Iudic. 7.
o Leuit. 19. Deut. 13. 18. 1. Reg. 28. 2. Paral. 33 Esai. 56. Hier. 29.
p 12. meta. t. 51.
q 1. de an. t. 49.
r 3. de an. t. 20.
s 1. de an. t. 23.
t 4. meta. t. 21.

in extasi à plaga sibi illata aliud sapientem ab eo, quod prius sapuerat; quasi esset sapiens, & non sapiens; sed non quantum ad eadem; quia quantum ad illa, quæ tunc sibi videbantur, sapiens erat; quantum autem ad illa, quæ prius sapuerat, & iam sapere desierat, non erat sapiens. Alia translatio sic habet; sapientes quidem, & desipientes: quasi dicat, sicut fuit de Hectore, qui sapiebat aliena post plagam; ita contingit & de alijs, quod sunt simul sapientes, & desipientes, non secundum eadem, sed secundum diuersa; videlicet Hectorem saucium morti proximum insipientem fuisse mente propria valde commotum; at sapientem fuisse mente aliena, quia Deo plenus vaticinatus fuit mortem Achillis: ita Deo plenæ Sibyllæ non mente sua, sed aliena vaticinabantur antiquitus: ex quo mortales Deum esse cognouerunt, quod homines quosdam viderent supra vim humanæ mentis edere diuinas operationes futura præuidendo, ac prædicendo. Homeri vero versus ita sonant ad verbum Latine redditi,

u Iliad. 22. (u) *Hunc autem moriens allocutus est galeam-mouens Hector;*
Certe te bene noscens præuidebam: neque sane eram
Persuasurus: certe enim tibi ferreus intus animus:
Considera nunc ne quo pacto tibi Deorum vltio fiam
Die illo, quando te Paris & clarus Apollo
Strenuum existentem perdent in Scæis portis.

Quod autem posterius addit Empiricus, Aristotelem asseruisse *Deum esse aliquid, quod ex se sit simile animæ*: id aperte legimus apud Aristotelem, tum vbi
x 1. meta. scribit, (x) *Vt in animalibus, ita in natura Intellectum inesse caussam mundi, totiusque*
su. 2. c. 2. *ordinis*: tum vbi notat, (y) *Quum enim ab vna vi impulstrice cieantur omnia,*
y de mund. *fit vtique quod cuique commodum est, & conueniens. Nec vero, si ea vis ipsa nec*
cap. 7. *cerni ab hominibus, nec apparere potest, quoquopacto id obstat aut illi ad ea, quæ diximus agenda, aut nobis ad fidem his ce rebus accommodandam: nam & anima ipsa, qua viuimus, qua vrbes, qua domos habitamus, quum haudquaquam sub adspectum nostrum sita sit, operibus tamen ipsis videtur: omnisque vitæ cultus, nitorque vtque ab ea inuentus est, & descriptus, ita ex ea tenorem suum seruat: terra cultura, & consitio, artium excogitationes, vsus legum, reipublicæ recte atque ordine constitutæ ratio, administrationes ciuiles, bellum extra fines patriæ, & rursus pax in ea: proinde hæc*
z 12. meta. *etiam de Deo sentienda nobis sunt.* tum vbi de Deo agens infit, (z) *An omne non*
t. 51. *habens materiam indiuisibile est, quemadmodum humanus intellectus, &c.* vbi Deum comparat Aristoteles humano intellectui, atque adeo homini, quem
a 10. ethic. (a) alibi dixerat maxime esse hominem. in hoc, vt notabamus, consentiens
cap. 7. in f. sacræ paginæ, docenti hominem factum esse ad (b) similitudinem Dei. Quod
b Genes. 1. insuper infit Empiricus, Aristotelem asserere Deum esse scientissimum; id
c Poet. c. 12 apertissimum habetur tum vbi dicit Aristoteles, (c) *Quandoquidem Deos cun-*
d 12. meta. *cta inspicere, satis quidem apud nos constat*: tum vbi decernit (d) Deum vnum
t. 56. esse, qui veluti Princeps optimus, omnia entia bene gubernat: quomodo enim bene gubernare cuncta entia Deus dici posset ab eo, qui Deum censeret non omnia cognoscere, non esse omnium scientissimum? tum maxime vbi constituit Metaphysicam, quæ scientia est de omni ente, magis Deo con-
e 1. meta. uenire, quam homini, his notis, (e) *Hæc sola scientiarum libera est; siquidem so-*
su. 1. c. 2. *la hæc sui ipsius gratia est: Quare merito non humana eius possessio putabitur: natu-*

ra enim hominum in plerisque serua est: Quapropter secundum Simonidem Deus vtique solus hanc habet dignitatem: hominem vero indignum non quaerere illam, quae sibi conuenit, scientiam. Quod si quid Poetae dicunt, & natura comparatum est vt Diuinitas inuideat, in hoc maxime id verisimile est contingere, & infelices omnes esse, qui altiora se quaerunt. Sed nec Diuinam naturam inuidam esse conuenit: Poetaeque, secundum Prouerbium, multa mentiuntur: nec aliam quam huiusmodi decet honorabiliorem putare: quae enim diuinissima, etiam honorabilissima est. Talis vero bifariam duntaxat vtique fuerit: nam & illa, quam maxime Deus habet, Diuina scientiarum est, si qua est, quae Diuinorum sit; haec autem sola vtrumque consecuta est: Deus etenim tum caussa omnibus esse videtur, tum quoddam principium: & talem aut solus, aut praecipue Deus habet. Quare Deus, qui est omnium rerum caussa, & principium, dum semetipsum cognoscit, vna res omnes (*f*) cognoscit, quarum est caussa; proindeque omnium scientissimus est. Quod vlterius Empiricus inquit, Aristotelem dicere, *Sed & ex sublimibus; nam quum contemplati essent Solem quidem interdiu circumeuntem, noctu autem ordinatum aliarum stellarum motum; existimauerunt Deum esse aliquem auctorem huius motionis*: id vt aperte satis innuit Aristoteles tum paullo antea dicens, (*g*) *Quod autem non sit factiua sapientia*, quae est principalissima scientiarum, *etiam ex primis philosophantibus patet: propter admirationem enim & nunc, & primo coeperunt homines philosophari; a principio quidem admirando ea, quae de dubitandis faciliora erant; deinde paullatim vlterius procedentes, etiam de maioribus dubitando, vt de passionibus Lunae, & eorum, quae circa Solem, & Stellas fiunt, ac de generatione Vniuersi*: tum alibi dicens, (*h*) *Quare augustius id, decentiusque existimandum est, Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis vt tamen eius vis per vniuersum mundum pertinens tum Solem Lunamque moueat, tum caelum omne circumagat; simulque caussam praebeat eorum, quae in terra sunt, salutis atque incolumitatis*: tum alio loco scribens, (*i*) *Quare bene se habet quemque sibi ipsi persuadere antiquos, & maxime patrum nostrorum veros esse sermones, quod est immortale aliquid, ac diuinum eorum, quae motum quidem habent, talem tamen habent, vt nullus sit finis ipsius, sed potius iste aliorum finis sit: nam & finis continentium est, & hic perfectus existens, continet imperfectos, & habentes finem ac quietem: ipse quidem nec principium vllum habet, neque finem, sed incessabilis est infinito tempore: aliorum autem, horum quidem principij caussa est, horum autem suscipiens quietem: caelum autem, & qui sursum est locum antiqui quidem Dijs attribuerunt, vt pote quod solum est immortale.* Sic huiusmodi sententiam ab Empirico relatam de prima notitia, quam homines habuerunt de Deo, qui rerum omnium caussa, & caelestia mouens Solem diei praefecerit, Lunam & Stellas nocti, Philosophus accepisse videtur, vt notabam, a sacra pagina, in qua legimus, (*k*) *Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius vt praeesset diei; & luminare minus vt praeesset nocti, & stellas: & posuit eas Deus in firmamento caeli vt lucerent super terram, & praeessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras.* Aristotelem autem (*l*) legisse libros Hebraeorum, immo legem illorum (*m*) probasse, tum antea vidimus, tum mox ostendetur, oportuniori loco. Ceterum de cognitione Dei per reuelationem habita clarissimum habemus ab Aristotele testimonium in opere de mystica Philosophia (si tamen Aristotelem autorem agnoscit ille liber, vt confirmare

f 1. post. an. t. 7.
1. phys. t. 1.
g 1. meta. lib. 3. c. 2.
h de mund. c. 7.
i 2. cael. t. 2.
k Genes. 1.
l cap. 1. & seqq.
m cap. seq.

n in præf. nititur (n) Patritius, & argumento satis est græca dictio, qua Patritio teste
ad eũ lib. primum scriptus est) in eo namque legimus, (o) *Agens namque primum, quod*
o lib.4.c.6. *est unicum, est omnino impurificabile ac inalterabile, nec recipit quicquam ab alio, & omne aliud impossibile est quod non recipiat ab illo. Agentia quoque omnia coniuncta alteri in specie operantur circa alterum: sed agens primum agit sine subiecto, atque per solam virtutem essentiæ suæ* (idest, sine materia, ac non per instrumenta es-
p 1.p.q.6. sentiæ suæ superaddita, vt decernit (p) D. Thomas) *ideoque dicitur intellectus*
ar.1. *æternus, non temporarius, quoniam illi non inest inquisitio rationalis, neque intelle-*
3.p.q.65. *ctus possibilis. Et nos quidem apponeremus exemplum huius sensibile; sed id non fo-*
ar.3. ad 1. *ret conueniens proposito, quandoquidem est ex rebus alterabilibus; ideoque dissimile rei æternæ: supponendum igitur exemplum intellectuale: ac vt vnum frustum auri indicaturum aliud, si sit immundum, præpurgatur simpliciter vel ex conditione, vt sit aurum verum, non illud superficietenus apparet, sed interius descriptum attributis omnibus: ita modo non minus faciendum nobis, conantibus indicare essentiam primam per intellectus simulachrum, vt non accipiamus ad id nisi intellectum optime depuratum. Quem si vitaris scire, oportet quæras in spiritualibus; siquidem talia sunt pura inenarrabiliterque decora: propterea etiam omnia existunt intellectiua* (siqui-
q 1. de an. dem vt alibi dicit Aristoteles, (q) *Principalissimum enim est illud, quod continet,*
t.82., *quodcumque est; anima autem aliquid esse melius & præstantius impossibile est; im-*
r 12.meta. *possibilius autem adhuc intellectu.*) *quibus quando contemplatus fueris, eris* (r) *per-*
t.39. *similis, nec amplius concupisces intueri virum iustum, quatenus est corpore pulcher, sed*
s 12.meta. *intellectu: etenim spiritualium pulchritudo est maxima; siquidem intelligunt* (s) *in-*
t.51. *cessanter, inuariabiliterque, ac sincere: ideo etiam notæ erunt non* (t) *humanitus in-*
t 2.cœl.t.34 *uenta, sed vt diuinitus reuelata: atque eadem superstant tam excelsa, vt nulla virtus specularī queat nisi intellectualis.* Ita ergo Dei notitiam habitam esse voluit Aristoteles per reuelationes.

Aristotelem agnouisse æternæ vitæ beatitudinem in sola contemplatione, Deique visione consistere. Cap. XII.

a 10.ethic. DVplicem in homine felicitatem agnouit Aristoteles, alteram (a) acti-
cap.8. uam, quæ foret operatio secundum habitum virtutis moralis heroicæ; alteram contemplatiuam, quæ foret actio mentis, ac omnino contemplatio maxime rerum diuinarum: atque vt mentem humanam aliquando in corpore manere censuit, & post hominis obitum a corpore separatam superesse
b 3. de an. (b) statuit immortalem: ita contemplatiuam operationem, quam edit mens
t.7. humana corpori iuncta, late prosequitur in (c) ethicis, & asserit esse felicita-
c 10.ethic. tem, ac beatitudinem, quæ competit homini mortali, vbi post vitam perfe-
cap.7. ctam sibi conquisiuerit habitus intellectuales, secundum quos contempla-
tionibus assidue vacans rerum diuinarum euadit vtcumque potest Deo si-
d 12.meta. milis; nam diu non potest in hac felicitate permanere, vt (d) alibi decernit,
t.39. ob materiæ culpam, qua corruptibilis est. sed actionem, vitamque contemplatiuam, quæ menti competit humanæ post hominis interitum a corpore separatæ, quamque Theologi nostri vocant æternam beatitudinem, Aristo-

teli

teli cognitam fuisse, non vnum est, quod doceat: In primis enim quum (e) ali- *e* 2. cæl.
cubi proposuisset Aristoteles dubitationem huiusmodi, cur cælestium cor- t.60.
porum supremum vnica latione moueatur; planetæ supra Solem, & Lunam
pluribus quam Sol, & Luna; quum rationi consonum esset, primo cælo vnica
latione moto, propinquum duabus moueri, remotius cieri tribus, & ita de-
inceps agi semper pluribus lationibus cælum a supremo distantius: (f) Mox *f* tex.61.
decernit id euenire in motibus cælorum, quod contingit in actionibus ani-
malium nostratium: statimque (g) decretum explicat, in exemplum assumens *g* tex. 62.
hominem in relatione ad sanitatem, & asserens, vt homo habens in se opti-
mum sanitatis habitum, sine actione illo bono fruitur; homo vero propin-
quus optimo habitui facile illum consequitur vnica functione, vt puta sola
(h) ambulatione: homo autem procul absens ab optimo sanitatis habitu, *h* 2. phys.
nempe iam ægrotus, sed tamen sanabilis, multiplicis operationis indiget ad t.62.
acquirendum habitum optimæ sanitatis, frictione scilicet, venæ sectione,
pharmaci potione, lotione, inunctione, alijsque similibus; homo demum, qui
longissimo distans interuallo ab habitu sanitatis optimo, laborans ægritu-
dine prorsus insanabili, iam non potest illum finem consequi, sed alium illi
vicarium solummodo, nempe mitiorem ægritudinem, seu vitam longiorem;
quam assequitur sola victus ratione: sic penitus in cælestibus Deus optimus
nullius actionis indiget ad summi boni fruitionem; quum ipse sibimetipsi
summum bonum existens, ipse semetipso fruatur: idipsum de Vniuerso di-
cendum est in Peripato, quum (i) Aristoteli ponatur omniquaque perfe- *i* 1. cæl. t.2.
ctum, in semetipso (k) consistere, ac semper immotum sine (l) actione vlla ex- 3.4.99.100
terna suo fine, qui est Deo summo frui sibi in (m) formam assistente: Primum *k* 8. phys.
vero cælum supra Planetas rotatum vnica actione gubernans mundum in- t.52.
feriorem, Deo summo, & Vniuerso simile fit pro modo naturæ suæ; in qua *l* 7. polit.
similitudine consistit illius felicitas, propriaque beatitas: Cæli autem supra c.3.
Solem, ac Lunam positi (n) gubernare conseruareque nequeunt mundum in- *m* 1. meta.
feriorem hunc nostratem vnico, vel duplici motu, quo naturę suę congruen- su.2.c.2. &
tem beatitudinem, vel cum summo Deo, & Vniuerso similitudinem conse- 12. meta.
quantur: quare suum finem hunc pluribus longe motibus assequuntur: De- t.49.
nique Sol, & Luna non possunt similitudinem cum Deo nancisci guberna- *n* 1. meteo.
do, & conseruando mundum nostratem; sed solum promouendo rerum sub su.1.c.2.
cælestium (o) generationes & corruptiones conseruant rerum caducarum *o* 2. de gen.
species; id autem duplici motu accessus & recessus peragunt. Idipsum po- t. 55. &
sterius etiam ibidem exemplo eiusdem hominis in habitudine ad felicita seqq.
tem, inquiens, (p) *Et rursus, quando hoc quidem ejus fuerit huius gratia facere,* *p* 2. cæl.
hoc autem alterius, & hoc alterius, in vno quidem, aut duobus facile est adipisci; t.63.
quanto autem vtique per plura, difficilius: Quapropter oportet putare & astrorum
actionem esse talem, qualis animalium est, ac plantarum: etenim hic hominis actiones
plurimæ sunt, quia multa bona potest adipisci; nempe quia felicitas, quam in hoc
mundo sensibili viuens homo corporeus adipisci valet, consistit in cumulo
aggregationeque multorum bonorum; quæ bona viuens homo mortalis
vnica, vel duplici functione sibi comparare non potest; perinde ac planetæ
supra Solem, & Lunam existentes vnica, vel duplici motione suum finem,

propriamque felicitatem non assequuntur: Animalia vero bruta non sunt
q 1.eth.9 (q) felicitatis participia; neque plantæ sunt beatitatis capaces: proindeque
10.eth.18. stirpes vnica, belluæ vero longe paucioribus, quam homines hic in vita mortali, functionibus indigent ad suum finem consequendum: Qua in re Soli, & Lunæ proportione respondent aptissime, quibus multo plures actiones, quam superioribus planetis, esse necessarias dictum est ab Aristotele ad suum bonum assequendum, ad suum finem sibi comparandum. Ceterum dum Aristoteles ait expressis verbis, *Quapropter hic hominis actiones plurimæ sunt, quia multa bona potest adipisci*, tum clare indicat hominem corporeum & mortalem in hac vita caduca, in hoc mundo sensibili multa bona in suum fi-
r 1.ethic. cap. 8. nem physicum, seu moralem consequi valere; quæ ad tria (r) summa genera rediguntur; nimirum ad bona fortunæ, quæ bona etiam externa nuncupantur; ad bona corporis, quæ sunt pulchritudo, sanitas, & virium robur; & ad animi bona, quæ in virtutes morales, & intellectuales distribuuntur; quarum illæ sunt voluntatis, hæ mentis habitus: his omnibus assequendis homini plurimas actiones hic, idest in hac vita mortali, necessarias esse monet Aristoteles; quia fortunæ bona, quæ sunt diuitiæ, amici, dignitates, negotiationibus, peregrinationibus, obsequijs, ambitu, & alijs id generis, homines assequuntur: bona corporis, robur inquam, sanitatem, & pulchritudinem homines gymnasticis exercitationibus, & plurimis Medicinæ, artisque fucatoriæ præsidijs sibi comparant: bona demum animi, si morales virtutes
f 2.ethic. cap. 1. accipias, vsu, consuetudine, ac omnino (f) frequentatis, vt aiunt, actibus studiosis homines adipiscuntur: si vero virtutes assumas intellectuales, lucubrationibus, lectionibus, auscultationibus, ac iteratis, diuturnisque rerum, scriptorumque speculationibus consequuntur, vt cuique constat ex Aristotele; tum clare supponit idem Aristoteles alium esse statum hominis; aliam felicitatem in mundo intelligibili, in quo vnica sit hominis actio; nimirum functio intelligendi, qua suum bonum, suum finem, ac omnino suam felicitatem sortiatur; ad hoc vt exemplo tali Philosophus rationem reddere valeat, cur primum cælum vnico motu moueatur: hoc autem est euidenter asserere mentem humanam post hominis interitum superesse; ac tunc vnica functione intelligendi pollere, qua beatitatem, & adeo bona sua cuncta consequatur; ea vero est actio contemplandi seipsam, & alias naturas a materia separatas, & maxime diuinam essentiam. Quam quidem operationem æternam esse, proindeque vitam perpetuam, ac beatitudinem sempiternam
t 12.meta. t.51. humano animo afferre, docet alibi clare Philosophus inquiens, (t) *An omne non habens materiam indiuisibile est? quemadmodum humanus intellectus, aut qui compositorum in aliquo tempore se habet: nam non bene esse habet in hoc, aut in hoc: verum in toto quoddam, quod optimum est, aliud ab eo existens. Sic autem ipsa sui ipsius intellectio per totum æternum se habet*. Quorum fusius (u) alibi explicato-
u 4.de im. an.cap.25. & Dial. Lil.min. rum breuis ea nunc est explanatio, vt demonstrare volens hic Aristoteles omne non habens materiam esse indiuisibile, ac inseparabile a sua operatione; atque adeo omnem intellectum separatum, ac propterea Deum, cuius nuperrime speculationem instituerat, semper intelligere, ac nunquam suam intelligendi functionem intermittere; per locum topicum a minori ad maius,

maius, in argumentum accipit humanum intellectum, qui aliquando est in materia, & aliquando est ab ea separatus; ac dum est in materia, non semper intelligit, sed plerumque functionem hanc interrumpit: vbi vero est a materia separatus, indeficienter intelligit; quæ omnia mirifice docet Aristoteles, dum inquit, *An omne non habens materiam indiuisibile est?* scilicet, omne principium immateriale inseparabile est a sua operatione; atque quum omne carens materia sit intellectualis natura; quippe cuncta, præter intellectum, necessario materiam habent adiunctam: sane intellectus omnis a materia separatus indiuisibilis est a sua operatione; ac proinde semper intelligit, dum a materia separatus est. Sed quoniam intellectus alij semper sunt a materia separati, vt Deus optimus, & Intelligentiæ secundæ nuncupatæ; alij vero non semper, vt intellectus humanus; ostendit hoc Aristoteles inquiens; *quemadmodum humanus intellectus, aut qui compositorum in aliquo tempore se habet*: scilicet humanus intellectus, & intellectus Faunorum, ac Satyrorum, quos vt cæca gentilitas veluti siluestria numina coluit; ita melius Aristoteles hic, & alibi consortes humanæ naturæ ac mortales esse constituit, dum asserit, (x) *Exactius autem manifestandum de his posterius est: nunc* x 2. de an.
autem in tantum dictum sit, quod animalibus habentibus tactum & appetitus inest. t. 29.
De imaginatione autem immanifestum; posterius autem considerandum. Quibusdam autem ad hæc inest & secundum locum motiuum: alijs autem cogitatiuum, & intellectus, vt hominibus, & si quid aliud huiusmodi, aut etiam honorabilius. Quam
Aristotelis sententiam comprobat (*) D. Hieronymus, describens vitam * tom. 1.
Pauli Eremitæ, ad quem perexit D. Antonius, inquiens, *Stupens itaque Antonius, & de eo, quod viderat, secum voluens, vlterius progreditur: nec mora, inter saxosam conuallem haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractusque & hoc Antonius spectaculo, scutum fidei, & loricam spei, vt bonus præliator arripuit. Nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum, quasi pacis obsides afferebat. Quo cognito, gradum pressit Antonius, & quisnam esset, interrogans, hoc ab eo responsum accepit. Mortalis ego sum, & vnus ex accolis Eremi, quos vario delusa errore Gentilitas Faunos, Satyrosque, & Incubos vocans colit: Legatione fungor gregis mei: precamur vt pro nobis communem Deum deprecceris, quem pro salute mundi venisse cognouimus, & in vniuersam terram exijt sonus eius. Talia eo loquente, longæuus viator vbertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat: gaudebat quippe de Christi gloria, & de interitu Satanæ, simulque admirans, quod eius posset intelligere sermonem; & baculo humum percutiens, aiebat: væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris: væ tibi ciuitas meretrix, in quam totius orbis Dæmonia confluxere; quid nunc dictura es? bestiæ Christum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris. Nec dum verba compleuerat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moueat; sub Rege Constantino, vniuerso mundo teste, defenditur; nam Alexandriam istiusmodi homo viuus perductus magnum populo spectaculum præbuit; & postea cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum est. Sed ad propositum persequamur, &c.* Itaque nunc Aristoteles ad hæc animalia respiciens; ad quæ respiciens de Peripatetico-

* prædicabil. cap. de diff. ticorum mente Porphyrius inquit, (*) *rationales sumus & nos & Dij*: asserit Magister, humanum intellectum, aut absolute qui constituens etiam Faunos, atque Satyros in mortalium rationalium genere, se habet tanquam forma; & pars essentialis compositorum animalium rationalium *in aliquo tempore*, non autem in tota mentis ipsius duratione: sed quia mens labem contrahit aliquam a corporis consortio; propterea *non bene esse habet* rationalis anima *in hoc* humano corpore, *aut in hoc* Satyri corpore; quandoquidem
y 5. de gen. an. cap. 1. cuiusque rei perfectio, ac bene esse (y) Aristoteli est fungi proprio munere; intellectus autem in corpore degens a materia (z) impeditur tum ne intelli-
z 2. de an. t. 151. gendo verum semper assequatur, sed plerumque in rerum cognitione decipiatur; vt late probauimus ex Aristotele in libris (a) De Vita: tum ne pos-
a lib. 2. c. 27. sit (b) semper intelligere, sed cogatur sæpenumero intelligendi functionem intermittere; non solum quia frequenter auocatur a speculatione ad corpo-
b 3. de ani. t. 16. ris gubernationem; vnde moles vasta corporis dicitur officere intellectioni, & pondus materiæ tardiorem reddere sensum communem, vt (c) alibi scri-
c 4. de part. cap. 10. bit Aristoteles; ac non raro mens a tumultibus, & a motibus in corpore factis turbata (d) prohibetur ne vacare valeat rerum speculationi cognitionique: sed etiam quia plerumque priuatur intellectus mortalium præsentia
d 7. physic. t. 20. formarum, seu specierum actu (e) intelligibilium; sine quibus obiecta sibi
e 3. de an. t. 15. repræsentantibus intellectus in caduco corpore degens rebus intelligibilibus vniri nequit, neque propterea ipsas intelligere; quum intellectio sit vnio; aut potius non fiat sine vnione facultatis intellectiuæ cum obiecto intelligibili. *Verum* intellectus idem animalium mortalium *existens aliud ab eo* corpore, cui aliquando copulatus fuit, tunc a corpore separatus, non amplius in composito pars, sed *in toto* mundo existens *quoddam* ens per se subsistens; *est quod optimum* in suo genere, quia optime se habet, ac semper intelligit; quod Aristoteles ait subdens, *sic autem sua ipsius intellectio per totum æternum se habet*: quum nulli materiæ sit adiunctus, a qua impediatur ne semper intelligat. Intellectum autem mortalem a corpore separatum dici quid in toto mundo existens; materiæ vero copulatum dici non amplius in vniuerso, sed in corpore, in materia, & in composito, fuit modus loquendi ve-
f 1. de an. t. 84. terum approbatus ab Aristotele, qui (f) alibi ex Orphicis carminibus accipit, animam intellectiuam ex toto ingredi corpora animalium respiran-
g 1. de an. t. 85. tium, delatam a ventis; & paullo post ait, (g) Antiquos dicere ipsam animam esse mistam in toto; vnde fortasse Thaletem opinatum omnia esse plena Dijs; veteres enim animas a corpore separatas vocabant Deos. Si ergo mortalium intellectus, dum est in hoc mortali corpore hominis, aut in hoc caduco corpore Fauni, constituens animal rationale mortale, non bene esse habet, quoniam non semper intelligit; nec, dum intelligit, semper veritatem assequitur: dum vero est in toto mundo ens absolutum, separatus a corpore, optimum quid est, semper intelligens per totam æternitatem, & intelligendo semper veritatem comprehendens; quæ vita contemplatiua perennis est beatitas, & felicitas, ac vita æterna beata, quam Theologi nostri statuunt a summo Deo concedi proborum hominum animabus post eorum obitum a corpore mortali separatis. Verum hanc eandem sententiam vberius pro-

fessus est Aristoteles alibi (h) dicens, *Si vero felicitas est ex virtute operatio; consentaneum est eam ex illa esse, quæ præstantissima est; hæc autem eius erit, quod est optimum: siue igitur id intellectus sit, siue aliud quippiam, quod sane secundum naturam videtur principatum obtinere, & præsidere, notionemque habere de honestis, & diuinis rebus; siue diuinum quoddam etiam ipsum sit, siue ex ijs, quæ in nobis sunt, diuinissimum: huius secundum propriam virtutem operatio perfecta felicitas esset; quam esse contemplatiuam dictum iam est. Atque hoc tum cum superius dictis, tum cum veritate consentiens esse videretur; nam & præstantissima est hæc operatio.* & mox. *Ciuilis quoque hominis operatio negotiosa est præter ipsam etiam ciuitatis administrationem, dum potestates & honores sibi & ciuibus comparat, vel etiam felicitatem ipsam, quæ diuersa est a ciuili, quam etiam quærimus, vtpote scilicet diuersam.* Profecto hic agitur ab Aristotele de felicitate summa, quam homo potest adipisci: priusque determinat Aristoteles naturam huius felicitatis inquiens eam esse operationem ex virtute prodeuntem, & ex virtute omnium præstantissima; quæ virtus sit habitus animæ nostræ; in qua (i) duæ potissimum sunt partes, Appetitus, & Intellectus; ad quas attinent habitus morales, & intellectuales: quum inter animæ partes Mens sit omnium (k) optima, & longe melior quam appetitus, ad quem pertinent habitus morales; quia talis appetitus est ex (*) sensitiuo, & rationali constitutus; propterea sapienter monet Aristoteles virtutem præstantissimam esse habitum eius, quod in nobis est optimum; id autem statim afferit esse intellectum, & voluntatem, inquiens, *siue igitur id intellectus sit, siue aliud quippiam,* nimirum voluntas, qua per actum amoris homo cum Deo summo copulatus intense ac iugiter felicitate summa potiri potest; *quod sane secundum naturam principatum videtur obtinere, & præsidere, notionemque habere de honestis, & diuinis rebus*: quia felicitatem summam homines adipisci putauit Aristoteles ex actione intellectus, & voluntatis; ideo voluntatis attributa non præteriens, nunc ea maxime recenset, quæ intellectui proprie conueniunt; non enim voluntas notionem habet de honestis, & diuinis rebus, sed intellectus; quippe voluntatis actus est amare, non agnoscere; eligere, non intelligere; imperare, non percipere: at secundum naturam principatum obtinet voluntas, quæ iubet ac imperat; licet intellectus etiam, quatenus reipsa cum voluntate identificatur, Aristoteli principalissimus, & (l) dominus secundum naturam alibi dicatur. Vult autem Aristoteles felicitatem nobis inesse non ex quolibet habitu mentis, & voluntatis, sed ex eo, quo mens honesta solum, & diuina contemplatur; & quo voluntas honestas & diuinas res easdem amat immutabiliter: Quoniam vero dubitat (m) Aristoteles, an intellectus humanus in corpore degens cognoscat diuina, quæ sunt ab omni commercio materiæ separata; & alibi (n) monet, eum ipsa leuiter admodum intelligere; parumque distare a (o) cæcitate notionem illam, quam habet de Diuinis entibus mens humana corpori sociata: sane quando (p) nunc dicit felicitatem esse perfectum quid, & carere omni penitus imperfectione; clare nos edocet Mentem humanam aliquando esse a corpore mortali separatam, tuncque res diuinas perfecte contemplari, & inde perenni felicitate beari: sed & felicitatem contemplatiuam conuenire menti nostræ tum quoquopacto in cor-

h 10 ethic. cap. 7.
i 1. ethi. 13
2 ethic. 1. & seqq.
k 1. de an. t. 82.
* 1. rhetor. cap. 10.
l 1. de an. t. 82.
m 3. de an. t. 36.
n 2. meta. t. 1.
o 9. meta. t. 22.
p 10. ethic. c. 7.

corpore degenti, tum maxime a corpore seiunctæ, satis innuit Aristoteles dum ait; *siue diuinum quoddam etiam ipsum sit; siue ex ijs, quæ in nobis sunt; huius secundum proprium virtutem operatio perfecta felicitas esset, quam esse contemplatiuam dictum iam est*. nimirum felicitas, quæ competit animæ in corpore degenti ex contemplatione diuinorum, & honestorum, est illa, quam
q 12.meta. t.39. Aristoteles (q) alibi scribit nobis inesse pauco tempore, at summo Deo semper: sed felicitas, quæ conuenit animæ nostræ a corpore seiunctæ, pariter ex
r 12.meta. t.51. contemplatione diuinorum, est illa, quam idem Aristoteles non multo post ait esse communem Deo, qui seipsum optimum contemplatur per totum æternum. Sic igitur animæ nostræ pars rationalis, intellectum, & voluntatem complectens, ex cuius habitu præstantissimo prodiens operatio dicitur esse summa felicitas hominis; rationalis inquam anima huic operationi apta est, siue secundum se dicatur esse diuinum quid absolute, dum scilicet est a corpore separata ens æternum ac immutabile: siue diuinissimum inter ea, quæ sunt in nobis: quibus aperte consentit Aristoteles orthodoxis
f 2.Cor.12 Theologis; apud quos & (f) D. Paulus raptus ad tertium cęlum, & (t) D. Pe-
t Matth.17 Marc.9 Luc.9. trus cum socijs in Monte Thabor clara Dei visione felicitatis per breue spacium temporis participes facti sunt, & animæ proborum hominum a corpore mortali separatæ (u) perpetua felicitate fruuntur. Denique vero dum
u Athanas. symb. afferit Aristoteles (x) diuersam quamdam a ciuili felicitatem esse, in quam felicitas ciuilis negotiosa dirigitur velut in finem otio fruentem, negotio
x 10.ethic. cap.7. carentem, non ne ponit æternam felicitatem, ac requiem æternam animarum sanctarum a corpore solutarum? certum est plane cuiuis, hominem mortalem in hac vita ex virtutibus moralibus, & ex negotiosa vita ciuili non posse sibi comparare vitam contemplatiuam, & felicitatem vllam a ciuili felicitate diuersam. Reliquum est igitur Aristotelem hic velle, mortales ex vita morali honeste peracta demum post obitum probarum actionum præmium a summo Deo claram numinis visionem, adeoque felicitatem contemplatiuam, ac requiem æternam adipisci.

Aristotelem Hebræorum legem, quæ sola tunc veræ pietatis cultum habebat, probasse, professumque fuisse. Cap. XIII.

a Præfat. & cap. seqq. Libros Hebræorum sacros, qui prostabant Aristotelis æuo, lectos ab Aristotele fuisse, satis ostendimus in (a) superioribus: summum vero Philosophum veritatem in ijs descriptam agnouisse, verumque Deum coluisse comprobari maxime videtur ab eo fragmento veteris Hebræi Iudaico idiomate scripto, quod mihi non ita pridem communicauit disertissimus vir, ac Hebraicarum rerum studiosissimus Iacobus Gaffarellus, ita scribens,
„ Al M. Ill. & Ecc. Sig. mio Patr. Colen. il Sig. Fortunio Liceti Prof. di Filos.
„ nel studio di Padoua. M. Ill. & Ecc. Sig. mio Pat. Oss. V.S. ha ragion di
„ lamentarsi, se non le ho inuiato quella Notarella Ebraica intorno alla Fede
„ d'Aristotile: poiche veramente ho torto di non hauerla seruito più tosto.
„ La confusione di quei Manuscritti, già da me in Mantoua comprati, ed hora

da

da me ordinati, erano in parte causa di quello mio silentio: Ma hora vede- „
rà che restarà seruita coll'auiarlela. Supplicandola di non imputare detta „
colpa al mio affettionatissimo seruitio verso di lei, il quale non mancherà „
mai. Ecco detta notarella, cauata da vn Rabbino Spagnuolo, chiamato „
Iactilia Ben Ioseph, nella sua Catena Cabbalistica, fol. 122. pag. 2. „

Statimque subiecit sex lineas Hebraicis characteribus descriptas;

וראיתי לרבי יוסף אבן שם טוב בהקדמת

ביאורו לספר המדות שאומר אך הוא ל

ראה במצרים ספר כתוב בו אך אריסטו

בסוף ימיו הודה על כל הנמצא כתוב

בספר תורת משה ונעשה גר צדק ונכון

ראיתי בספר מגן אברהם לחכם פריצול

& earum latinam versionem proposuit verbis ipsissimis, *Idest, Et vidi in Pre-* „
fatione explicationis libri Morum Rabbini Iosephi Scem Tob, quod obseruauerit in „
Aegypto librum, in quo scriptum erat, Aristotelem in fine dierum suorum, ea confes- „
sum fuisse omnia, quæ reperiuntur scripta in libro legis Mosis, transijsseque ad partes „
Peregrinorum Iustorum, seu Iudaeorum. hoc enim ita legitur in libro Maquen, hoc est „
Clypei, cuius Autor est Abraham Sapiens Peritsol. „
Se V.S. desidera altro seruitio da me, mi faccia gratia d'onorarmi de' suoi „
commandi, poi ch'io desidero seruirla con ogni affetto. Per fine le bacio le „
mani, e le auguro dal Cielo ogni contento. Venetia. 1. d'Agosto 1634. „
D.V.S.M.Ill. & Ecc. Seru. Diuotiss. Giacomo Gaffarelli. „

Quæ quidem Hebraica verba quum characteribus Romanis describi cuperem, Don Vincentium de Noghera conueni, virum linguarum peritia non minus, quam disciplinarum, & eruditionum omni genere clarum; qui mihi sex lineas Hebraicas, ab eximio Gaffarello ad me transmissas, ita Latinis notis descripras dedit,

1 *veràiti lerabbì yosèf abèn scem tob behaqdamàt*
2 *biurò lesèfer hamiddòt scehomèr ach hu*
3 *raà bemitzraim sèfer catùb bo ach Arsatò*
4 *besòb yamà fhoàdh al col hanimzàh catùb*
5 *besèfer toràt moscèh venecesàh ger zèdeq. vechnzàh*

6 *raiti besèfer maghèn abrahàm ishachàm Perizol.*
,, ad verbum superstitiosè.
1 *&, vidi rabbinum Iosephum filium Scem Tob in prefatione*
2 *expositionis suæ ad librum moralium dicentem* (quod) *etjam ille*
3 *vidit in Aegypto librum, in quo scriptum, Verè Aristoteles*
4 *in revolutione* (.i. fine) *dierum suorum confessus est omne quod inuenitur scriptum*
5 *in libro legis Mosis, & fecit se proselytum Iustitiæ* (.i. veræ fidei) *& simile quid*
6 *vidi in libro* (cui titulus) *Scutum Abrahami, sapientis Perizol.*

,, quæ inueniuntur coniuncta per lineam-, demonstrant esse hebraicè vnam ,, tantum dictionem: quæ intra parenthesin, demonstrant esse necessario sup- ,, plenda ad intelligentiam, quamuis hebraicè non exprimantur: in monosyl- ,, labis accentum non apposui; vacaret enim. Quæ sane consentanea sunt ijs, quorum meminit Franciscus Georgius in vestibulo canticorum suorum de

* Cant. 1. tom.1.c.1. Harmonia mundi scribens, (*) *Sed quia aliqui non existimant posse stare philosophiam peripateticam cum Hebræa; immo hinc ridendi sumunt occasionem, dicunt vbi inuenerint, immo confinxerint dictum fuisse a suo Aristotele de Mose, Iste homo multa bona dixit, sed nihil probat! Ideo & quantum Peripateticorum princeps detulerit Hebrais Clearchus Peripateticus citatus pro eo in libro de Somno dicat: ait enim quod cum Aristoteles disceptaret cum Hyperochyde, dixerit, Iudæus erat, qui ab altioribus Asiæ locis ad maritimas ciuitates descendens, & lingua, & animo Græcus fuit: Cumque accidisset, vt eo tempore nos quoque maritimis Asiæ locis versaremur, philosophiæ amore ad nos sponte venit; qui multo plura nobis attulit, quam accepit. Hæc Clearchus. Ad quæ loca idem Aristoteles nauigauit suasus Platonis epistolio, ex Aegypto in Israelitarum sapientum commendationem conscripto: vt in Hebræorum monumentis reperimus. Megasthenes vero in tertio Iudaicarum rerum, non tantum Aristotelem, sed philosophos omnes discipulos Hebraicæ sapientiæ declarat: Omnia, inquit, quæ de natura prisci Græci scripserunt, alij etiam ante ipsos tradiderunt: nam Brachmanæ apud Indos (qui & Iudæi vocantur) multo prius philosophati sunt. Nec miretur quispiam Iudæos Indos fuisse; quum & Aristoteles apud Clearchum dicat, Iudæi sunt Calaniæ Indiæ: sed a patre præcipue tribus Iudæi sunt appellati; Israelitici autem ab eorum diuino principe, & progenitore Iahacob; Hebræi vero a transitu; cui semper tamquam peregrini addicti sunt.* Hæc ad verbum Minorita Magnus. Quæ quidem cum superiori Perizolij nota confirmari videtur apertissime consimili testimonio pridem obseruato per Cœlium Rhodiginum in suis Antiquis (*b*) lectionibus; cui *Proditum & illud monumentis est, quum Philosophus Aristoteles extrema sibi ingruere præsensisset; dolore, ac spe in lachrymas amplius profusum, Primæ Caussæ misericordiam intentius implorasse.* Vt qui vidisset in sacris litteris id sæpissime factitatum a Dauide, alijsque viris insignibus. Quin etjam huius rei coniecturam augent maxime, quæ Iosephus Historicus Hebræus attulit de Magni Discipuli Aristotelici vera summaque pietate erga Deum, dum infit in suis Antiquitatibus Iudaicis,

b lib. 17. cap.34.

c lib.11. c.8. (*c*) *Alexander vero in Syriam veniens cepit Damascum; & occupata Sidone, Tyrum quoque oppugnabat: scriptisque ad Iudæorum Pontificem litteris, petebat auxilium; & vt forum rerum venalium præberet exercitui; & vt quæ prius Dario conferre sit solitus, nunc det Macedonibus, prælata eorum amicitia; fore enim vt illum non pœni-*

teat:

teat: Quumque Pontifex nuncijs respondisset, sacramento se obligatum Dario, ne arma contra eum sumeret; idque ratum fore quamdiu ille vixerit: iratus Alexander Tyri quidem oppugnationem non omisit, qua breui potiturus videbatur: minatus est tamen, hac capta, se mox ducturum contra Pontificem; vt omnes discant, cui iusiurandum seruari oporteat: Quare non parcens labori tandem Tyrum expugnauit; & constitutis in ea rebus, Gazam profectus, in ea Babemesen Persici præsidij Præfectum obsedit. & mox. Septem autem mensibus in Tyri oppugnatione, & in Gaza duobus absumptis, Sanaballetes fato functus est: Alexander vero expugnata Gaza, Hierosolyma propere petijt. Iaddus vero Pontifex, postquam hoc audiuit, sollicitus harebat, inops consilij, nec inueniens quomodo Regem deberet excipere, iratum eo quod antea neglexisset mandata eius facere: ergo indictis populo supplicationibus, & immolatis Deo victimis, ad opem eius confugit, illi publicam salutem commendans: Proxima deinde post sacrificium nocte in somnis ei Deus apparuit, iubens vt bono esset animo, & coronata Vrbe portas aperiret; vtque populus in albis vestibus prodiret obuiam; ipse vero cum alijs sacerdotibus solemni cultu sui ordinis, securi de Dei prouidentia. Experrectus autem e somno latus ciuibus hoc oraculum indicat; & paratis omnibus, vt in somnis præmonitus fuerat, Regis aduentum præstolabatur: & quum renunciatum esset, eum iam non procul ab Vrbe adesse, progressus est cum sacerdotibus, & vrbana multitudine, pompa quadam noua & venerabili, vsque ad locum, qui dicitur Sapha, quæ vox Speculam significat, quod ibi & Vrbs, & Templum in prospectu sit. Et quum Phœnices, ac Chaldæi sperarent sibi licere quicquid iratus Rex posset permittere, direptionem Vrbis, & Pontificis exquisitum supplicium; plane contrarium euenit: Alexander enim vt vidit e longinquo candidatum populum, & sacerdotes ante agmen in amictu byssino, Pontificemque in stola hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem cum præfixa aurea lamina insculpta Dei nomine; solus ad eum accedens, Nomen illud adorauit, & salutauit Pontificem: Iudæis autem omnibus vno ore Alexandrum consalutantibus, & in orbem cingentibus, Syriæ Reges, & reliqui obstupuerunt, vix credentes Regem mentis compotem: solus Parmenio propius accedens rogauit familiariter, quid ita quum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum Pontificem: at ille, non hunc se adorasse, respondit; sed Deo, cuius Pontifex esset, honorem eum exhibuisse; hunc enim, inquit, vidi & antea hoc ipso habitu, quum adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine mora exercitum traijcere; nam suo ductu potiturum me Persarum imperio: quapropter quia nunc primum talem habitum vidi, aggressus hunc, & visionis memor, quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine Numine in Darium exercitum ducere, & breui fore victoria compotem: & sublato Persarum imperio, cessura mihi omnia ex sententia. Hæc locutus ad Parmenionem, & comiter complexus Pontificem, deducentibus Sacerdotibus, in Vrbem peruenit: & ascendens in templum immolauit Deo ex Sacerdotis præscripto, ac Pontifici quoque suum honorem exhibuit. Ostensoque sibi Danielis libro, in quo Græcum quemdam Persas debellaturum significat, hunc ipsum se esse interpretatus, latus dimisit multitudinem. Sequenti vero die vocatis eis iussit, vt quicquid vellent, peterent: Pontifice autem petente, vt patrijs legibus viuere sibi liceret; vtque septimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas, concessit omnia. Rogantibus deinde, vt eos quoque Iudæos, qui Babyloniam ac Mediam colerent, sineret vti institutis proprijs; hic

M 2 etiam

etiam postulatis eorum satisfacturum se est pollicitus. Et quum fecisset eis potestatem, si qui vellent, saluis suis ritibus sequi eius militiam, multi in eam expeditionem dederunt nomina. Atque his apud Hierosolyma actis, mouit inde in alias propinquas vrbes exercitum quumque ab omnibus amice exciperetur, Samaritæ, quorum tunc caput erat Sicima sita ad montem Garizin, & habitata a desertoribus gentis Iudaicæ, videntes quod Alexander Iudæos tractaret tam magnifice, decreuerunt se quoque Iudæos profiteri. Erat autem ante Christum natum Alexander Iudaicæ religioni, adeoque tunc veræ pietati erga Deum addictus: ob quam religionem meruit a summo Deo gratias etiam supernaturales, ijs consimiles, quas olim Deus Moysi concessit, nimirum exercitui suo transitum per ipsum mare siccatum vestigijs eorum: quam historiam Iosephus idem multo prius retule-
d 2. ant. rat inquiens, (d) *Iamque in aduersum littus euaserant Hebræi, hostibus a tergo re-*
Iud. cap. 7. *lictis, quos armis graues ipsa etiam miraculi nouitas nonnihil est remorata: sed quum incolumes illos terram tenere viderent, sibi quoque eumdem euentum pollicebantur: verum fefellit eos hæc opinio, nescientes non quorumuis talem viam esse, sed Hebræorum tantum; & fugientibus tantum ad salutem patere; non hostibus, qui eos perdendi animo insectarentur: ergo quum iam vniuersus exercitus introgressus esset, refunditur iterum mare, & Aegyptios fluctibus inuoluit, ventis etiam eodem impellentibus: accesserunt & imbres de cælo, & asperæ tonitrua fulguribus, simul intermicantibus: fulmina quoque deferebantur, & nihil omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent: nam & nox eos caliginosa nimis ac tenebrosa comprehendit: atque ita totus ille exercitus est deletus, vt ne nuncius quidem domum reuerteretur. Hebræi vero vix sui compotes erant, præ gaudio ex tam inopinata salute concepto, accedente huc etiam hostium interitu, quo maior esset libertatis securitas, nemine superstite, qui eos in seruitutem vindicare cuperet; & Deo ex professo illis auxilium submittente: quapropter tum sua salute, tum inimicorum supplicio læti magis quam vlli antehac homines, in hymnis & hilaritate totam noctem exegerunt: & Moyses carmen laudes Dei, & ob præsentem fauorem gratiarum actiones continens hexametro versu composuit. Hæc ego, vt in sacris codicibus inueni, ita sigillatim conscripsi. Nemo autem mirari debet tamquam incredibilia, si priscis hominibus, & ad malitiam etiam tum rudibus, de salute periclitantibus via per mare patuit, siue Dei voluntate, siue Naturæ sponte; quandoquidem heri, & nudius tertius Alexandri ductu Macedonibus Pamphylium mare cessit, & aliam viam non habentibus illac iter aperuit; quum Deus eius opera ad destruendum Persarum imperium vti decreuisset: id quod omnes testantur, qui res gestas illius Regis scripto prodiderunt.* Quin & ali-
e 2. de bell. bi Iosephus idem de proposito scribit. (e) *In Alexandria autem semper quidem*
Iud. c. 21. *erat incolis aduersum Iudæos seditio, iam ab illo tempore, ex quo strenuis Alexander contra Aegyptios vsus Iudæis, præmium societatis tradidit eis, & habitandi apud Alexandriam facultatem, & ius ciuitatis æquale cum gentibus: permanebat autem eis honor iste apud successores quoque Alexandri; denique & in parte Vrbis locum eis proprium deputauerunt, quatenus haberent conuersationem per omnia mundiorem, a communi scilicet sequestratam: præstiteruntque eis vt etiam Macedones appellarentur. Deinceps vero quum in ditionem Romanorum Aegyptus venisset, neque Cæsar primus, neque post eum quispiam honores, quos Alexander Iudæis decreuerat, minuit.* Si ergo parum abfuit quin Magnus Alexander Aristotelis discipulus Legi

Mosaicæ nomen dederit; quum Iudæorum Deo sacrificauerit in templo Hierosolymitano ex Sacerdotis Iudæi præscripto; & hanc eius pietatem Deus remunerauerit victoria Persica, & itinere mirabili cum exercitu suo incolumi per exsiccatum mare Pamphylium: iam hæc verisimile reddunt testimonium tum Rabbini Iosephi filij Sem Tob, & sapientis Abraham Peritsol, asserentium Aristotelem (qui omnia & singula hæc Alexandri discipuli sui gesta cognouerat) in fine dierum suorum probasse, confessumque fuisse omnia, quæ reperiuntur scripta in Lege Mosis; & transijsse ad partes Peregrinorum Iustorum, seu Iudæorum; qui iusti Peregrini dicuntur, quod ex Aegypto & deserto peregrinati sint Deo duce in terram promissionis: tum etiam, illius Antiqui Scriptoris, in cuius monumentis Cælius (f) Rhodiginus proditum legit, *Quum Aristoteles Philosophus extrema sibi ingruere præsensisset, dolore ac spe in lachrymas amplius profusum Primam caussam misericordiam intentius implorasse*: nam æuo Aristotelis, & Alexandri Macedonis, antecedente trecentis plus annis Christi Domini Natales ex Virgine Matre, vera Lex erat Mosaica, & vera Pietas erat Hebraica: & Deus ille, qui Alexandrum Macedonem pium reddidit erga se, ac populum suum, quod eius opera ad destruendum Persarum imperium vti decreuisset; vt omnes testantur qui res gestas Alexandri scripserunt: multo potius Alexandri Magistrum Aristotelem pium reddidit item erga se, & homines, quod eius opera vti decreuisset ad Theologiam Scholasticam illustrandam; vt omnes testantur Theologi Scholastici. Sed & Aristotelem Hebræorum legem probasse, non obscure constat ex ijs, quæ Clearchus de Aristotelis ore suscepta dicta refert, quorum habemus Iosephi Iudæi Historici classici præclarum testimonium. Quod operæ pretium est hic in loco proprio referre: ait ergo Iosephus, (g) *Eos, qui de cœlestibus ac diuinis primitus apud Græcos sunt philosophati, idest Pherecydem Syrium, & Pythagoram, & Thaletem, omnes concorditer confitentur, Aegyptiorum, & Chaldæorum fuisse discipulos; & breuiter conscripsisse, quæ a Græcis omnium antiquissima iudicantur, ita vt vix ea credant ab illis fuisse conscripta.* & infra. *Pythagoras igitur Samius, quum sit antiquus quidem ætate, sapientia vero & diuina pietate Philosophos omnes excellens, non solum quæ nostra sunt, agnouisse manifestus est, sed etiam æmulatus ea, ex multis apparet. Et eius quidem conscriptio nulla reperitur: multi tamen de eo retulere: quorum insignior est Hermippus, vir circa omnem historiam diligentissimus indagator. Refert itaque in primo de Pythagora libro, quod Pythagoras vno familiarium suorum defuncto, nomine Calliphonte, genere Crotoniate, illius animam dicebat secum degere diu noctuque, & quod præciperet, vt non transiret locum, vbi asinus lapsus esset; & ab aqua feculenta semetipsum abstineret; & ab omni blasphemia recederet. Deinde sequitur. Hæc autem agebat, atque dicebat, Iudæorum & Thracum opiniones imitatus, ac transferens in semetipsum. Dicitur enim vere, quod ille vir multas Iudæorum leges in suam transtulit philosophiam. Fuit etiam per ciuitates non ignota olim gens nostra: & multi iam mores ad quasdam transierunt, & æmulatione digni a nonnullis habebantur: Quod manifestat Theophrastus in his quæ scripsit de legibus: ait enim, quia prohibent Tyriorum leges, & peregrino sacramento iurare; inter quæ sacramenta cum quibusdam alijs etiam iusiurandum, quod Corban appellatur, enumerat; apud nullos autem hoc inuenitur iuramentum,* nisi

f lib. 17. cap. 34.

g l. 1. adu. Ap. init.

nisi apud Iudaeos solos; quod interpretatur ex Hebraica lingua, donum Dei. & paullo post. *Quod autem non solum sciebant Iudaeos, sed etiam in quotquot inciderent admirabantur, non e vulgo Graei, sed ob sapientiam celebres, ostendere facile est: Clearchus enim Aristotelis discipulus, & Peripateticorum nulli secundus, in primo libro de somno dicit, Aristotelem doctorem suum de quodam viro Iudaeo ita referre, & ipsi Aristoteli eumdem sermonem ascribit, quod ita conscriptum est. Sed alia quidem longum est dicere; quae vero habere potuerant illius admirationem quandam atque philosophiam, ea duco operae pretium referre. Et Hyperochydes, vehementer, inquit, audire desideramus vniuersi. Igitur secundum praecepta, Aristoteles inquit, rhetorica, eius genus primo indicabimus, ne reluctemur doctoribus praeceptorum. Dic, inquit Hyperochides, ita si placet. tum ille: genere igitur Iudaeus erat, e Coelesyria; qui sunt ex propagine Philosophorum Indorum; vocanturque, vt aiunt, philosophi apud Indos Calani, apud Syros autem Iudaei, nomen accipientes a loco; locus enim, vbi habitant, appellatur Iudaea: nomen vero eorum ciuitatis valde difficile est; vocant enim eam nomine Hierusalem. Is igitur homo multos hospitio recipiens, & de superioribus ad maritima descendens, grauissimus erat non solum eloquio, sed etiam animo: & tunc nobis degentibus apud Asiam, quum diuinus homo venisset ad ea loca, confabulari capit nobiscum, & cum alijs scholasticis, eorum sapientiam tentans: quumque multi eruditorum congregarentur, tradebat potius aliquid eorum, quae habebat. Haec ait Aristoteles apud Clearchum: & super haec multam ac mirabilem continentiam Iudaei viri in cibis, & castitatem narrat. Licet autem volentibus haec ex ipsius lectione cognoscere: ego enim refugio plusquam decet inserere.* Sic ipse Iosephus Hebraeus ex Clearcho Aristotelis discipulo Magistri sui verba referente: Sic etiam ad verbum Eusebius Pamphilus lib. 1x. de praeparatione Euangelica cap. 111. vnde plane constat ab Aristotele cognitam non solum, sed etiam probatam fuisse Iudaeorum legem; diuinamque scripturam professam a prisco illo Iudaeo; quem insignem sapientia, & castimonia, sobrietate, seu potius abstinentia, hospitalitate, liberalitate, grauitateque celebrauit ipsemet Aristoteles philosophum appellans, & inter sacerdotes ac sapientes Iudaeos recensens, quos vitam monasticam, ac solitariam maxime colentes Philo Iudaeus etiam in opere suo de vita contemplatiua nuncupat Philosophos, *qui perpetuam habent Dei memoriam, vt ne in somnis quidem aliud eis obuersetur quam imagines diuinarum pulchritudinum; & sunt in his, qui somniando produnt praeclaras sacrae philosophiae sententias: medium vero matutini vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur: versantes enim sacra volumina, dant operam philosophiae per manus acceptae a maioribus, scrutando eius allegorias, quoniam sub apertis verbis latere credunt secreta naturae coniecturis explicanda probabilibus. Habent etiam priscorum commentarios, qui huius sectae autores multa monumenta reliquerunt de allegorijs eiusmodi, ad quorum imitationem posteri se accommodant: Itaque non solum contemplantur, sed etiam cantica hymnosque in Dei laudem componunt vario metrorum carminumque genere, rythmis concinnatos in augustiorem ac religiosam speciem: per sex dies seorsum quisque in suis illis modo dictis monasterijs philosophantur, non progredientes foras, immo ne prospicientes quidem: septima vero conueniunt in coetum communem, & iuxta aetatis ordinem considunt decenti habitu, manus continentes sub pallio, dextram inter pectus barbamque, sinistram applicatam la-*

la-

teri: tum progressus in medium natu maximus, & dogmatum eius secta peritissimus disserit vultu ad grauitatem composito, voce moderata, non sine magna prudentia, fastus quam oratores aut ætatis nostræ sophistæ, ostentatores eloquentiæ, vt quibus magis cordi sunt exquisitæ sententiæ diligensque & accurata harum enarratio, quæ non summis insidat auribus, sed per auditum penetret in animum, ibique firmiter inhæreat: reliqui omnes auscultant per summum silentium, annutantes oculis tantum aut capite. & mox.. *Temperantia tanquam fundamento in anima iacto virtutes ceteras superstruunt: Nec cibum, nec potum quisquam sumit ante Solis occasum, quod sapientiæ studium luci conuenire iudicent, tenebris vero curam corporis: ideo totos dies alteri, alteri vero exiguam noctis partem tribuunt: nonnulli ex his vix tertio quoque die famem sentiunt, attenti magis ad disciplinarum scientiam.* Quis non videt ex horum sapientum Iudæorum cœtu tantopere nunc à Philone celebratorum viuendi normam fere sibi delumpsisse philosophum illum, quem apud Iosephum historicum Clearchus asseruit ab Aristotele Magistro suo laudatum ob multam continentiam in cibis, ob mirabilem castitatem, ob grauitatem eloquij, & animi, ob hospitalitatem, liberalitatem, & ob sapientiam? Quis non colligit hinc, Aristotelem Legi, doctrinæque Mosaicæ subscripsisse, ac paruisse, vt testantur illi Rabbini, Iactilia Ben Ioseph, Ioseph filius Scem Tob, & Abrahamus Perizol?

Aristotelis pietatem erga Deum maxime nobis innotescere ex eius, & discipulorum verbis in articulo mortis Magistri enunciatis. *Cap. XIV.*

Veræ Pietatis cultorem fuisse Stagiræ Philosophum Aristotelem, illud etiam in primis conuincere videtur, quod in antiquis suis lectionibus posuit Rhodiginus agens de Aristotele; dicit enim, (a) *Proditum & illud monumentis est, quum Philosophus hic extrema sibi ingruere præsensisset, dolore ac spe in lachrymas amplius profusum Primæ Caussæ misericordiam intentius implorasse.* Dolore namque pœnitentiæ ob crimina humanitus perpetrata tunc lachrymatus; spe vero veniæ, meliorisque vitæ potiundæ non tenebatur nisi ille, qui vera pietate Deum summum coleret; alioquin moriens frustra fleret, ac frustra speraret impius. Ceterum hanc eamdem sententiam Suarez nobilis Theologus a Diogene Laertio recipit inquiens, (b) *Præterea refert Laertius in vita Aristotelis, quod tempore mortis suæ misericordiam a prima caussa postulauerit. Quod est argumentum, eum credidisse Deum posse precibus moueri ad beneficia præstanda; quod est proprium agentis liberi.* Ego vero nihil tale videre potui apud Laertium, sed solum apud Rhodiginum, qui forte legit hoc apud autorem Laertio vetustiorem. Verum enimvero non multo post in eamdem sententiam idem Cælius infit, (c) *Et in libro de Pomo, quisquis fuerit autor, adnotatum inuenias, Scholasticos, qui morienti aderant Aristoteli, quum is iam extra se sit, sic vivum affatos, Qui Philosophorum animas excipit, & tuam colligat, in suis recondens thesauris, vti animam addeceat recti hominis & perfecti, qualem te nouimus.* Nimirum hæc astantes morienti Magistro precati sunt discipuli, qui nuper-

a lib. 17. cap. 34.

b met. 22. s. 2 p. 145. c. 1.

c lib. 18. ant. lect. cap. 31.

rime

rime tam pie diuinam opem ac misericordiam ipsum audiuerant implorasse celebratissimis illis verbis, *Caussa caussarum miserere mei*, sæpius repetitis. Liber autem ille de Pomo inscriptus a Cœlio visus ad nostras manus non peruenit: ex hac tamen sententia, quam in eo legit Rhodiginus, apertissime constat eius autorem non fuisse Aristotelem, etsi sub Aristotelis nomine pridem Venetijs impressum fuisse simul cum libro *De Caussis Elementorum*, & altero *De Caussis*, ac maiori volumine quatuordecim libros complectens *Mystica Philosophia*, siue *Ægyptiorum Theologia* testetur in suis Discussioni-
d tom. 1. bus (d) Patritius.
lib.2.p.14.

De pietate Aristotelis erga Deum argumenta quædam, a viris grauissimis, & orthodoxis allata, referuntur. Cap. XV.

Etsi Gnosticorum impietas detestanda sit, quæ credentes virtutem Aristotelis, Platonis, & Pythagoræ similem esse paremq. virtuti Christi Domini, Philosophorum horum imagines pari cultu venerantur cum imagine Redemptoris; quos merito coarguit cum Carpocratis erroribus S. Irenæus. Non tamen piorum, & doctorum hominum, Origenis alioqui summi Platonici, Rhodigini, Sepuluedæ, Gretseri, Steuchique præclari Theologi sententia de Pietate, atque salute Aristotelis, multis argumentis vallata, mihi
a de an. prorsus improbatur. In primis enim, aiunt, relatu (a) Collij, Orthodoxo-
pag.p.2. rum omnium vnanimis est opinio, post mortalis vitæ cursum eos attolli ad
lib.1. cælestia præmia, qui secundum naturæ leges, ante Christi Domini Natales ex Virgine Matre, vitam duxerint: quum Aristoteles, vt ex eius operibus apparet, præsertim moralibus, in quibus omne genus vitij reprehendit, omne genus virtutis collaudat, & amplectendum proponit; Deumque vnum summa pietate, iustum iudicem, ac omnium parentem colendum præcipit; vt antea visum est; quum, inquiunt, Aristoteles vixerit ad præscriptum Legis Naturæ; iam de illius æterna salute diffitendum non est, diffidendum desperandumque non est, de cuius pietate erga vnum Deum illius opera legenti-
b de vtil. bus apertum satis est. Dein, aiunt, ex D. Augustini decretis, (b) *Honestissime*
credend. *vir bonus fuisse creditur, cuius litteris humano generi, posteris vtique consultum est*,
cap.5. at vero quis mortalium ætate nostra naturalium rerum scientiam, moraliumve cognitionem, quin & plurima supernaturalium, ad Theologiam attinentia, maximeque conferentia dogmata non accepta refert Aristoteli?
c cap. 1. Deinceps, addunt, in (c) Sapientiæ sacro libello sancitum est, in maleuolam
d in reg. animam non introire sapientiam, nec habitare in corpore subdito peccatis:
monach. quum autem Aristoteles fuerit hominum sapientissimus, Magisterque sa-
cap.11. pientum habeatur, & a (d) D. Hieronymo celebretur hoc elogio, Munda-
e de var. norum *Sapientum princeps Aristoteles, fuit absque dubitatione prodigium, grandeque*
cel.cap.13 *miraculum in tota natura; cui pene videtur infusum, quicquid naturaliter est capax*
f par.2.lib. *humanum genus*: iam de salute Philosophi magnum habetur argumentum.
1. de an. Ceterum, inquit (e) Gretserus, Collij (f) relatu, Aristotelem *a sceleribus*
pag. *liberum fuisse, pro luculentissimo testimonio sunt philosophica eius opera, quæ tam acu-*

ta,

ta, tam profunda, tam subtilia, & vt vno verbo omnia complectar, tam diuina, profici-
sci non potuerunt, nisi ab animo sereno, & a vitiosis prauitatibus Bacchi præsertim &
Veneris depurato, atque defæcato. Quam sententiam confirmare videtur Ly-
ranus explicans illa verba Sapientiæ, Sapientia non habitabit in corpore subdito
peccatis, id est, inquit, in homine subdito carnalibus vitijs, quæ caussant hebetudinem
mentis; nam vita talium est brutalis, sicut dicitur primo Ethicorum. Addit au-
tem ibidem Gretserus, eiusdem Collij relatu, Verum autem Aristoteles Deum
ab se cognitum pariter vt Deum glorificauerit, eidemque gratias egerit; an vero sit
computandus in eorum numero, qui vt ait Apostolus ad Rom. 1. euanuerunt in cogi-
tationibus, &c. Deus nouit, non vllus, vt opinor, mortalium. Quamquam hoc ipso,
quod Athenis profugit ob vnius veri Dei professionem, & confessionem, satis indicauit
se nolle gloriam incorruptibilis Dei transferre ad simulachra ex ære fusa, aut ex lapi-
de, lignove sculpta, & edolata: sed etiam testimonio tum Rhodigini scribentis,
(g) Rursum quærenti, quid ita Athenas destituisset, hote v buleta, apecrinato, athj-
naus dis examartein eis philosophian, Ne, respondit Aristoteles, in Philosophiam   g l. 17. c. 34
bis delictum eant Athenienses, to peri Socratus pathos, ca ton cath' eauton cindynon.
Enimuero, vt ait (h) Laertius in Aristotelis vita, Aristoteles Athenas profectus,   h lib. 5. de
quum illic tredecim annis docuisset, clam in Chalcidem concessit, quod ab Euryme-   vit. phil.
donte hierophanta impietatis accusatus esset. In quem est nostrum hoc Epigramma,

„ Nuper Aristotelem, læsa vt pietate nocentem
„ Detulit Eurymedon Sacrificus Cereris.
„ Hic aconita bibens subterfugit, certe aconiti
„ Hoc erat iniustum vincere sacrificum.

tum maxime Patris Origenis, qui, relatu (i) Collij, tractans illa Saluatoris no-   i par. 2. l. 5.
stri verba, (k) Quum persecuti fuerint vos in hac ciuitate, fugite in aliam, ac Celsum,   de an. pag.
vt mos illius est, eam sententiam impie criminantem refellens, Iesu Christi decretum   k Matth.
Aristotelis facto & decreto confirmat sic scribens, Huic Iesu, discipulorumque calum-   10.
niosæ insectationi simile est quod refertur de Aristotele: is enim quum intellexisset
parari sibi iudicium vt impio, propter quædam dogmata ipsius suspecta impietatis
Atheniensibus, digressus apud Chalcidem scholam habuit, sic rationem reddens fami-
liaribus, Discedamus Athenis, ne præbeamus Atheniensibus secundam occasionem sce-
leris, quale prius perpetrarunt in Socratem, neve iterum per impietatem violent
Philosophiam. In quo Origenis testimonio non exigua Aristotelis laus continetur,
non solum quod eum consilij, & sententiæ, quam salutis nostræ vindex Apostolus do-
cuit, autorem fuisse commemorat; verum etiam quod ab impietate, quam Athenien-
ses in eum iactabant, vindicat; facile credens similem in Aristotele, qualis in Socrate
fuerat, ab obiectis criminibus innocentiam viguisse. Ita quidem Collius: sed
multo secus, ac ad nostrum propositum vberius (l) Origenes ait hoc in lo-   l 1. contra
co ex Interpretatione Christophori Personę, Quod sane Celsus incusaris calum-   Cels.
niatur, quum Iudæum inducit ita dicentem, Tu quidem cum tuis discipulis hac illac
fugitas. Huic in Iesum & eius discipulos criminationi persimile illud dixerim esse,
quod est memoria de Aristotele proditum: Is namque quum aduersum se, perinde ac
impium, futurum esset vt concitati iudices conuenirent, quia dogmata quædam eius
philosophia induxerat, quæ contra Deorum cultum facere Athenienses existimarent:
ex Athenis secedens, Chalcidem se contulit, vbi & diu permansit; quo ex loco fami-

liaribus, & xotis scribentibus quum responderet, Ex Athenis (inquit) recessimus, ne caussam demus Atheniensibus secundo scelus committere, quale in Socratem commiserunt; neve contra Philosophiam iterato impietatis coarguantur. Pijssimus igitur erga vnum Deum verum fuit Aristoteles, qui ab Eurymedonte Sacrifico Cereris apud Athenienses impietatis accusatus est, quod Deorum gentilium turbam non coleret. Denique Steuchus ait, *(m) Quam diuina quoque, quam suspicienda, manifestaque singularis & vnius Dei duobus locis Aristotelis confessio, qua nihil a nostra Theologia clarius, ac melius expectes: octauo (o) Politicorum confirmans ea, quæ de Mente in libris post res naturales fuerat locutus, vt seipsam cogitet, contempleturque: quæ retulit quoque in Moralibus, vocans ibi Deum, quem Mentem in libris illis: In octauo Politicorum hæc sui similis dicit, Hoti men vn ecasto tjs eudæmonias epiballei tosuton, oson tjs aretjs ca phronjseos, ca tu prattein cata tautas esto synomologumenon hjmin, martyri te theo chromenois, hos eudæmon men esti, ca macarios, di' vthen de ton exotericon agathon alla di' auton autos, ca tus poios ein tjn physin.* hoc est, *Quod igitur tantum cuique felicitatis adsit, quantum virtutis, & prudentiæ, & quantum secundum has virtutes agat, sit nobis in confesso, vtentibus teste ipso Deo, qui felix est, & beatus, non ob vllum exterius bonum, sed per ipsum ipsemet, & quia talis est natura. Quantum hic eminentissima, profundissimaque Theologia? Primum dicitur hoc de summo, & vno, ac singulari Deo, quem vere naturæ instinctu, Deum simpliciter vocat: non conuenit vlli cælesti Intelligentiæ, quarum nulla est beata per seipsam, sed per ipsum illum, qui sibi quoque est beatus. Huic ergo tribuit magnam infinitamque beatitudinem, cui comes it omnium corona bonorum: is enim est beatus per se. Audias quæ (p) post eloquitur, simillima prorsus his, quæ sensit, & scripsit in Compendio. Nam quum ordinem, legemque in moderatione, non excessu consistere probaret, dixit, Ho de lian hyperballon arithmos vdynata metechein taxeos, theias gar dj tuto dynameos ergon, hjtis ca to de synechei to pan: i. Numerus, qui nimium excedit, non potest ordinis esse particeps: is enim fuit Diuinæ potestatis inuentum, quæ continet hoc Vniuersum. Duo admiranda, Numerum, quemadmodum Plato in Epinomide, esse diuinum opus, opus Dei, rem diuinam, rem repertam a Deo; appellans numerum ordinem, contentum, harmoniam rerum, quæ tota in numero est & proportione: omnem hunc ordinem, hanc harmoniam, rerumque mirabiles situs ac concentus fatetur esse diuinæ potestatis opus: & quid aliud si numerus, quam quod Moses in creatione Mundi lux, cælum, maria, terra, herba, animalia? Deinde non inuenisse solum hunc ipsum ordinem dicit, sed conseruare, continere Vniuersum ordinibus, legibusque numerosis a se repertis. Si Deus igitur continet Vniuersum, primum hunc esse singularem quemdam Deum, qualem ipse videtur describere, cui referat ordines & situs omnes acceptos, oportet: tum si continet Vniuersum, si numerus est opus eius, testatur id infinitam eius potestatem: qui enim potest continere totum mundum, quoniam in mundo est quicquid potest esse, necessario potestate sempiterna præditus est: nihil enim deest mundo, quod Natura capere potuerit: Si quæ igitur est potentia, quæ continet, sustinetque Vniuersum, eam infinitam esse necesse est, quia sustinet quicquid esse potest; vt si hæc continet, possit etiam alia, si darentur: Verisimile est enim, si tribuas Deo cunctarum rerum continentiam, in quo maxima potestas cernitur; nefasque ducis alterius, quam Dei, hanc esse potestatem, Deum, si adessent plura, continere posse: eadem enim ratio faceret vt ad ea sese Deus extenderet, qua facile continet hæc ipsa,*

m 4. de Peren. phil. cap. 19.

o 7. polit. cap. 1.

p 7. Polit. c. 4.

*quæ nunc sunt in mundo: quoniam quæ ea facile & sine defatigatione continet, claret
quod multo plura continere posset; nam qui facit aliquid sine labore, faceret etiam plu-
ra. Itaque efficitur quod ipse dixit in (q) Compendio, virtutem Diuinam esse indefa-* q de mund.
tigabilem. Deinde si tanta potestatis est, vt efficiat numerum, contineat Vniuersum, c.7.
*facilius potuit ipsum creare: Immo nisi creasset, continere non posset; quia mundus
non subijceretur ei, nec pareret, vt res æterna, vt nullum habens ab eo principium. Qui
continet ergo, moderatur rerum concentus, efficit & ordinem, oportet eum res ita mo-
derasse, vt imperijs eius obtemperarent. Si conuincitur autem potestas eius immensa,
quoniam sustinet Vniuersum, quo neque est, neque potest esse maius, arguitque id po-
testatem infinitam, certe potuit & creasse & creandi quoque habuisse potestatem.*
& mox. *Probatur autem hoc testimonio, librum illum, aut sententias illas in libro
de Mundo, Aristotelis esse; quia similia hic, & illic de potestate Dei, qua continean-
tur omnia, loquitur: in eo autem libro prædicat Deum gubernare res humanas; in
(r) moralibus, præcipue bonos. Si conferas igitur omnia, videbis et veritatem con-* r 10. eth.
fessionem sui luculenter extorsisse: Post hæc omnia sequitur, quoniam Philo Iudæus, c.7.
*omnesque quos antea vocauimus testes, Verbum Dei dixere concorditer, idest, crea-
tricem illam Mentem, cuncta continere, necessario & istum tacite Aristotelem innue-
re. Audi igitur Philonem, similia in libro De Mundo, atque hic Aristoteles de Proui-
dentia, & rerum continentia requirentem, quid dixerit tandem continere hunc mun-
dum. tas dysopias vn eitis apodidrascein bulosto tas en tois diaporetheisi legeto meta
parrhisias hoti uden ton en hyles cratæon utos, hos ton cosmon achthophorein ischysa.
logos de ho aidios theu aonio to asfyrotaton bebaeotaton: Quicumque igitur, inquit,
vellet ruborem euadere, qui solet in his, de quibus addubitatur, accidere, is intrepide
dicat, nullam rem corpoream adeo robustam esse, vt possit sustinere Mundum: Ver-
bum autem sempiternum Dei æterni firmissimam ac stabilissimam sustentationem esse.
Quod a medijs ad extrema, & ab extremis ad media pertinens & stipans, deducit in-
uictum Naturæ cursum: Vinculum enim indissolubile Vniuersi, qui genuit ipsum,
Pater fecit: Iure igitur neque omnis terra alluetur ab aquis, quæ finibus eius contine-
tur; neque ab aere extinguetur ignis; neque vicissim ab igne inflammabitur aer, Ver-
bo Diuino sese medium interponente. Hæc Philo: Dixi autem alibi locum esse mendo-
sum in impressis codicibus, vt legendum sit, non Nomos, sed Logos. Quid igitur di-
uinius his, & mirabilius, & pro quibus magis Deo gratias habere debeamus? Ari-
stoteles censet (s) Diuinam potestatem continere Vniuersum: Philo declarat hanc po-* s 7. polit.
testatem Diuinum Verbum, vinculum & sustentaculum Vniuersi. Et Paulus simili- c.4.
ter diuine, & cum his omnibus maxime consone, (t) Portans omnia Verbo virtutis t Hebr. 1.
*suæ. Paulus, & Philo Verbum; Aristoteles, & Paulus Dynamin, Virtus. Est ipse
quoque Potestas, ac Virtus Dei. (u) Collectis igitur hinc inde multis, conflabitur* u cap. 20.
*ex Aristotele mirabile, pulcherrimumque Theologiæ corpus: quam quum Deus postea
præsens ipse docuisset, prius per oracula reuelabat: docebat item, & suggerebat Natu-
ra.* Hæc, & alia multa consimilia de proposito nostro Steuchus eximius
Theologus.

Vnde salus animæ Aristotelis verè colligi posse videatur. *Cap. XVI.*

QVamquam vero Sepulueda, & alij plerique viri doctissimi, ijdemque pijssimi Theologi superioris ætatis, rationibus nuper allatis permoti fidenter affirmauerint, non sibi verisimile videri Philosophum Aristotelem a Deo fuisse sempiternis cruciatibus damnatum, qui strenue pro communi omnium salute laborauit, qui vnum Deum coluit; ac proinde Diuina misericordia non videtur indignus fuisse. Nihilominus ego propositas ab eis rationes omnes probabiles quidem satis esse fateor; at non omnino necessarias: verum non aliunde certius, ac tantum non necessarium argumentum de salute animæ Aristotelis haberi posse censeo, quam ex eo, quod in articulo
a l 17. c. 34 mortis, vt ab antiquis monumentis acceptum refert (*a*) Cœlius, lachrymis peccata purgans, & spe plenus diuinam misericordiam intentius implorauit, *Proditum*, inquit, *& illud monumentis est, quum Philosophus Aristoteles extrema sibi ingruere præsensisset, dolore ac spe in lachrymas amplius profusum Prima Caussa misericordiam intentius implorasse*: sæpius nimirum, ac ex intimo cordis affectu repetitis celebratis verbis, *Caussa caussarum miserere mei*; qui tum in
b de mund. c. 7. Compendio suæ Philosophiæ decreuit, (*b*) Deum esse vnicum, omnium autorem, placabilem, assertorem, ac participatione sui numinis homines ad vitam beatam ducentem: tum a proprijs discipulis recens vita defunctus Deo commendatus fuerit, tamquam homo probus, & sapiens, pijssimis illis pre-
c 18. lect. ant. c. 31. cibus ab eodem (*c*) Cœlio visis in antiquo libro de Pomo; dicit enim, *Et in libro de Pomo, quisquis fuerit autor, adnotatum inuenias, Scholasticos, qui morienti aderant Aristoteli, quum is iam expirasset, sic virum affatos, Qui Philosophorum animas excipit, & tuam colligat, in suis recondens thesauris, vti animam addecet recti hominis, & perfecti, qualem te nouimus*: Quum tanti viri, tamque de humano genere, deque vera Theologia, Deique veri cultu benemeriti, qualem supra vidimus, precem vltimam, piamque orationem probabilissimum est audiuisse, ac exaudiuisse iustissimum pijssimumque Deum, cuius proprium est misereri semper, & parcere. Sic igitur Aristotelem inter omnes antiquos Philosophos ad veri Dei cognitionem, & cultum, adeoque ad veram Pietatem accessisse maxime decernendum esse videtur.

FORTVNII LICETI
DE PIETATE ARISTOTELIS
Erga Deum, & Homines
LIBER SECVNDVS,
In quo soluuntur obiecta contradicentium propositis dogmatibus.

PRÆFATIO.



Vi Peripateticam doctrinam excolentes, Aristotelis obscura theoremata commentarijs illustrare felici cum successu tentauerint, plurimi quidem fuerunt omni ætate viri præclari: Qui ex aduerso Philosophum impietatis accusauerint, & ad æterna supplicia damnauerint, partim communem Ethnicorum regulam respicientes, partim Platoni sic nimium fauere credentes, cuius doctrinæ forent addictissimi, non pauci quoque prostant insignes viri. Sed qui Pietatem Aristotelis sartam tectam tueri conati sint, pauci admodum reperiuntur, eius pleraque pia dogmata celebrantes: Ceterum qui scabra difficilioraque Magistri placita nonnulla, quæ prima fronte pias aures non leuiter offendere videntur, & doctis hominibus etiam negocium non exiguum facessunt, ea salubribus interpretationibus nec a veritate, nec a pietate procul abesse, demonstrandum sibi proposuerint, vel aggressi fuerint ex professo, nullos adhuc in litterario mundo mihi videre licuit: quum tamen ad hoc efficiendum alumnos Aristotelis id excitare debuisset, quod me in præsentia mouet; multiplex nimirum veræ Pietatis radius mirifice micans in dictis almi Præceptoris, qui superiori libro propositi, & enucleati fuerunt. Opus perdifficile futurum fateor, sed vtilissimum video Studiosis omnibus, ijsque præsertim, qui plurimum concedunt doctrinæ, dictis, & autoritati Aristotelis.

Sua-

Suarezij prima dubitatio, qua culpat Aristotelem, quod Deo tribuerit potestatem praue eligendi, proponitur, & diluitur, allatis genuinis verbis Aristotelis. Cap. I.

INter ea dogmata, quibus Aristoteles Pietatem erga Deum tangere videtur, ac in ea longe a vero aberrare, illud est, quod ita proponitur, & culpatur ab eximio Philosopho pariter atque Theologo Francisco Suarez, in suis
a tom. 2. disp. 30. sect. 16. pag. 145. col. 1. Metaphysicis disputationibus hæc habente, (a) *Praeterea 4. Top. cap. 5. ait* Aristoteles [*Potest Deus, & studiosus praua agere; non sunt autem praui; nam omnes praui secundum electionem dicuntur.*] *Vbi licet in eo erret, quod Deo tribuit potestatem praue eligendi; in eo vera veritati fauet, quod Deo tribuit potestatem eligendi.* Quam quidem dubitationem multiplici responsione diluere possumus. In primis enim longe mihi aliud est, posse praua agere; quam potestatem sine errore Deo tribuit Aristoteles; & aliud est, posse praue agere, seu posse praue eligere; quam potestatem praue agendi, seu praue eligendi, falso dicit ipse vir doctus Aristotelem Deo tribuere: duas vero potestates has, quę confunduntur a Suarezio, multum inter se distare constat apertissime apud Aristotelem, qui alibi scribit, aliud esse iusta agere, & iuste agere; quod agere iusta valeant, qui iusti nondum sunt; ac proinde iuste non agunt,
b 2. ethic. cap. 4. (b) *Dubitaret autem*, inquit, *quispiam quomodo dicamus iustos iusta agendo, temperantia temperantes effici oportere: nam si agunt iam iusta, & temperantia, iusti iam sunt & temperantes; sicut si grammatica & musica, grammatici & musici iam sunt. An neque in artibus ita res se habet: quippe quum possit grammaticum quippiam aliquis facere, vel ex fortuna, vel alio suggerente: tunc tamen erit grammaticus, si & grammaticum aliquid, & grammatice faciet; hoc est ex grammatica arte, quæ in ipso est. Praeterea neque simile hoc est in artibus & virtutibus: quæ enim ab artibus fiunt, id in seipsis habent, quod bene effecta sint; satis siquidem illud est, vt quoquomodo efficiantur: quæ vero secundum virtutes fiunt, non si aliquo modo ipsa se se habeant, continuo iuste & temperanter aguntur; sed si etiam qui agit, aliquo modo affectus agat: primum quidem, si sciens; deinde, si eligens, atque eligens propter ipsa; tertio, si stabili atque immutabili affectu praeditus agat. Hæc vero ad alias artes consequendas connumerari non solent, sed ipsa sola cognitio sufficit: ad virtutes autem cognitio parum, vel nihil valet; reliqua non parum, sed multum ad totum conferunt; quippe quæ ex eo etiam comparentur, quod sæpe iusta & temperantia agunt. Res igitur iustæ & temperantes dicuntur, quum fuerint tales, quales vir iustus, vel temperans ageret: iustus vero vir & temperans est, non qui hæc agit; sed qui etiam ita agit, vt iusti & temperantes solent.* Sic igitur aliud est posse praua agere, quod tribuit Deo & homini probo Philosophus; & aliud est posse praue agere, vel eligere praue agere; quod nunquam Deo, aut studioso concedit Aristoteles; qui pari ratione tribuit non temperanti posse temperantia agere, & non iusto posse iusta agere; a quibus remouet posse iuste, ac temperanter agere: Sed & in hoc eodem loco Philosophus aperte statuit Deum, qui potest agere praua, prauum non esse, quia praui secundum electionem dicuntur.

tur. Noui doctos viros hanc difficultatem tollere longe secus ex (c) Scoto, eiusque (d) discipulo, quin & ex (e) Durando, atque (f) Bies, Theologis pijs atque catholicis, dicentes, pietatem non lædi ab eo, qui dicit Christum Dominum, verum Deum, potuisse peccare potestate absoluta; quod est posse praua agere. Sed scio talem Deum ab Aristotele minime cognitum fuisse, qui vita functus est ante Christum natum trecentis plus annis: putoque potestatem hanc peccandi positam fuisse ab iis Theologis in Christo Domino ratione humanitatis, non autem ratione Diuinitatis; de qua sola nunc agit Aristoteles. Immo potestas peccandi est potestas agendi praue; Philosophus autem Deo concedit potestatem agendi praua, non autem potestatem agendi praue.

c 3. s. d. 12. q. 2. d. 12. q. 1. & in Repert.
d 3. se. d. 12. q. 2.
e 3. se. d. 12. q. 2.
f 3. se. d. 12. q. 2.

Secunda nodi solutio est, Aristotelem loco citato Dei nomine significare hominem contemplatiuum, prout distinguitur a ciuili, quem studiosum appellat. *Cap. II.*

SEd & aliter ex Aristotele proposita dubitatio soluitur; quoniam loco citato Magister decernit, Deum habere potestatem agendi praua, his plane verbis: (a) *Videndum autem si quid vituperandorum, aut fugiendorum in potestate, aut potentia posuit; vt sophistam, vel calumniatorem, vel furem eum, qui possit aliena latenter surripere: nemo enim prædictorum in eo quod possit aliquid horum, talis dicitur: Potest enim & Deus, & studiosus praua agere; non sunt autem huiusmodi; nam omnes praui secundum electionem dicuntur. Amplius omnes potestates eorum sunt, quæ sunt eligenda; nam prauorum potestates eligendæ, eo quod Deum, & studiosum habere dicimus eas; potentes enim dicimus eos esse, praua agere: quare nullius vituperabilis erit genus potestas. Si autem non, accidet vituperandorum quoddam eligendum esse; nam erit quædam potestas vituperabilis.* Quibus sane verbis Aristoteles ait, vituperabiles ac fugiendas esse, non quidem potestates efficiendi praua, sed prauas ipsas actiones, seu electiones ipsas agendi praua: decernitque vituperandos & prauos esse, non qui potestatem habent agendi praua; sed qui actu eligunt agere praua, quique actu agunt praua; quod ex eo confirmat, quoniam, inquit ipse, tum Deus, tum homo probus, quorum neuter prauus est, aut dici potest, habet nihilominus potestatem agendi praua. Modo videamus an errauerit Aristoteles, culpandusque sit hic repetēs, Deum agere posse praua. Nos equidem negatiuam partem accipimus, pluribus moti rationibus præter (*) allatam nunc sigillatim aperiendis. Inprimis enim Dei nomen Aristoteles, Sacra pagina, nostri Theologi, communiterque sapientes homines concedunt animæ rationali in corpore degenti; quin & ipsimet homini mortali ex anima & corpore constituto. Plotinus apertissime Dei nomen homini tribuit dum (b) ait: *Studium vero hominis atque votum non est extra peccatum esse, sed esse Deum: si ergo talium aliquid inconsulto tantum fiat, Deus quidem erit talis, atque Dæmon, existens geminus: immo potius alium secum habens virtute alia præditum: sin vero nihil, Deum solum: Deum inquam ex eorum numero, qui primum sequuntur.* & alibi scribit: (c) Mi-

a 4. top. loc. 64.
* cap. sup.
b Ennead. 1. lib. 2. c. 6.
c Ennead. 3. lib. 2. c. 8.

ran-

rantur plerique hominem iniuste viuere; propterea quod hominem in vniuerso existimant apprime venerandum, quasi nihil omnino sit sapientius. Sed reuera homo Deorum, brutorumque est medius, & ad vtraque vergit; atque alij quidem Dijs, alij vero brutis similiores euadunt; plurimi autem inter hæc obtinent medium. Vt ergo medium quoduis ad alterum extremorum collatum induit nomen alterius extremi; sic homo optimus ad pessimum comparatus dicitur Deus, & pessi-
d Eclog. 1. mus ad optimum relatus Plotino dicitur bellua. Virgilius pariter in (d) Tityro Cæsarem Augustum etiamnum viuentem, ac suum benefactorem, suum Deum appellat, inquiens:

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit:
Namque erit ille mihi semper Deus, illius Aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues (vt cernis) & ipsum
Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

e lib. 1. Eustathius in Iliade (e) scribit, *Cæsar apud Romanos primus viuensque Dei no-*
f l. 21. c. 33 *men est sortitus.* Cœlius Rhodiginus in suis antiquis lectionibus (f) ait: *Antipatrum fuisse Seueri filiorum præceptorem, quem dum laudibus meritis optimi iuuenes onerarent, subinde Deorum præceptorem nuncupabant. Quæ res & in prouerbium trahitur, vt quisquis Principum, aut Optimatium etiam liberos instruit, is Deorum dicatur institutor: Nam & Aristophanes Macaron euochian dixit regia conuiuia, hoc est, Beatorum epulas. Non fere est, qui nesciat, ex adulatione natum, vt Imperatores perinde ac Dij haberentur, colerenturque.* Alexander etiam Macedo, Aristotelis alumnus, viuens ipse voluit haberi, & nuncupari Deus, quia
g in Lacon. Plutarchi testimonio, (g) *Damis ad postulata ab Alexandro missa, quibus decre-*
instit. *to se in numerum Deorum referri iubebat, Concedimus, inquit, Alexandro, vt si ita*
h l. 9. c. 47. *vult, Deus vocetur.* Quin & apud Cassiodorum in Historia (h) Tripertita, *Theotimus eo tempore Tomitanam, & Scithiæ Ecclesiam gubernabat, vir in Philosophia nutritus; cuius virtutem diligentes barbari trans Istrum habitantes, Deum*
i 3. de cur. *Romanorum esse prædicabant.* Theodoreti quoque relatu, (i) *Porphyrius in ea*
Græc. aff. *epistola, quam scribit ad Anebonem Aegyptium, testatur, ab Aegyptijs hominem in Anabi villa pro Deo coli solitum esse, cui super Aram rem diuinam facerent; certoque ac opportuno tempore proprium illi epulum conueniensque offerrent.* Cæterum &
k cap. 7. in (k) Exodo dicit Dominus ad Moysen, *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Et
l cap. 21. in eodem libro Dij (l) sæpenumero nuncupati, dicuntur a (m) Lyrano esse
& 22. Iudices homines; & ab Interlineari (n) Glossa Dij dicuntur Sacerdotes,
m Exod. & Catholici Doctores. In Psalmis etiam Deorum nomine frequentissime
cap. 21. significantur homines mortales, interpretatu Glossographi; (o) *Deus stetit in*
n Exod. *Synagoga Deorum: in medio autem Deos iudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem,*
cap. 22. *& facies peccatorum sumitis? Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iusti-*
o Psal. 81. *ficate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.* Vnde constat, homines Iudices terræ in sacra scriptura
p Psal. 83. nuncupari Deos. Vt etiam dum dicitur, (p) *Videbitur Deus Deorum in Sion:* Vbi Glossa Interlinearis explicat, Deus Deorum, idest, Christianorum.
q Psal. 94. Quin etiam ibi legimus. (q) *Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus su-*

super omnes Deos; vbi Glossa Deorum nomine (r) Prophetas Dei amicos, & r Lyran.
(s) homines interpretatur potius quam Dæmonia; quia *Deus est Rex super* s D. Aug.
homines, non super Dæmonia. Et (t) infra, *Confitemini Deo Deorum*. vbi Glossa t Psal. 135.
Deos dicit homines, apud quos sermo Dei factus est in alio Psalmo, vbi ait, Ego dixi,
Dij estis. Apud (u) Euangelistam Ioannem Christus Dominus ait, Deos es- u cap. 8.
se ac dici a sacra scriptura Prophetas, ad quos Dei sermo factus est; vt etiam
adnotat ibi Glossographus. Sardica Synodus item apud Theodoricum, &
Cassiodorum in Ecclesiastica Historia (x) Tripertita, Dei nomen hominibus x l. 4. c. 24.
applicat, inquiens: *Confitemur verbum Dei patris esse: præter quod aliud non est:*
& verbum veri Dei, & sapientiam, & virtutem, verumque filium tradimus. Et
non sicut cæteri filij nominantur, ita filium dicimus, quoniam illi aut gratia genera-
tionis Dij erunt; aut eo quod digni fiant, filij nuncupantur; neque propter vnam
substantiam, quæ est Patris, & Filij. Diuus etiam Paulus ad (y) Corinthios y Epist. 1.
inquit, *Nam & si sunt, qui vocantur Dij, siue in cœlo, siue in terra; siquidem sunt Dij* cap. 8.
multi, & Domini multi: Vbi Glossator interlinearis ait; *Non falso putatos dico,*
sed in veritate Dij participatione Deitatis; vt Sancti, qui alijs præsunt; in terra Apo-
stoli; in cœlo Archangeli. Sed & in (z) Exodo quoque legimus, *Dijs non de-* z cap. 22.
trahes, & Principi populi tui non maledices. Vbi Glossographus Deorum nomi-
ne Sacerdotes, & Iudices interpretatur. Præterea vero fuit adeo commu-
nis consuetudo scriptores apud omnes antiquiores Dei nomen concedere
mortali homini, vt in (a) prouerbium cesserit antiquis Homo homini Deus. a Parœ-
Denique Mercurius Trismegistus asserit, (b) *Dio tolmiteon eipein, ton men an-* miogr.
thropon epigeion, eina theon thniton, ton d'vranon eina theon, athanaton anthropon. i. b lib. 4.
Ideo audendum est dicere, Hominem quidem terrenum, esse Deum mortalem: cœlestem
autem Deum, immortalem hominem. & (c) alibi; *Agnoeis hoti theos pefhycas; cu*
tu henos pas e cago. idest. *Ignoras quod Deus natus sis? & vnius filius, quod &* c lib. 7.
ego. Sed & Aristoteles vtitur Dei nomine in eodem sensu, proferens de ho-
mine societatem fugiente talia verba, (d) *Qui autem in communi societate ne-* d 1. polit.
quit esse: quique nullius indiget, propter sufficientiam, nulla pars est ciuitatis: quare cap. 2.
aut bestia, aut Deus: natura igitur omnibus ad huiusmodi societatem est appetitus.
Nimirum homo viuens hanc vitam mortalem, & vitans aliorum hominum
societatem, ab Aristotele dicitur aut bestia, aut Deus; bestia, si fatuus fuerit,
aut misanthropos; Deus, si fuerit sapiens, ac eligens sibi vitam contempla-
tiuam in solitudine: Porro talis bestia fuit osor hominum ille Timon anti-
quus; de quo Plutarchus historiam breuem hanc nobis obtulit, (e) *At Anto-* e in Vita
nius relicta vrbe, & amicorum consuetudine, domicilium sibi in mari ad Pharum ex- M. Anton.
truxit, proiecto in altum aggere, atque ibi extorris ab hominibus egit: vitam ferebat
se imitari, & æmulari Timonis, quod res suæ eodem loco essent: quippe violatum se
ab amicis suis, atque ingratitudinem eorum expertum; ideo omnibus diffidere, & ab
omnibus abhorrere hominibus. Fuit Timon ciuis Atheniensis, vixitque circa bellum
Peloponnesiacum: vt est colligere ex Aristophanis, & Platonis Comœdijs, in quibus
perstringitur vt inimicus & osor generis humani: Hic quum declinaret & reijceret
omnium hominum congressum, Alcibiadem iuuenem & audacem sedulo salutabat, &
exosculabatur: Stupente Apemanto, causamque requirente; diligere ait se adolescen-
tem, quod multorum cum populo Atheniensi malorum aliquando autorem sciret fore.

Vnum admittebat interim Apemantum, vt germanum sui, & eiusdem vitæ sectatorem. Quum aliquando inferiarum solemne esset, conuiuabantur hi duo inter se soli: & quum dixisset Apemantus, Quam est Timon egregium nostrum conuiuium? si quidem tu, inquit, non adsis. Fertur in concione populi Atheniensis conscendisse suggestum; silentio autem & expectatione propter nouitatem magna facta, dixisse, Est mihi exigua, Athenienses, area, in qua adoleuit ficus; ex ea multi iam ciues se suspendere; quia vero hunc locum statui inædificare; nolui prætermittere, quin id publice pronunciarem; quo, si quibus vestrum visum erit, priusquam exscecetur ficus, suspendat se. Defuncto illo & Halis iuxta mare humato abluit vnda prætextum littus, ac circumfusa monumentum eius reddidit hominibus inaccessum & inuium. Id inscriptionem hanc habuit:

Hic recubans abrepta anima infelice quiesco.
Nomen non quæras: mala pestis perde sceleslos.

Atque hoc epigramma ab illo ferunt adhuc superstite factum: illud vero, quod circumfertur, est Callimachi.

Timon misanthropus ego hic iaceo. sed enim hac tu
Transi dira precans, ac modo prætereas.

f in vit. Porphyr. Eunapij quoque testimonio, (f) *Porphyrius concepta corporea molis humanitatisque odio quodam, transmisit in Siciliam, traiectoque freto ad Carybdim, qua Vlysses enauigasse perhibetur, quod neque Romam iam in oculis ferebat, neque vocem hominum amplius admittebat: Ita simul & delicias suas dereliquit, & excrucïantem se agritudinem exuit. Inde Lilybæum contendit, quod vnum est è tribus Siciliæ promontorium Africam versus porrectum, eamque respiciens; vbi iacuit in suspirijs vitam trahens, inedia se macerans, cibique nihil admittens, præterea humanum consortium & accessum prorsus declinans.* Talem hominem, qualis Timon Athenis, & Por-
g 1. polit. cap. 2. phyrius in Sicilia, nunc (g) Aristoteles, & post Aristotelem (h) Plotinus appellant bestiam: illum vero, qui vt sapientiæ, contemplationique vacare
h Ennead. 3. l. 2. c. 8. queat attentius, ciuilem hominum conuersationem deuitat, Deum cognominant: sed hic vterque homo fugiens consortia vitæ communis, ab Aristotele, atque a Plotino dicitur esse aut bestia, aut Deus; non quidem natura, sed
* in Σ. similitudine, seu moribus, ac vitæ genere. Apud (*) Suidam etiam legimus, *Seth, Adami filius: De hoc illud dictum est, Ingressi sunt filij Dei ad filias hominum; hoc est Caina stirpis. Deum enim Sethum illius ætatis homines appellabant, eo quod & Hebraicas literas, & stellarum appellationes inuenisset, ob insignis eius pietatis admirationem, vt qui primus & cognominaretur & appellaretur Deus, quemadmodum & Mosi dicit dominus, Deum dedi te Pharaoni; & de virtute præditis, & iudicibus, & spiritualibus dicit, Deos non contemnes, & principi populi tui non maledices. Merito igitur Sethi & Enossi, & Enochi, filij Dei, & Deorum filij, autore Symmacho, qui victi libidine, ad Cain filias sunt ingressi: e quorum impari & impuro coniugio nati sunt Gigantes, ob iustum quidem robusti & maximi, ob iniustum autem & prophanum, improbi & pessimi.* Ita ergo Dei nomen ab Aristotele, & a sacra pagina, Doctoribusque Classicis omnium generum, tribuitur homini
i 1. Corin. cap. 8. mortali. Vt igitur in terra Apostoli, qui Dij dicti sunt a Diuo (i) Paulo, ex interlineari Glossa, potestatem habuerunt agendi praua; quam etiam ad actum deduxerunt; quia Petrus Apostolorum Princeps ter negauit Dominum

num cum (k) falso iuramento: ita plane Deus iste mortalis ab Aristotele ve- k Matth.
re, ac sapienter dicitur agere posse (l) praua; scilicet ille (m) suus, qui a cap.28.
communi hominum societate seiunctus, nullius indiget, sibimetipsi suffi- l 4. top. loc.
ciens ad vitam corporalem, nulla pars est ciuitatis, praua potest agere nihi- 64.
lominus quam homo studiosus in ciuili conuersatione degens; nimirum m 1. polit.
dum Aristoteles ait, (n) *Potest enim Deus & studiosus agere praua*; de duplici cap.2.
hominum genere loquitur; de beato naturali felicitate contemplatiua, quem n 4. top.
Deum appellat; & de felici naturali beatitate actiua, quem nuncupat stu- loc.64.
diosum: Et quidem hominem in hac vita mortali praeditum naturali felici-
tate contemplatiua, sibi sufficientem, ac nullius indigum, ea ratione nuncu-
pat (o) hic Deum Aristoteles, & (p) alibi: qua tum vitam & felicitatem o loc. cit.
contemplatiuam constituit esse Dei (q) propriam; asseueratque per eam p 1. polit.
reddi hominem Deo maxime cognatum, ac (r) *syngenestaton*, idest *congeneissi-* cap.2.
mum, vt ita loquar; tum proprietatem Dei esse decernit, viuere vitam sibi q 10. Eth.
(s) sufficientissimam, & nullius indigam; nam & sacra pagina vt vidimus, cap.7.
viros Prophetas, & sanctos homines appellat Deos; cuiusmodi fuerunt Ere- r 10. Eth.
mitae prisci dudum in solitudinibus Diuinarum rerum contemplationi va- cap.8.
cantes, sibimetipsis ad vitam corporalem singuli sufficientes, ac nullius al- s 1. coela
terius hominis indigentes. Hominem autem naturali felicitate actiua bea- t. 100.
tum, rectissime nuncupat Aristoteles eo (t) loco studiosum, probumque vi- t 4. top.
rum; quoniam illa felicitas est ex habitu virtutis (u) moralis, seu ciuilis. loc. 64.
Cuique vero quum apertissimum sit, tum hominem studiosum, qui morali u 1. Ethic.
virtute praeditus ciuilem vitam degit; tum etiam procul ab hominum con- cap.9.
sortio vitam in solitudine viuentem, ac Diuinis contemplationibus incum- 2. Eudem.
bentem, agere posse praua; nam & hominis cuiusque natura indifferens est cap.1.
ad bonum, & ad malum; potestatemque habet vtrumlibet agendi; & ex
historijs sacris compertum habemus, aliquot viros Eremitas, & miraculo-
rum virtute conspicuos, quandoque deliquisse, & praua egisse, anteacta vi-
tae minime consentanea; & postea resipuisse, poenitentiaque commissas
prauitates obliterasse. Sic igitur non errauit Aristoteles, dum asseruit,
Deum, & studiosum agere posse praua; quia Dei nomine significauit (x) hic x 4. top.
virum solitarium contemplatiuae vitae vacantem; vt etiam (y) alibi. loc. 64.
y 1. polit. cap.2.

Deus, qui potest agere praua, secundum Aristotelem est anima rationalis, siue potius intellectiua, principium in humano corpore degens. Cap. III.

DEinde vero Dei nomen potiori ratione conceditur a priscis autoribus,
ac speciatim ab Aristotele passim humano intellectui, dum adhuc in
corpore degit; ac sane de proposito Marcus Tullius haec audit ab Africano
suo; (a) *Tu vero enitere, & sic habeto; non esse te mortalem, sed corpus hoc; nec enim* a de Som.
tu is es, quem forma ista declarat: sed mens cuiusque is est quisque, non ea figura, quae Scipion.
digito demonstrari potest: Deum igitur te scito esse: siquidem est Deus, qui viget, qui
sentit, qui meminit, qui prouidet, qui tam regit & moderatur & mouet id corpus, cui

prapositus est, quam hunc mundum ille princeps Deus: & vt ille mundum quadam
parte mortalem ipse Deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus mouet. Ma-
b 2. in som. crobius ad hunc Tullij locum pariter infit; (b) *Africanus igitur pene exutus*
Scip. c. 12. *hominem & defaecata mente iam natura sua capax hic apertius admonet, vt esse*
Deum se nouerit: & hac sit praesentis operis consumatio, vt animam non solum im-
mortalem, sed Deum esse clarescat. Ille ergo iam post corpus qui fuerat in diuinita-
tem receptus dicturus viro adhuc in hac vita posito, Deum te esse scito, non prius tan-
tam praerogatiuam committit homini, quam qui sit ipse discernat; ne aestimetur hoc
quoque diuinum dici, quod mortale in nobis, & caducum est. & mox. *Anima au-*
tem, qui verus homo est, ab omni conditione mortalitatis aliena est adeo, vt ad imita-
tionem Dei mundum regentis regat & ipsa corpus, dum a se animatur: ideo Physici
mundum magnum hominem, & hominem breuem mundum esse dixerunt: per simi-
litudines igitur caeterarum praerogatiuarum, quibus Deum anima videtur imitari,
animam Deum & prisci philosophorum & Tullius dixit. Quam sane sententiae
suae rationem Cicero, & Macrobius hausisse videntur ab Aristotele, qui tum
c 1. meta. laudat (c) Antiquiores dicentes, Vt se habet Deus in Mundo, sic sese habe-
su. 2. c. 2. re Intellectum in homine: tum ex mente propria decernit (d) Deum esse
d lib. de vim quandam inuisibilem, quae partes omnes Mundi gubernat, conseruat, ac
Mund. c. 7. mouet; perinde ac anima est in nobis vis quaedam inaspectabilis, qua viui-
mus, qua vrbes, qua domos habitamus, & omnia vitae opera facimus. Cae-
terum animam intellectiuam in humano corpore Deum appellat etiam
e lib. 4. Mercurius (e) Trismegistus, dum ait: *Dynaton gar o tecnon psychjn apotheothj-*
na en somati anthropu ceimenjn, theasamenjn to tu agathu callos. idest, *Possibile enim*
est o fili, animam deificari in corpore hominis, qua viderit boni pulchritudinem.
& mox. *Psychj de anthropinj, u pasa men, j d' eusebjs damonia tis esti ca theia.*
hoc est, *Anima vero humana, non quidem omnis, sed pia, daemonia quaedam est, & di-*
f lib. 11. *uina.* & multo (f) post. *utos d' ho nus, en men anthropois theos estin. Dio ca*
tines ton anthropon theioi esi. ca hj auton anthropotjs engys estin theotjtos, ca gar ho
agathos damon, tus men theus eipen anthropus athanatus, tus d' anthropus theus thnj-
tus. en de tois alogois zoas, ho nus hj physis estin. hoc est, *Ista vero mens in homi-*
nibus quidem Deus est. Ideo quidam hominum diuini sunt: & ipsorum humanitas
g Ennead. 5 *proxima est deitati: etenim bonus daemon, Deos quidem dixit homines immortales.*
l. 2. c. 1. *Homines vero Deos mortales: In brutis vero mens est natura.* Plotinus etiam Dei
nomen, & officium tribuit animae intellectrici corpus informanti, dum ait,
h Enn. 5. (g) *Anima nostra in eodem corpore, eodemque tempore agit plantam quibus inmem-*
l. 1. c. 1. *bris tantum vegetat; agit brutum, in quibus instrumentis solum sentit; agit homi-*
i Enn. 4. l. 7 *nem interim ratiocinando; agit daemonem, aut Deum simul, intelligendo.* & alibi,
ad cap. 9. (h) *Animae*, inquit, *Diuinae sortis sunt, Deique omnino.* Marsilius etiam Ficinus
k com. tum apud (i) Plotinum ait, Animam esse in genere diuinorum vltimam;
orat. 4. tum apud (k) Platonem asserit, Animam in Deum conuerti per lumen su-
cap. 4. pernaturale sibi infusum, dum adhuc in corpore est. Plutarchus etiam So-
l op. de Ge- cratis animam mentemque puram (l) ait fuisse, de quo fama percrebuerat
nio Socr. Athenis, Socratis Genium, siue Deum Socratis; quo ipse perspicax multa
m op. de caeteris ignota percipiebat. In eandem sententiam Apuleius etiam agens
Deo Socr. de Deo Socratis infit, (m) *Nam quodam significatu, & animus humanus*

etiam

etiam nunc in corpore situs Dæmon nuncupatur.

----- (n) *Dijne hunc ardorem mentibus addunt* — n Virg. 9. Aen.
Euriale? an sua cuique Deus fit dira Cupido?

Igitur & bona Cupido animi, bonus Deus est. Vnde nonnulli arbitrantur Eudæmonas dici beatos, quorum dæmon bonus, idest, animus virtute perfectus est: quem nostra lingua, vt ego interpretor, haud sciam an bono, certe quidem meo periculo, poteris genium vocare: quod is Deus, qui est animus sui cuique, quanquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur: vt ea preces, quibus Genium & genua precamur ad coniunctionem nostram. Aristoteles non semel hac significatione tum Dei nomen vsurpauit, tum animæ nostræ intellectrici diuinitatem assignauit; in primis enim cum (o) Xenocrate, Animum in corpore degentem nuncupat vniuscuiusque genium his notis. *Similiter autem & ingeniosum, cuius fuerit Genius studiosus, quemadmodum Xenocrates inquit, ingeniosum eum esse, qui animam sortitus est studiosam: ipsam enim vnicuique esse genium.* Quem sane locum aptius interpretatur Gruchius, quam Boethus; habet enim ita Græcus codex: *Homoios de ca eudæmona, u an ho dæmon i spudaos, cathaper Xenocratis aisin eudæmona eina, ton tin psychin echonta spudaian, tautin gar ecasto eina dæmona.* idest: *Similiter autem & felicem eum esse, cui dæmon sit bonus; quemadmodum Xenocrates felicem ait esse eum, cui animus bonus datus sit; eum enim dæmonem esse cuique.* Quam doctrinam hauserat vterque discipulus, Xenocrates & Aristoteles, a Præceptore communi Platone, qui talia fatur in Timæo: *De præstantissima igitur anima nostra specie ita est sentiendum; nempe hanc Deus vt Dæmonem nostrum cuique tribuit: hanc in summa corporis arce sedem habere dicimus, atque ad cœli cognationem a terra nos tollere, tanquam animalia cœlestis potius quam terreno semine nata: Quod quidem recte admodum dicitur; vnde enim primus animæ datus est ortus, inde diuina vis caput radicemque & originem nostram tendentem suspendens, totum dirigit corpus.* sed & ex mente propria Aristoteles alibi sæpe rationalem animam, quamdiu in corpore degit appellat Diuinam, & etiam Deum; Diuinam quidem tum vbi agens de partium animæ humanæ coniunctione cum corpore conceptus in vtero, (p) scribit, *Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis*: tum vbi comparans hominem cum alijs animalibus infit, (q) *Solus enim animalium omnium erectus est* homo, *quoniam eius natura atque substantia diuina est: officium autem diuini est intelligere, atque sapere, quod non facile esset, si vasta corporis moles assiderit; pondus enim tardiorem reddit & mentem & sensum communem*: tum maxime vbi tractans de vita hominis, seu de felicitate hominis contemplatiua, in comparatione ad eiusdem felicitatem actiuam scribit in hæc verba. (r) *Si igitur ex actionibus, quæ secundum virtutem fiunt, bellica & ciuiles pulchritudine & magnitudine excellunt, atque hæ negociosæ sunt, finemque quendam appetunt, & non per se sunt expetenda; intellectus vero operatio tum studio præstare, quum contemplatiua sit; tum appetere præter seipsam finem nullum videtur, habereque voluptatem propriam, quæ operationem ipsam auget, siue perficit; & sufficientia quoque, & ociositas, & indefatigabilitas vtpote humana, & quæcumque alia beato attribuuntur ex hac operatione videntur existere: perfecta sane felicitas hæc hominis est, vbi vita longitudinem per-*

o 2. top. loc. 19.

p 2. de gen. an. cap. 3.

q 4. de part. an. cap. 10.

r 10. Ethic. cap. 7.

fe-

factam est natura; nihil enim eorum quæ sunt felicitatis imperfectum est! At talis quidem vita præstantior esset, quam homini conueniat; non enim quatenus homo est, ita viuet; sed quatenus diuinum quid in ipso inest, quanto autem id præstat composito, tanto quoque eius operatio ab operatione distat, quæ ex viuerte alia existit. Si igitur intellectus diuinum quid est, si ad hominem respiciamus; sic vita, quæ ex intellectu traducitur, si humanæ comparetur, diuina etiam ipsa est. Dei ergo nomine sæpius Aristoteles egit de humano intellectu, quatenus in corpore degens habet operationem sibi propriam, in qua obeunda non vtitur ministerio corporis, nimirum intellectionem. Qui quidem humanus intellectus cum voluntate realiter est vnum; differunt enim sola ratione, quod ex Aristotele
h 3. de ani. constat, Intellectui functionem voluntatis attribuente, quæ (b) iussio est:
t. 53. Cum autem his duabus facultatibus innixa rationalis anima in corpore degens, absque ministerio corporis operationes proprias edens ab Aristotele nuncupetur Deus; nullo iam crimine de tali Deo loquens Aristoteles, vere
i 4. top. dicere potuit, (i) Deum, & studiosum posse praua agere, etsi neuter illorum
loc. 64. sit prauus: & sane Dei nomine significauit Animam in corpore, sola ratione a corpore secretam; studiosi vero nomine nobis indicauit Aristoteles totum hominem aggregatum ex corpore & anima, quæ in se gereret habitus virtutum; quibus habitibus vt homo studiosus efficitur, & prauus esse prohibetur; ita vicissim illi non tollunt ab homine potentiam agendi praua.

Nomine Dei praua agere valentis Aristotelem intelligere potuisse hominum animas a corpore separatas. Cap. IV.

CÆterum Dei nomen ab Aristotele, alijsque priscis, quin & a sacris Theologis, & a diuina pagina conceditur etiam animis hominum a corpore separatis Aristoteles enim asserit, Homines ob virtutis excellen-
a 7. eth. c. 1. tiam fieri (a) Deos, & Herculem proinde vita defunctum euasisse (b) Deum.
b 7. Eudé. Lilij quoque (c) testimonio, Seruius Grammaticus obseruauit, Aristotelem
cap. 15. scripsisse De Deis animalibus. (d) Macrobius item contestatur, Aristote-
c Syntag. lem theologumena scripsisse. Id fortasse fecit Aristoteles in libro suo, quem
15. titulo Pallij, seu Pepli promulgauit; de quo suis temporibus prostante Cas-
d 1. Satur. siodorus ita: (e) *Quapropter pagani non erubescunt multos homines deificantes: &*
cap. 18. *vtinam bonis moribus institutos, aut iustos, aut castos; & non potius lubricos, ini-*
e 7. Tripar. *quos & ebriosos; idest, Herculés, & Dionysios, & Asclepios, sicutifrequenter in suis*
cap. 2. *libris Iulianus iurare non erubescit. Quorum masculas fœmineasque cupidines si numerare voluero, longa digressio generatur. Sed sufficit hæc scire volentibus Aristo-*
f disq. per- *telis Pallium.* Qui sane liber, æuo Cassiodori prostans, ad nostram non per-
rip. to. 1. uenit ætatem: Sed huius Pallij, seu Pepli autorem, qui metris agit, & tra-
lib. 2. & 4. ctat Gentilium theologiam, non fuisse nostrum Stagiritam Philosophum,
g in vit. vt arbitratur (f) Patricius, sed tertium illum a (g) Laertio relatum inter octo
Arist. lib. 5 Aristoteles; qui Iliadem Homeri scripsisse dicitur; nam quæ in eo Peplo
h 10. Eccl. Theologia continetur, a Nicephoro deliramenta & nugæ nuncupantur, his
hist. c. 86. notis: (h) *Sed ad eam rem cuiuis quamprimum cognoscendam suffecerit Aristotelis*
Pe-

Peplum, Dionysij Corona, Polymnimon Rhegini liber, & turba Poetarum, qui vel ex
ipsorum expositis, deliramenta potius & nugas, quam Theologiam posteris reliquere.
Quod iisdem fere verbis contestatur in sua Tripartita (i) Cassiodorus loco i lib. 7. c. 1.
citato subdens: *Sed sufficit hac scire volentibus Aristotelis Pallium, & Corona*
Dionysij, & liber Rhegini multa memoria, turbaque poetarum, qui de talibus scri-
bentes vere ridiculum & inanitatem Theologia ostendere paganorum: Quum Ari-
stotelis nostri Philosophi scripta omnia seria sint, & grauem doctrinam af-
ferant: Vnde constat autorem Pepli fuisse, non Aristotelem Stagiritæ Philo-
sophum, sed alium ab eo Aristotelem poetam, tertium a Laertio numera-
tum: Quod nobis insinuat aperte quoque Macrobius inquiens: (k) *Hec,* k 1. Satur.
que de Apolline diximus, possunt etiam de Libero Patre dicta æstimari: nam Aristote- cap. 18.
les, qui theologumena scripsit; Apollinem & Liberum Patrem vnum eundemque
Deum esse quum multis argumentis asserat &c. Si namque Stagiritam citasset,
Aristotelem in Theologumenis, non Aristotelem, qui Theologumena scri-
psit, attulisset; modus enim loquendi diuersum Aristotelem a nostro fuisse,
qui Theologumena scripsit, euidenter ostendit. Idem autem iudicium fe-
rimus cum (l) Patricio, de libello quodam alio, qui non ita pridem prodijt ex l disq. pe-
Typographia Guillelmi Lemarij, simul excusus cum alijs Aristotelis operi- ripat. to. 2.
bus, sub Pepli Aristotelici nomine, continens aliquot epitaphia Heroum lib. 4.
Homericorum; qui certe non est is, quem Nicephorus & Cassiodorus cita-
uerunt; non enim continet Antiquorum Gentilium theologiam, quam hi
Peplum, Palliumve Aristotelicum continuisse dicunt. Esse vero Peplum
huiusmodi illius Aristotelis, quem Laertius tertium commemorat, atque
circa Iliada operatum, inde liquet aperte, quod epitaphia huius Pepli om-
nia sunt Heroum, qui celebrantur in Iliade. Constat igitur & ex hoc Ari-
stotele, Dei nomen attributum antiquitus fuisse rationalibus animis a cor-
pore separatis. Mercurius etiam Trismegistus infit, (m) *& talis anima post* m lib. 4.
discessum a corpore pietatis agonem postquam certauerit vel mens fit, vel Deus.
Romani quoque suos Imperatores, relatu Dionis & Herodiani, notatuque
(n) Porchachij, vita recens functos consecrabant, existimantes eorum ani- n fun. ant.
mas exuto & exusto corpore fieri Deos, vt ait etiam (o) Cicero. Tertullia- tab 6 & 7.
nus item inquit in Apologetico, *Maledictum est, ante apotheosin Deum Cæsarem* o 2. & 3. de
nuncupare. Tacitus pariter infit, *Deum honor Principi non ante habitur, quam* nat. Deor.
agere inter homines desierit. Cæterum & sacra pagina nonnunquam homi-
num defunctorum animas appellat Deos; ita legimus in Exodo: (p) *Nunc co-* p cap. 18.
gnoui quia magnus dominus super omnes deos; vbi Glossator interlinearis per
deos interpretatur *Sanctos, qui participatione beatitudinis bene dicuntur Dij*;
sunt autem hi proborum animæ a corpore separatæ. Ac paulo post: (q) *Of-* q cap. 21.
fert eum Dominus Dijs; quos Deos Glossa dicit esse *Patres antiquos, qui nobis in*
via Dei Sacerdotes fuerunt; adeoque rationales animas a corpore seiunctas.
Quin & in libro Regum habemus (r) Mulierem Pythonissam, dum suscita- r 1. lib. Reg.
ret animam Samuelis, dixisse Sauli: *Deos vidi ascendentes de terra*: Glosso- cap. 28.
graphus ait, plurale pro singulari positum; & hunc Deum fuisse spiritum
Samuelis iam defuncti; proptereaque rationalem animam a corpore seiun-
ctam: Licet autem Hebræi pluralem numerum teneant; asserantque fuisse
duas

duas animas, Samuelis nimirum & Moysis; nihilominus verba sequentia declarant fuisse singularem Samuelis animam ita: *Dixitque ei, qualis est forma eius? qua ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio: & intellexit Saul quod*
ſ Psal. 49. *Samuel esset*. Consimiliter a Psalmista non semel laudatur *Deus(ſ) Deorum*;
13. Deorum autem nomine Glossa Sanctos interpretatur, qui sunt animæ iustorum in Patria procul a contagione corporis. Aristoteles igitur Dei nomine significare potuit animas rationales a corpore separatas: Quin & vere dicere potuit hoc sensu sumptum Deum, id habere commune cum homine studioso, proindeque cum anima probi hominis corpori sociata, quod vtraque natura, Deus hic inquam, & homo studiosus potestatem habet agendi praua: scilicet ea ratione, quia rationalis anima natura sua quum sit indifferens ad bonum & ad malum perpetrandum; habet ex se potentiam agendi praua, tam dum corpori coniuncta est, & habitu virtutis affecta constituit hominem studiosum; quam dum ab eo seiuncta cognominatur Deus, maxi-
t 1. Ethic. me si fuerit, aut futura sit felix, vt ait(t) Aristoteles, & sacra(u) Glossa; quin
cap. 11. etiam si fuerit infelix: nam ibi Diuus Augustinus ait non fuisse Samuelis
u Exod. animam, sed damnati Dæmonis illusionem. Constat autem animas defun-
cap. 18. ctorum damnatas habere potentiam agendi praua; quin & omnium defunctorum animas potentiam agendi praua, saltem remotam, habere; quum gratia talem potentiam non extinguat. Quare verum dicit Aristoteles asserens Deum agere posse praua, Dei nomine significans animam a corpore separatam; quam posse agere praua, vel ex eo conuincet Theologus, quod anima Lazari toto quatriduo extra corpus fœtidum nisi retinuisset potentiam agendi praua; quum in resurrectione a Domino per vnionem cum corpore peccatum non admiserit, nec gratiam amiserit; iam ad nouam hanc vitam mortalem reuocatus Lazarus non potuisset amplius peccare; quod nemo dixerit. Non igitur errauit Aristoteles asserens hoc sensu Deum agere posse praua.

Deum agere praua valentem Aristoteli esse potuisse Dæmonem, sine errore. Cap. V.

INsuper autem Dei nomen ab Aristotele, quemadmodum etiam a sacra pagina, & a Theologorum choro, tribuitur itidem Dæmonibus, Diisque gentilium, ab Aristotele quidem, vbi refert Idoli, fortassis Apollinis, respon-
a 3. hist. sum de capro lac habente, his verbis: *(a) Maribus magna ex parte, nec bestiis,*
cap. 20. *nec hominibus gignitur lac: fieri tamen potest vt aliquibus interdum gignatur; nam & in Lemno insula Capro ex mammis, quas geminas iuxta genitale gerit, tan-*
b 2. mag. *tum lactis emulgebatur, vt colostra inde conficerent: Quod idem etiam proli masculæ*
moral. cap. *capri illius euenisse accepimus. Sed hæc ostentis annumeranda potius ducunt; nam*
18. *& Lemnio elli pecoris domino consulenti Deus amplius incrementum peculii futurum*
c 1. Reg. *respondit*. Immo & (b) alibi Aristoteles accipit pro vna & eadem re Deum
cap. 28. in & Dæmonem. Sacra vero pagina similiter (c) Diui Augustini testimonio
Glossa. nuncupat Dæmonem Dei nomine, dum inquit, *Deos vidi ascendentes de terra*.

Quin

Quin & (*d*) appellat Beelzebub Deum Accaron: Deos Gentilium (*e*) Dæmonia: & (*f*) passim Cacodæmones ab Ethnicis cultos vocat nomine Deorum. Dæmones autem posse agere praua, quis ibit inficias? Aristoteles itaque (*g*) nunc, vt etiam (*h*) alias, Dei nomine Dæmonem intelligens, dum ait, Deum agere posse praua, sententiam profert veritati consentaneam.

d 4. Reg. 1. *e* Psal. 95. *f* Genes. 31 35. Exo. 14. 18 *g* 4. top. loc. 64. *h* 2. mag. mor. 2.

Intelligentias ab Aristotele potuisse Dei nomine nuncupari, & potestate agendi praua donari. Cap. VI.

a 1. cæl. t. 100. 10. Ethic. cap. 8. *b* 1. cæl. t. 22. 2. cæl. t. 2. 14. 12. meta. t. 50. *c* 1. de part. cap. 5. 1. polit. cap. 1. 7. polit. cap. 14. *d* 1. cæl. com. t. 32. *e* in Timæ *f* Genes. 31. 32. *g* 1. moral. cap. 2. *h* 1. 2. q. 98 3. ad 1. *i* Exod. 20. 35. *k* ad Gal. 1. *l* 1. Cor. 8. *m* 12. Gen. 27. *n* Psal. 83. *o* Psal. 94. *p* Psal. 135. *q* Psal. 134 *r* l. 8. c. 4.

PRæterea vero Dei nomen Aristoteles non raro tribuit secundis Intelligentijs infra summum Deum, tum supra cælos omnes, ac (*a*) extra mundum sensibilem degentibus vitam beatissimam; tum cælestia corpora (*b*) mouentibus; tum etiam vbique (*c*) locorum in mundo degentibus; quod aperte testatur (*d*) Picolomineus inquiens, *Censeo Aristotelem dicentem, Deus & natura nihil frustra faciunt, suo more nomine Dei denotare vniuersum genus separatarum mentium, quarum caput est Deus: sic in VIII. Physicorum, & in XII. Metaphysica ea qua protulit de primo motore, dixit debere intelligi de vniuerso genere Diuinarum mentium.* Qua quidem in re non dissentit Aristoteles a Platone (*e*) Deos iuniores ponente; nec a Theologis nostris, nec a sacra pagina; siquidem Angelus ille, qui cum Iacobo locutus est, & noctem totam luctatus, a Moyse nuncupatur (*f*) Deus. Diuus etiam (*g*) Gregorius ait, Angelum, qui apparuit Moysi, nuncupari Dominum Deum. Et Diuus Thomas asserit, (*h*) Moysen in monte collocutum fuisse cum Angelo, & ab Angelo legem accepisse; licet in (*i*) scriptura dicatur collocutus fuisse facie ad faciem cum Deo, & a Deo suscepisse legem. Consimiliter Diuus (*k*) Paulus inquit, *Lex data est per Angelos in manus mediatoris.* & alibi, (*l*) Deos ponit in terra, & in cælo; quos Glossographus esse dicit Archangelos. Itidem Diuus (*m*) Augustinus inquit, Moysen in monte locutum esse cum Angelo, & ab eo suscepisse legem, quam a Deo habuisse dicitur. Psalmista quoque frequenter Angelos appellat Deos, (*n*) *Videbitur Deus Deorum in Sion.* Vbi Lyranus ait Deorum nomine significari Sanctos, & Angelos electos, qui dicuntur Dij participatione. Quin & alibi, quod Psalmographus ait, (*o*) *Quoniam magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos.* Lyranus per Deos interpretatur Angelos. Similiter dicentem Dauid, (*p*) *Confitemini Deo Deorum*, idem Lyranus explicat loquentem de Deo Angelorum, qui sunt Dij participatiue. Sed & paulo (*q*) prius dictum Prophetæ, *Quia ego cognoui quod magnus est Dominus; & Deus noster præstat omnibus Dijs.* Glossator interlinearis explicat, idest, super omnes Deos, qui sunt in cælo, & in terra, quia eos fecit. Et ibidem Lyranus ait, *Accipitur hic Dij participatiue, cuiusmodi sunt Angeli sancti, quibus præest ipse Deus, tanquam ministris Dominus.* Ac reuera Deorum nomine nuncupatos fuisse consimiliter Angelos ab Aristotele, atque a sacra pagina fuse confirmat Augustinus Steuchus in opere de perenni Philosophia; vnde liceat hæc ad verbum decerpere. (*r*) *Aristoteles vnius primi motoris,*

toris, altissimique Dei celebrat maiestatem: & a barbarica illa coactaque superstitio-
ne reuocatus, aliam confessus est, & summi illius Dei, & diuinorum animorum dius-
s li. 1. t. 100. *nitatem. In libris de (s) cælo scripsit quæ Plato in Phædone, & Phædro de Dijs supercale-*
stibus, semperque beatis, extra cælum degentibus vitam immortalem, nullius indi-
gam. Omnis igitur hæc Platonis & Aristoteles descriptio, & omnis de beatitudine
sermo est de Angelis, qui etiam nobis dicuntur Dij: nam docuit eos esse longissime
supra & extra motus cæli, non in loco, non in tempore: hæc autem Theologia vera.
Quum igitur Aristoteles & principem quendam Deum, & item Deos extra Solem &
Lunam beatissime sempiternumque viuentes prædicet; certe non possunt hi esse nisi
Angeli apud Mosen, quod nomen officij est, non naturæ; nam ad naturam debent ap-
t 8. de per. *pellari Dij, aut animi beati, aut mentes; vt a nostris & a Platonicis vocantur.* (t) &
phil. cap. 5 mox: *Aristoteles respiciens ad eam beatitudinem, qua in libris de (u) cælo Deos ex-*
u 1. cæl. *tra cælum frui dixit; in (x) Ethicis addit, Dijs enim omnis beata vita est; quum vnum*
t. 100. *singularemque sæpe (y) Deum nominet; qui tandem erunt hi Dij beati? Angeli certe*
x 10. Ethic. *quos (z) supercælestes posuit; dicit enim ibi (a) Aristoteles, quod perfecta beatitudo*
cap. 8. *contemplandi sit actio quædam, vel inde claret, quod Deos maxime beatos & fortuna-*
y 12. meta. *tos arbitramur. Deinde nullam esse actionem quam Dijs illis dignam adiudicemus,*
passim, & *nisi contemplationem. Ex hoc igitur apparet eos esse Angelos, quorum vnus videlicet*
t. vl. & ali- *(b) Raphael, vnus inquam ex septem dixit se vesci cibo inuisibili, qui ab hominibus vi-*
bi. *deri non possit; & quod astaret conspectui diuino. Hæc contemplatio, quam (c) Ari-*
z 1. cæl. *stoteles, siue ex superiore Theologia, siue ingenij bonitate sensit, indicauitque dignam,*
t. 100. *quæ vita & actio diceretur (d) Deorum: Astare se præsentia diuinæ fatentur illi;*
a 10. Ethic. *Aristoteles eos contemplari, intueri, speculari; quid aliud a cælestibus Theologis ex-*
cap. 8. *pectes? Eosdem Deos, & hanc veram felicitatem eum necesse est innuere, quum in*
b Tob. 12. *eisdem (e) libris de Nectare Deorum loquens, quod vulgares arbitrentur vinum, quo-*
c 1. cæl. *niam nihil vino dulcius opinentur: id ait eis accidere ex insolentia, quasi decernens,*
t. 100. *Nectar illud Deorum non quidem vinum esse, sed omni vino suauius, longeque iu-*
d 10. Ethic. *cundius, Quumque (f) superius nihil aliud agere Deos quam contemplari ex ratio-*
cap. 8. *ne reperisset; bibunt autem Nectar; claret certe Nectar esse contemplationem: sicque*
e 2. mag. *eo deuoluitur ratio, vt etiam hi Dij contemplantes sint, qui se cibo inuisibili, isto nem-*
mor. cap. 8 *pe Nectare vesci (g) prædicabant. Vt item Plato ex antiquissima Theologia (h) do-*
f 10. Eth. *cuit, Deum supremum Diuinos Principes quosdam, qui regerent homines, præfecisse,*
cap. 8. *qui scirent, cernerentque pia & impia facta: sic tales etiam Aristotelem spectasse*
g Tob. 12. *necesse est in decimo (i) de moribus, vsus Platonis nomine; si qua enim rerum huma-*
h in Tim. *narum est apud Deos prouidentia, vt videtur, etiam rationi consentaneum delectari*
i cap. 8. *eos re optima, & sui simillima; quæ quidem est mens: & eos, qui partem hanc hono-*
rent, excolant, redamare, remunerari, ceu qui rem sibi amicam & consanguineam
curent; laudabiliter item & honeste viuunt. Talia fatur Aristoteles de Dijs curan-
k 2. de gen. *tibus res humanas: quibus mens, quam (k) alibi dicit solam Diuinam, solamque*
an. cap. 3. *exterius venire, ab eodem (l) nunc dicitur maxime cognata, simillima, & gentilissima,*
l 10 Ethic. *vt ita loquar. Hanc doces amari a Dijs, vti rem eorum similem, vt ille (m) dixit,*
cap. 8. *Conseruus enim tuus sum, & fratrum timentium Iesum. Hanc Deorum in terris*
m Ioan. *esse prouidentiam, quod gubernent in vniuersum quidem res humanas; in particulari*
Apocal. *autem eos, qui excolant animum, purum integrumque habeant: amicam Deorum &*
cap. 22. *consanguineam mentem non sinant impurari, violari, hos redamare, hos remunerari*

Deos:

Deos: Qui sunt igitur hi Dij, ab illo summo, quem singulariter toties celebrat, nomine multorum distincti, qui veniunt, videntque res terrestres: non scilicet corpoream vitam suppeditantes; sed etiam subtiliora cernentes; videntes qui bene, qui male agunt: qui sunt inquam, qui amore afficiuntur erga bonos, erga sapientes, redamantes eos vti fratres suos? Quid enim aliud est syngenis, nisi ab eadem stirpe, ex iisdem fontibus ortos, ex eadem diuinitate delibatos? Ecce quanta sit de Dijs, aut Angelis apud Aristotelem Theologia: In libris de (n) cælo explicat eorum beatitudinem, ponens supra n 1. cæl. t.
cælos omnes in alio meliori mundo; ibi eos agere beatos omne æuum, nec tempori subie- 100.
ctos, nec locis interceptos: In libris autem de (o) moribus particularius & clarius o 10. Eth.
beatitudinem præstantissimasque voluptates eorum esse, quod contemplantur, quod cap. 7. & 8.
sunt sapientissimi, & dicit eos suauioribus interesse mensis, quam sint (p) vina mor- p 2. mag.
talium, respiciens illam contemplationem, panemque Angelorum. Aristotelis decre- mor. cap. 8
to Deus summus, quem mentem appellat in prima (q) Philosophia, beatus est contem- q 12. meta.
platione sui ipsius: at in libris de (r) moribus, & de (s) cælo loquens de Angelis, ait t. 39. &
esse Deos, qui beati sunt contemplatione summi Dei; quique gubernant res humanas, seqq.
bonosque & sapientes viros amant, & remunerantur. Ita ergo constat Aristote- r 10. Eth.
lem, Dei nomen Angelicæ naturæ concessisse, vt etiam sæpe fecerunt sacri cap. 7. 8.
Doctores, & inter Ecclesiasticos scriptores a Diuo (t) Hieronymo positus 2. mag.
Philo, qui relatu (u) Steuchi scribit, Angelos, si comparentur ad homines, mor. c. 8.
vocari Deos; si vero conferantur cum summo Deo, vocari seruos, & admi- s 1. cæl. t.
nistros: Qua sane ratione Aristoteles, qui semper media collata ad vnum 100.
extremorum ait sapere naturam alterius extremi, cognoscens Angelos esse t in catal.
medios inter summum Deum, & homines; (x) nunc Angelicam naturam scr. Eccle.
cum homine studioso comparans, illam aptissime cum sacra pagina Deum u 8. de per.
appellat, dum inquit Deum, & studiosum posse praua agere. Cæterum An- phil. cap. 4
gelos posse praua agere, satis aperte liquet ex Theologia, siue in ea Diuum x 4. top.
Thomam audiamus, siue Subtilem Scotum: In primis a Theologis omni- loc. 64.
bus habemus, Angelos statim creatos, libertatem arbitrij fortitos fuisse, & potestatem habuisse agendi praua; vnde Lucifer Angelus cum multis alijs ab initio mundi non tantum praua, sed egit etiam praue, peccans contra Deum altissimum: & omnes alij quoque Angeli, priusquam confirmarentur in gratia, poterant agere praua, & peccare, vt contestatur (y) Diuus y 1. p. q. 63.
Thomas, asserens quamlibet creaturam rationalem in puris naturalibus constitutam, posse errare, atque peccare, adeoque praua praueque agere, siue illa sit homo, siue Angelus. Considerans igitur Aristoteles Angelum, quem (z) hic Deum appellat, in puris naturalibus constitutum, & eum com- z 4. top.
parans cum homine studioso; vere, ac sine vlla erroris nota; pieque, ac sine loc. 64.
vlla Catholicæ fidei offensa, constituit Deum, & studiosum agere posse praua. Quod videntur confirmare Diuus (a) Augustinus, & (b) Scotus; qui- a 3. de lib.
bus Angelus, & anima, siue homo, sunt natura pares, licet impares officio; arb.
si natura pares; igitur vtrique natura peccabiles, adeoque tales, qui possunt b 2. sen. d. 1
agere praua. Comparat autem Aristoteles optime Angelum cum homine q. 6.
quoad (c) potestatem agendi praua, quoniam vterque collocatur in eodem c 4 top.
ordine creaturæ liberum arbitrium habentis natura sua indeterminatum ad loc. 64.
bonum, & ad malum eligendum; Diuus etenim (d) Ioannes prohibetur d Apoc. 22

Angelum Domini adorare, quia conseruus suus sit; & Diuus etiam Chrysostomus ait, (e) *Christus sicut Dominus salutat; Angeli vero sicut serui: & nos itaque etiamsi serui, Angelorum tamen conserui sumus. Quid igitur suspicitis inquit, ad Angelos? serui sunt filij Dei; & propter nos sæpius mittuntur; & pro salute nostra ministeria sua persoluunt: quæ quum ita sint, constat Angelos nostros esse conseruos. Considerate tamen quomodo non multam differentiam creaturis attribuit.*

Quapropter Angelus & homo, qui sunt creaturæ rationales, & liberi arbitrij potestate pollentes; quiq; sunt consimiliter serui summi Dei, & conserui ad inuicem; eiusdem sunt vtcumq; speciei, ac eiusdem ordinis; ea propter inuicem recte (f) comparantur (g) hic ab Aristotele Angelus & homo, siue vt ipse ait, Deus & studiosus; & probe Dei nomine significat Angelum ad naturam humanam comparatum; quum enim Angelica natura, quod supra tetigimus, media sit inter Diuinam & Humanam; mediumque collatum ad vnum extremum, sortiatur nomen ac fere naturam alterius extremi; nam mediocritas ad excessum relata dicitur defectus; & vicissim eadem ad defectum comparata dicitur excessus: ita Angelus in relatione ad Deum, non vocatur, nec est Deus, vt inquit (h) Theodoretus; sed Dei seruus, & minister, & conseruus hominis: comparatus autem Angelus ad hominem, dicitur Deus; vt ex Philone quoque notabat Augustinus (i) Steuchus his verbis ex eo allatis: *Angeloi pros anthropus hiera ca theia physes hypodiaconoi ca hyparchoi tu protu theu. Di hon hoin, presbeutai, hosa an ethelysi to genei hymon protespisas angellei.* hoc est, *Angeli ad homines collati, sunt sacra ac diuina natura; ad primum vero Deum relati sunt eius subministri, & præsides; per quos quasi legatos, quæcunque voluerit generi nostro diuina nunciat.* Sed & (k) Subtili Doctori, licet essentiæ Angeli, & animæ differant inter se specie; nihilominus eorum potentiæ sunt eiusdem speciei, quod hic (l) asserit Aristoteles, dum ait, Deum, & Studiosum conuenire in hoc, quod vterque potestatem obtinet agendi praua; scilicet, quoniam vterque liberum arbitrium habet natura sua; quod est potentia penitus indifferens ad bonum & malum eligendum, & agendum.

Cæterum etiam si loquamur de Angelis in gratia confirmatis, vt illis Diuus Thomas (m) interdicit potestatem proximam agendi praua; sic eisdem Scotus inesse scribit potentiam remotam peccandi, his plane verbis, (n) *Sic dico, quod nulla est caussa intrinseca in voluntate Michaelis nunc beati, per quam excludatur potentia ad peccandum pro alias in sensu diuisionis: non est autem caussa intrinsece prohibens istam potentiam omnino reduci ad actum; sed per caussam extrinsecam est impossibilis potentia illa ad peccandum; videlicet per voluntatem Dei præuenientem illam voluntatem, vt semper continuet actum fruendi, & ita nunquam possit potentiam suam remotam non fruendi vel peccandi reducere ad actum: si quidem nunquam caussa secunda præuenta a caussa superiori agente ad vnum oppositum potest potentia propinqua exire in aliud oppositum. Concedo ergo quod infert, quod Michael beatus & sit peccabilis in sensu diuisionis, loquendo de potentia remota. Ad primam dico, quod intelligit, quod peccare non possit potentia propinqua, non est hoc natura, sed gratia Dei, hoc est gratuite præuenientis, & conseruantis illam naturam in recto actu.* & mox. *Nota quod potentia operatiua non concludit habentem posse operari nisi intelligendo secundum quid, scilicet quantum est ex parte sui; sed posse simpliciter requi-*

e Epist. ad Hebr. c. 2. & 3. Hom. 3.
f 7. phys. t. 24. & seqq.
g 4. top. loc. 64.
h lib. 3.
i 8. de per. phil. c. 4.
k 2. sen. d. 1 q. 6. in f.
l 4. top. 64.
m 1. p. q. 62 ar. 8.
n 4. sen. d. 49. q. 6. ad 1.

rit

tis quod ex parte omnium aliorum concurrentium sit possibilitas, vt scilicet requisita possint concurrere, & impedimenta cessare; sed vltra istam possibilitatem potentia, vel magis possibilitas propinqua requirit, quod conuenientia adsint, & impedimenta cessent. Sicut enim nihil est in potentia propinqua passiua 9. Metaphys. cap 6. nisi quando nihil prohibet, nec oportet aliquid aut remouere, aut permutare intelligendo aliquid aliud, vt forma inducenda; sic operatiuum non est in potentia propinqua ad operandum, nisi quando nihil extrinsecum deficit vt operetur. Ad propositum voluntas beata est eadem potentia, quæ fuit non beata; & habens eam per consequens potest quantum ex parte potentiæ in actum, quem prius; vltra simpliciter possibile est ipsum sic agere, quia nihil simpliciter necessario impedit, vel deficit requisitum: sed non potest possibilitate propinqua peccare, quia impedita, vel praeuenta suspensa; quod est propter actionem caussæ superioris praeuenientis, & continue agentis ad oppositum, scilicet ad actum beatificum. &c. Quæ sententia Scoti nititur ea ratione, quia vt in materia prima duas potentias passiuas agnoscimus; alteram essentialem, siue remotam, quæ vniuersalis est, ac respicit absolute atque indeterminate formas omnes; alteram accidentalem, siue proximam, quæ particularis est, ac respicit hanc vel illam formam indiuiduam: inter quas potentias illud est discrimen, quod vniuersalis illa remota & essentialis potentia materiæ non potest ab ea deleri; sed accidentalis hæc proxima & particularis potentia aduentu formę prorsus aboletur, extinctis illis dispositionibus peculiaribus, priuationem determinatam constituentibus, quibus ipsa hæc potentia nititur: Sic in Angelica natura, vel obseruatu (*o*) Scoti talem proportionem collaudantis, duas inspicio potestates actiuas; vnam remotam, vniuersalem, seu essentialem, quæ respicit absolute bonum, & malum indifferenter; alteram proximam, particularem, & accidentalem, quæ determinate refertur ad hoc, vel illud bonum, vel malum peculiare. Sane confirmatio gratiæ, ac beatitas in Angelo destruit potestatem proximam & accidentalem agendi, eligendi ve hoc vel illud malum determinatum, ac particulare; quæ fuit sententia Diui Thomæ (*p*) statuentis Angelum beatum non posse peccare, quia nihil velle, vel agere valet, nisi Deum attendens, qui est summa bonitas: Verum beatitudo non tollit de (*q*) Scoti sententia potestatem illam vniuersalem, ac remotam agendi praua simpliciter; de qua (*r*) nunc agit Aristoteles, vbi Dei nomine significans Angelum & Intelligentiam beatam, eamque rectissime comparans cum homine probo, vere ac recte constituit, Deum, & studiosum posse praua agere, non tamen esse prauum; quia neuter horum eligit agere praua; neuter vnquam suam potestatem hanc deducet ad actum. Vt enim habitus virtutis superadditus humanæ naturæ constituit hominem probum & studiosum; qui ex natura sua quidem obtinet potestatem agendi praua generatim; sed ex habitu virtutis id nanciscitur, vt nunquam talem potestatatem deducat ad actum; quia functio praua postulat in agente determinatam proximamque potentiam agendi hoc, vel illud prauum determinatum & indiuiduum de sententia Aristotelis, cui non fit (*s*) vniuersale vllum, sed solum singulare; quæ determinata & particularis proximaque potentia agendi praua, simul esse non potest cum habitu virtutis, electionem, actionemque praui cuiuslibet impediente: Sic habitus beatitu-

o loc. cit.
p 1. p. q. 62. ar. 8.
q 4. sen. d. 49. qu. 6. ad 1.
r 4. top. loc. 64.
s 1. de gen. t. 40. 7. meta. t. 35. 12. meta. t. 18.

titudinis, gratiæve confirmatæ, superadditus Angelicæ naturæ, constituit

s loc. cit. Angelum beatum, qui, vt ait (s) Scotus, ex natura quidem habet potestatem vniuersalem & remotam agendi praua simpliciter; sed ex habitu gratiæ consumatæ, beatitatisque perennis id Angelus sortitur, vt nunquam deducat ad actum istam potestatem; quia potestas vniuersalis ad actum deduci nequit, nisi adueniente sibi potentia particulari, qua procul fugatis omnibus impedimentis, vniuersalis potentia determinetur ad hoc vel illud singulare agendum; etenim non fit vniuersale, nec in arte, nec in natura, vt nuper norauimus ex (u) Aristotele, sed singulare semper est quod efficitur quouis modo reipsa a quocunque agente. Quum igitur habitus beatitudinis, & gratia confirmata non admittat in Angelo potentiam particularem, seu proximam & immediatam peccandi; neque compatiatur potestatem determinatam agendi hoc vel illud prauum; ideo per vniuersalem & remotam potentiam agendi praua sibi connaturalem, Angelus beatus nunquam perducetur ad id vt actu peccet, actuque prauum agat, aut eligat. Quam sententiam nobiscum mire confirmat hoc in loco Magnus Albertus his dogmatibus Aristotelem (x) hic explicans; *Potest enim & secundum hanc potentiam, quæ ante actum est, & Deus, & studiosus; hoc est, virtuosus homo praua agere: sed non sunt determinati quod sint praui Deus, & studiosus: nam omnes qui dicuntur praui, nomen hoc accipiunt secundum appetitum actualem prauitatis, & non secundum potentiam prauitatem faciendi, quia anima est natura ipsa rationalis.* & mox. *Deum dico secundum definitionem Deorum, qui nihil prauum velle potest: quia prauum velle non est potentia, sed impotentia & defectus: studiosum autem dico, qui nobilitate sua honestatis nihil prauum vult secundum actum, potest tamen praua agere.* & paulo post. *Ad idem autem adhuc est alia ratio, quod enim nihil secundum potestatem dicitur laudabile, vel vituperabile; quia omnis potestas, siue facultas aliquid faciendi, quum hoc sit de diffinitione, vere est de numero eorum, quæ sunt eligenda, eo quod potestas benefaciendi, & potestas malefaciendi est vna numero in radicali principio rationis: quia ratio in hoc differt a naturali potentia, quod potestas rationalis valet ad opposita, & non obligatur ad vnum, vt dicit Aristoteles in (*) quinto primæ Philosophiæ; nam hoc modo in praua potestates, hoc est potestates agendi praua eligenda sunt, non in quantum prauorum sunt; sed secundum quod sint de perfectione potestatis agendi in rationali natura: eo quod & Deum, & studiosum eas habere dicimus: possunt enim Dij, & studiosi praua agere, hoc est, tales habent potestates, quibus aliquando praua aguntur: hoc enim est de commendatione boni, quando bene facit non ex necessitate, sed quum possit praua agere: vnde potestas praua agendi signum est in bonis quod libere bonum agunt; & sic commendabiles eo quod agunt bona, potestatee talee efficiunt. Patet ergo quod peccant, qui aliquid actu vituperabilium, vt speciem in potestate faciendi, tanquam in genus ponunt: propter quod nullius secundum & speciem vituperabilis erit genus potestas faciendi id.* Quapropter Aristoteles veram & subtilem doctrinam proposuit, dum (y) inquit, Deum & studiosum agere posse praua; non tamen esse prauos; quia non eligunt agere praua; Dei vocabulo significans Intelligentiam, mentemque separatam; quam Theologi nostri nuncupant Angelum ab officio.

Marginal notes: u 1. de gen. t. 40. — 7. meta. t. 35. — 12. meta. t. 18. — x 4. top. loc. 64. tta. 3. cap. 1. — * 9. meta. — y 4. top. loc. 64.

Ari-

Aristotelem nomine Dei praua agere valentis intelligere potuisse cælum. Cap. VII.

CÆterum Dei nomine Philosophum Aristotelem non raro significare cælum, compertissimum est apud omnes Peripateticos. Et certe scribens Aristoteles ita, (a) *Quis autem est vnus, & continuus motus, prius definitum est, quod is, qui est vnius, & in vno tempore, & in non differenti secundum speciem: tria enim sunt, & quod mouetur, vt homo, aut Deus; & quando, vt tempus; & tertium id in quo; hoc autem est aut passio, aut forma, aut locus, aut magnitudo.* Quibus vnicuique compertissimum est, Aristotelem nomine Dei, qui est mobilis, vt homo, nihil aliud intelligere quam cælum: quod hoc in loco notauit Auerroes inquiens: (b) *Et intendit per Deum aliquod corpus cæleste; sicut erat tunc famosum.* Notauit & Diuus Thomas asserens, (c) *Ostensum est autem supra in (d) quinto quis motus sit continuus & vnus, scilicet qui est vnius subiecti, & in vno tempore, & in eadem re non differenti secundum speciem: hæc enim tria considerantur in omni motu; primum est tempus; secundum est subiectum quod mouetur, vt homo, aut Deus, secundum eos, qui corpora cælestia Deos dicebant.* Notarunt id omnes interpretes in huius loci commentatione. Hac eadem significatione Dei nomen assumpsit ad indicandum cælum Aristotelis apertius alibi dicens, (e) *Eorum vnumquodque, quorum est opus, est gratia operis: Dei autem operatio immortalitas est: hoc autem est vita sempiterna: itaque necesse est motum sempiternum Deo inesse; quoniam autem cælum tale est (corpus enim quoddam diuinum est) ob hoc habet circulare corpus, quod natura circulariter mouetur semper.* nam sempiternus motus nulli alteri Deo inesse potest ex Aristotelis decreto, tanquam vita sempiterna, nisi cælesti corpori; quum (f) alibi dixerit motum sempiternum inesse rebus natura consistentibus omnibus, veluti vitam quandam immortalem: cælum vero nunc promiscue vocat Deum, & corpus diuinum, vt Medicus eandem rem suæ arti subiectam promiscue nuncupat hominem, & corpus humanum. Et sane Simplicius huius loci nobis hanc eandem affert explicationem ita, (g) *Quoniam igitur vnumquodque quorum est operatio, propter operationem est; diuini autem corporis (hoc enim Deum vocat nunc) operatio immortalitas est: diuinum ergo corpus immortale est, & in hoc habet esse: verum est igitur dicere quod cælum Deus est, et talis Deus Diuinum corpus est.* & mox: *Siquidem igitur quod circulariter mouentur cælum ostendit ex eo, quod Deus existens, & diuinum animal, æternum habet secundum locum motum.* Præterea vero dum ait Aristoteles, (h) *Ex quibus igitur vnumquodque horum, fit ea cognoscere animam, & sentire: sed compositum, quo cognoscet, aut sentiet, vt quid Deus, aut homo, aut caro, aut os, similiter autem & quodlibet aliud compositorum?* nomine Dei, quem compositum quid esse dicit, nil nisi cælum intelligere potest. Insuper dum (i) alibi scribit: *Sic est vniuersale, vt multa continens, eo quod de singulis prædicatur, & vnum omnia sunt singula, vt homo, equus, Deus; quoniam omnia animalia.* & alio in loco, (k) *Oportet autem vt mensura semper idem cum omnibus sit; veluti si equus mensura equis, & si homo hominibus: quod si homo, equus, at Deus ani-*

a 8. phys. t. 84.
b in comẽ.
c 8 phys. lec. 16.
d 5. phys. t. 41.
e 2. cæl. t. 17
f 8. phy. tx
g 2. cæli com. 10.
h 1. de ani. t. 77.
i 8. meta. t. 31.
k 14. meta. t. 3.

animal; numerus quoque eorum fortassis animal erit: Dei vocabulo nil potest nisi
l 2. cæl. t. 13 cælum significare, quod in (l) animatorum genere collocauit, & homini com-
63. & seqq. parauit alibi. Ac profectò cælestibus corporibus Dei nomen Aristotelis
m lib. de æuo passim a Græcis & barbaris adhiberi solitum, testatur Plato, (m) Theo-
Dijs. doreti quoque notatu talia scribens, *Videntur mihi Græcorum primi, hos solos esse Deos censuisse, quos hodie barbarorum permulti, Solem ipsum videlicet, Lunam, Terram, Stellas, & Cælum; quæ quum viderent cursu quodam quasi cuntia; ob hac ipsa currendi natura Theus, quasi Theontas, hoc est, currentes nominarunt*. Aristo-
n 2. top. teles igitur, qui loquendum esse (n) dixerat, vt multitudo loquitur; quum
cap. 2. loc. æuo suo passim cælestia corpora Deorum nomine nuncupari videret; potuit
5. impune nomen Dei sumere ad cælum significandum. Sin autem Aristote-
o 4. top. les Dei nomine cælum intellexit, dum (o) statuit Deum, & studiosum agere
l. 64. posse praua, certe non deflexit a via veritatis, asserens talem Deum agere posse praua: namque cælum Deus est Aristoteli propter participationem Intelligentiæ sibi assistentis, quatenus scilicet ex orbe ac Intelligentia fit vnum
p 2. cæl. quomodocunque viuens & animatum, vt ait Aristoteles (p) alibi: Quum
t. 13. 63. itaque (q) superius ostenderimus, salua pietate, Intelligentias habere poten-
q cap. 5. tiam agendi praua; iam hoc sensu nunc Aristoteles dicere potuit citra pietatis offensam, Deum, hoc est cælum agere posse praua.

Deum optimum maximum Aristotelis decreto nullam habere potentiam agendi praua. Cap. VIII.

Sin autem sermo sit de supremo Deo, Aristoteles ab ipso potestatem agendi prauam penitus omnem abesse voluit: quum enim actio prauitatem habens non possit excellere beatitudine, quæ bonorum omnium apex est, & aggregatio; immo vero quum actio praua felicitati iuncta nequeat esse; si-
a 2. phys. quidem (a) Aristoteli felicitas est actio bona: profectò clare tribuens Aristo-
t. 58. teles (b) alicubi Deo functionem, quæ beatitudine excellit, tollensque a Deo
b 10. eth. prauas cupiditates, profitetur Deum agere non posse praua: verba Magistri
c. 8. sunt euidentissima, *Deos, ait, maxime beatos & felices esse existimamus: quod enim prauas cupiditates non habeant, molesta atque inuidiosa laus est. si demum omnia percurramus, quæ ad actiones attinent, parua & indigna Dijs esse videbuntur. Quare Dei operatio quum beatitudine excellat, contemplatiua erit: & ex humanis ea erit felicissima, quæ huic maxime est cognata: argumento illud est, quod cætera animalia, quæ tali operatione penitus carent, expertia felicitatis quoque sunt: Dijs enim beata tota vita est; hominibus autem eatenus, quatenus similitudo quædam eiusmodi operationis in ipsis est: at cæterorum animalium nullum felix est, propterea*
c 4. top. *quod contemplationis particeps nullo modo est*. Sed speciatim Aristotelem (c) nunc
l. 64. asserentem, Deum & studiosum agere posse praua, Dei nomine non intelle-
d 4. phys. xisse Deum supremum, tria sunt in hoc suo dogmate, quæ nobis aperte de-
t. 23. clarant: vnum est, quod hic agit Aristoteles de illo Deo, qui prauitatem ha-
e 1. cæl. bet in (d) potentia actiua; sed alibi statuit, summum Deum, vnde rebus om-
t. 100. nibus pendet esse, & viuere, non (e) habere prauitatem vllam; nec habere

pra-

(f) prauas cupiditates. Alterum est, quod (g) nunc loquitur Arist. de illo Deo, qui agere potest, habetque actiones circa res agibiles: ast alibi (h) summo Deo cunctas interdicit actiones circa agibilia, solamque concedit functionem intelligendi, & eminenter entia bene (i) gubernandi: (k) *nam perfectam, inquit, felicitatem contemplatiuam quandam operationem esse, constare vel inde posset, quod Deos maxime beatos & felices esse existimamus: nam quales actiones attribuere eis debemus: iustasne? sed ridiculi sane viderentur, si commercia facerent, & deposita redderent, atque alia huiusmodi inter se contraherent: numquid fortes? vt formidolosa sustineant, periclitenturque quia honestum sit? an liberales? sed cui dabunt? absurdum quippe, si etiam ipsis numus, aut tale quippiam adesse dicamus. Nam si temperantes esse eos asseruerimus, quidnam eiusmodi essent? quod enim prauas cupiditates non habeant, molesta atque inuidiosa laus est*, &c. Tertium est, quod Arist. hic (l) potestatem agendi praua dicit esse commune quoddam attributum, quod æque prædicatur de Deo, & de homine studioso: quum tamen alibi (m) constituerit, Deo & homini nihil prorsus esse commune, nec animal, nec aliud vllum attributum, quod communiter prædicetur: quam Aristotelis doctrinam latius explicauimus in opere (n) De Vita. Sic igitur in hoc loco verum experimur Fonsecæ dictum, (o) *Nonnumquam Aristotelem videri errare, vbi, si recte intelligatur, neque hallucinatus exiziosi, neque vera doctrina aduersatur.* Tot itaque nominibus veram sententiam protulit Aristoteles afferens, (p) Deum & studiosum agere posse praua, siue Dei nomine significet viros contemplatiuam vitam agentes (q) procul ab hominum consortio; siue rationalem animam in humano corpore (r) degentem; siue rationalem animam a corpore (s) separatam; siue (t) Dæmonem; siue (u) Intelligentiam; siue (x) cælum: quum Aristoteles hoc assertum non de summo Deo pronunciauerit, quem non semel aperte statuit carere omni (y) prauitate, (z) prauisque cupiditatibus; verum de naturis alijs plerisque notatis; quibus Dei nomen vtcunque cum Autoribus plerisque classicis attribuere potuit, non reclamante, sed sæpissime suffragante sacra pagina, vt antea vidimus.

f 10. ethic. c. 8.
g 4. top. cit.
h 10. ethic. c. 8.
i 12. meta. 56.
k 10. eth. 8
l 4. top. cit.
m 1. de an. t. 8.
n l. 2. c. 1.
o 1. meta. cap. 5.
p 4. top. loc. 64.
q 1. polit. c. 2.
r 4. de part. 10.
1. meta. s. 2 c. 2.
s 7. eud. c. 15.
7. eth. c. 1.
t 3. hist. c. 20.
u 1. cæl. 32 100.
10. eth. 8.
x 8. phys. t. 64.
2. cæl. t. 17
1. de an. t. 77.
7. meta. t. 31.
y 1. cæl. t. 100.
z 10. ethic. c. 8.
a 7. polit. cap. 17.

Aristotelem impietatis damnandum non ita esse, quod lege permiserit, adultos homines pro se, liberis, & vxoribus sacra facere apud Deos quosdam, quibus mos lasciuiam tribuit: an excusandus, vt a D. Augustino, & a D. Thoma Plato, quod ob cælibatum sacrificauerit Naturæ. Cap. IX.

Deinde vero non parum illud veræ pietati ergo summum Deum derogare videtur, quod Aristoteles alicubi permisit cultum diuinum exhiberi Dæmonibus lasciuiæ, quibus cum maxima turpitudine pridem homines sacra facere solebant; ait (a) enim, *Nisi apud Deos quosdam, quibus etiam lasciuiam mos tribuit; apud hos permittet lex, iam homines factos pro se, & filijs, & vxoribus sacra facere.* Talia legens ego Peripati cultor, non exclamabo in Magistrum voce publica, nec etiam scriptis obijciês impietatem detestabilem,

sceleris quæ cultum summo Philosopho; qui didici præceptores æquiparari, quin & præferri debere parentibus, Aristotelis (a) apophthegmate nobili; si enim genitores caussa sunt vt filij sint, vt viuant, quibus naturali semine largiuntur vitam corporalem in mundo sensibili; Magistri caussa sunt vt discipuli bene sint, & optimè degant, quibus doctrinæ beneficio concili ant vitam animæ immortalem etiam in Mundo litterario: Ficini siquidem (b) relatu Magistri officium est, doctrina & bonitate sua discipulum doctum atque probum, quasi mentis suæ filium procreare: Diuus etenim Paulus ad (c) Galatas discipulos suos, quos erudiebat in lege Christi, scribit in hanc sententiam, *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*. Aristotelem enim nos in eo laudamus, atque suspicimus, quod ea sacra apud Deos illos vetuit publice fieri, & ab ijs arcuit pueros, adolescentes, & mulieres omnes, in hoc de pietate non male meritus quemadmodum multis rationibus confirmare possumus, diligenter animaduertentes non solum priscos mores Ethnicorum; sed etiam Christianorum Principum permissiones pietatem minime lædentes; laudabile siquidem est ab omnibus, Aristotelis dicta salubribus explicationibus ad pietatem accommodare; vicissimque perniciosum est, eadem ad sensum impietatis trahere, traducereque. Primum igitur ob hoc decretum non est impietatis damnandus Aristoteles, quoniam longe aliud est, aliquid lege decerni, atque iuberi; & longe aliud, aliquid lege permitti ac tolerari; quia quæ lege iubentur, ea a Legislatore bona esse censentur, & omnibus quicunque potestatem habent illa agendi, indifferenter præcipiuntur: at vero, quæ lege permittuntur, ac tolerantur, ea possunt esse praua; quæ autem non omnibus, nec semper, nec vbique fieri lege permittuntur, sed paucis & cum cautione; illa certe a Legislatore praua iudicantur, a quibus multos arcet: Sic apud pios Principes, & Christianos Dominos permittuntur Lupanaria, quæ simpliciter mala sunt, & praua esse noscuntur a bono Principe; qui propterea procul ab illis arcet homines coniugatos, & religioni consecratos, permittens solis laicis a matrimonij vinculo solutis fornicationem simplicem: Eadem plane ratione, sine nota impietatis potuit Aristoteles condere legem permittentem, non autem iubentem viros ætate maturos facere sacra apud Deos quosdam, quibus mos lasciuiam tribuit; cum magno signo veræ pietatis procul arcens ab ijsdem sacris adolescentes omnes, pueros, ac mulieres; immo tres has hominum classes procul arcens ab illorum sacrorum conspectu, & ab omni penitus obscœnitate nedum perpetranda, sed audienda & videnda; vt constat ex eo loco Magistri toto perlecto; scribit enim citatis verbis Aristoteles, (d) *Omnino igitur obscœnitas verborum, vt & quicquam aliud, per Legislatorem exterminanda est de ciuitate: ex turpiter enim loquendi licentia sequitur & turpiter facere. Potissimum igitur statim a pueris, neque dicant, neque audiant quicquam turpe. Si quis vero dicere, aut facere quicquam prohibitorum deprehensus fuerit, is, si liber sit, sed nondum in conuentum comessatorum dignatus assumi, honore prohibeatur, & verberibus castigetur: sed si sit maioris ætatis, seruili infamia afficiatur, admissi seruilis officij gratia. Quum vero dicere quicquam interdixerimus, clarum est quod & aspicere aut picturas, aut actus deformes prohibemus. Sit igitur cura Magistratibus nul-*

a Patrit. disput. Perip. tom. 1. lib. 2.

b l. 3. epist.

c cap. 4.

d 7. polit. cap. 17.

nullam neque picturam, neque statuam esse talium rerum imitatricem. Quæ maior, obsecro, pudicitiæ cura potest haberi, atque pietatis, ablegantis a tota ciuitate ipsa prorsus omnem obscœnitatem? Sed quia videbat Aristoteles id non posse penitus impetrari ab idololatris; saltem apud omnes passim debacchantem turpium Deorum cultum obscœnum prohibet pueris adolescentibus, & mulieribus; ipsumque coarctat ad viros ætate maturos, immediate subdens, quasi coactus a more populari, & inuitus in Republica Atheniensi a populo gubernata, *Nisi apud Deos quosdam, quibus etiam lasciuiam mos tribuit.* Deos quosdam appellat, non absolute proprieque Deos, quibus non ipse, neque lex ab ipso condita, sed mos populorum a se non laudatus, ast aperte reprobatus, lasciuiam tribuit: apud hos inquit Deos, hoc est, in eorum delubris, a quorum ingressu mox procul arcet pueros, adolescentes, & mulieres omnes, tolerat Aristoteles esse picturas, & statuas aliquas actuum obscœnorum & deformium imitatrices; cuiusmodi erant Phalli, & imagunculæ in Bacchi solemnitatibus circumferri solitæ. *Apud hos*, inquit, *Deos etiam*, hoc est, in phanis Liberi, non iubebit, sed (*) *permittet lex iam homines* * l. per-
factos pro se, & filijs, & uxoribus sacra facere; non autem mulieres pro liberis, mittit.
& maritis, nec pro semetipsis. *Iuniores autem neque iamborum, neque tragœdiarum, seu comœdiarum spectatores esse sinat; nisi quum ad eam peruenerint ætatem, vt in comessationibus vna cum alijs sedere, & potus etiam participes esse possunt, & ab ebrietate, & ab huiusmodi labe insontes disciplina omnes præstabit.* Dum itaque sacra, fieri solita more patrio apud Deos lasciuiæ, nuncupat Aristoteles ipse labem; dumque prorsus interdicit ea sacra iunioribus, ac vix patitur a se id extorqueri, vt maturi ætate ac disciplina viri sacris illis intersint; quos viros ait a Philosophia reddi insontes ab huiuscemodi labe, ac impollutos a talium obscœnitatum contagione; quis iure poterit Aristotelem accusare turpitudinis aut impietatis? quis eum non suspiciat continentiæ pudicitiæque satorem, ac pietatis indigitatorem? Deinde vero nos ex hoc Aristotelis loco miram alia ratione Magistri pietatem, ac pudicitiam colligimus: Inuenerat ipse sacra Dijs lasciuis dudum esse palam instituta, quibus promiscue vacabant omnis sexus, & omnis ætatis homines, potissimum iuniores, cum incredibili crudelitatis, & obscœnitatis licentia; quam Herodotus, Arnobius presbyter, Titus Liuius, Diuus Augustinus, Theodoretus, & Polydorus affirmant; Herodotus quidem inquiens in Euterpe. (*h*) *Quin &* h cap. 48.
aliam diem festum Baccho Aegyptij agunt sine porcis, fere per omnia Græco festo persimilem: sed loco Phallorum (id est, ficulneorum veretrorum a collo pendentium) sunt ab eis excogitata statuæ cubitales e neruis compacta, quas fœminæ circumferunt per pagos mentulam nutantes, quæ propemodum est instar reliqui corporis: & tibia præcunte, quam fœminæ Bacchum canentes sequuntur. Cur autem mentulam maiorem statua, i D. Hier. in catal.
& vnum corporis membrum agitet, redditur ab oratio sacra. Rationem hanc scrip. Eccl.
sacram ab Herodoto silentio datam ob turpitudinis obscœnissimæ fœditatem, in Gentilium confusionem explicauit & promulgauit Arnobius ille & Epist. ad Mag.
Lactantij (*i*) Magister, vir sanctus, vt ait (*) Gyraldus, ex eo eandem nar- * Syntag.
rationem afferens, Quam obuolutus ob pudorem, perinde ac olim Socrates 8. Deor.
in Phœdro de amore puerili tractans, post Gyraldum referre cogor in præ- Gentil.

sentia; nam Arnobius scripsit insigne volumen, in quo, Romæ non ita pri-
kl.5.aduer. Gent. dem excuso talia leguntur; (k) *Quum inter homines (inquiunt) esset adhuc Nysius & Semeleius Liber, nosse inferos expetiuit, & sub tartari sedibus quidnam rerum ageretur, inquirere: sed cupiditas hæc eius nonnullis difficultatibus impediebatur; quod qua iret, ac pergeret, inscitia itineris nesciebat. Prosumnus quidam exoritur ignominiosus amator Dei, atque in nefarias libidines satis pronus, qui se ianuam Ditis, atque Acheruntis adytus pollicetur indicaturum, si sibi gereret morem Deus, atque vxorias voluptates pateretur ex se capi. Deus facilis iuras potestatis futurum ac voluntatis se eius; sed quum primum ab inferis compos voti, atque expetitionis rediisset, viam comiter Prosumnus edisserit, atque in limine ipso prostituit inferorum: Interea dum Liber Stygem, Cerberum, Furias, atque alias res omnes curiosa inquisitione collustrat, ex viuentium numero index ille decedit, atque ex more sepelitur humano: emergit ab inferis Euhyius, & recognoscit extinctum ducem: Qui vt fidem compleret pacti, & iurandi solueret religione se iuris, locum pergit ad funeris; & ficorum ex arbore ramum validissimum præsecans dolat, runcinat, lauigat, & humani speciem fabricatur in penis: figit super aggerem tumuli, & postica ex parte nudatus accedit, subdit, insidit: Lasciuia deinde luxurians tis assumpta, huc atque illuc clunes torquet, & meditatur ab ligno pati, quod iamdudum in veritate promiserat. Ac ne quis forse a nobis tam impias arbitretur confictas res esse, Heraclyto testi non postulamus vt credat, nec misterijs volumus quid super talibus senserit, ex ipsis accipiat lectione: tota interroget Græciam, quid sibi velint Isyphalli, quos per rura, per oppida mos subrigit, & veneratur antiquus; inueniet caussas eas esse, quas dicimus; aut si fuerit pudicum veritatem simpliciter explicare, quid obscurare, quid tegere caussam ritus, atque originem proderit?* An non pius audire debet Aristoteles, qui talia sacra mulieribus interdixit? qui ea publice fieri vetuit, qui ab eorum aspectu pueros & adolescentes procul arcuit, qui ea ex pagis & oppidis in delu-
17.de ciuit. Dei c. 21. bra conclusit? Diuus etiam (l) Augustinus agens *de turpitudine sacrorum quæ Libero celebrabantur,* inquit, *Iam vero Liberi sacra, quem liquidis seminibus, ac per hoc non solum liquoribus fructuum, quorum quodammodo primatum vinum tenet; verum etiam seminibus animalium præfecerunt, ad quantam turpitudinem peruenerint, piget quidem dicere propter sermonis longitudinem, sed propter superbam istorum hebetudinem non piget: Inter cætera, quæ prætermittere, quoniam multa sunt, cogor, In Italiæ compitis quædam dicit sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, vt in eius honorem pudenda virilia colerentur; non saltem aliquanto verecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitia; nam hoc tempore membrum Liberi per dies festos cum honore magno plostellis impositum prius per rura in compitis, & vsque in vrbem postea vectabatur. In oppido autem Lauinio vnus Libero totus mensis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitiosissimis vtebantur, donec illud membrum per forum transuectum esset, atque in loco suo quiesceret. Cui membro inhonesto matrem-familias honestissimam palam coronam necesse erat imponere: sic videlicet Liber Deus placandus fuerat pro euentibus seminum: sic ab agris fascinatio repellenda, vt matrona hoc facere cogeretur in publico, quod nec meretrici, si matronæ spectarent, permitti debuit in theatro.* Aristoteles iterum, qui talia sacra penitus interdixit pueris, adolescentibus, & mulieribus; ac vetuit ea viris etiam maturis in publico facere, sed permisit verbis potius quam re coniugatis viris adultioribus, vt ea face-

rent

rent apud Deos lasciuiæ in eorum fanis, ac in recondito, damnabitur impie-
tatis? non laudabitur pudicitiæ, fatæque quodammodo pietatis? iniuria
certe. (m) Theodoretus item *De Dijs & Angelis* agens inquit, *Quin & animal* m 3. Græc.
illud (Priapum dico) exigua quidem ipsum statura, sed exporrecto virili membro in- aff.
gentem, pro Deo habetis: Phallumque Liberi Patris, hoc est, districtum veretrum, vi-
dere est ab ijs, qui Orgia celebrant, adorari in ea festiuitate, quam a circumferendis
Phallis Phallagogiam vocant. Nec minus muliebrem pectinem (sic enim pudenda mu-
lieris vocant) in Cereris festo initiatæ mulierculæ diuino honore dignum habent. Ari-
stoteles qui tales obscœnitates per vicos circumferri vetat, & a pueris, ado-
lescentibusque conspici prohibet; ac mulieribus interdicit, & intra delubra
concludit, ac viris ætate maturis, qui disciplina puri seruantur ab earum la-
be, vi moris legisque popularis coactus inuitus vix permittit, accusabitur
impietatis & impudicitiæ? non laudabitur de pudicitia & pietate? imme-
rito certe. Polydorus autem ille Virgilius agens de rerum inuentoribus eam-
dem historiam proponit, inquiens, (n) *Sed Bacchanalia sacra vberrimum apud* n l. 3. c. 17.
cunctas ferme gentes libidinis seminarium fuere; quorum autor fuit Melampus Amy-
theonis filius, primusque apud Græcos detulit ex Aegypto, vbi ea sacra fieri cœpere;
fœminæ enim statuas cubitales e neruis compactas, quibus ingens mentula in ventre
extabat, per pagos præeunte tibia circumferebant, Bacchum canentes. Deinde in Par-
nasso monte Bacchanalia, quæ Græcis Dionysia dicuntur, alternis annis acta sunt ma-
gno cum hominum multo mero incalentium clamore, cum tympanorum crepitu: Haud
ita multo post Græcus quidam homo ignobilis, eiusmodi sacrorum Antistes in Etru-
riam venit, docuitque ritus: Ex Etruria ea mali labes mox Romam penetrauit; vbi
mirandum in modum morbi contagione matronarum pudicitiam corrupit: primo sa-
crarium fœminarum fuit; nec quisquam virorum admittebatur: tres in anno statu-
tos dies habebant, quibus interdiu Baccho initiarentur: sacerdotes inter se matronæ
creabantur: quum demum Paula Minia Campana facta est Sacerdos; hæc omnia tan-
quam Deorum monitis immutauit: sane viros, & cum primis filios initiauit, no-
cturnumque sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus, quinos in singulos men-
ses dies initiorum sacros fecit: Tum promiscue sacra viri fœminis permisti facere cœ-
perunt; vbi quum per noctis licentiam quiduis scelerum vnicuique edere liceret: nihil
facinoris, nihil flagitij prætermittebatur; siquidem eo loci stupra pariter, atque cædes
redundabant; quando qui aut ad Venerem pigriores, aut dedecoris minus patientes
erant (nam postremo nemo maior viginti annorum initiabatur) morte afficieban-
tur: nec id multis cognitum; quum nulla vox queritantium præ vlulatu, tympa-
norum, cymbalorumque strepitu exaudiri posset; & mortui ex conspectu illico
in specus abderentur. Summa religionis erat inter eos, viros veluti mente captos,
corporis iactatione fanatica vaticinari; matronas Baccharum habitu, crinibus
passis cum facibus ardentibus discurrere, & mactatos dicere a Dijs raptos. Hac
de re Liuius eloquentissime texuit historiam luculentissimam, quam non
pigeat afferre, *Græcus ignobilis*, (*) inquit, *in Etruriam primum venit, nulla* * lib. 39.
cum arte earum, quas multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditissima
omnium gens inuexit, sed sacrificulus, & vates: nec is qui aperta religione propa-
lam, & quæstum & disciplinam profitendo, animos errore imbueret, sed occulto-
rum antistes sacrorum. Initia erant, quæ primo paucis tradita sunt: deinde vul-

gari

gari cœpta per viros mulieresque: addite voluptates religioni vini & epularum, quo plurium animi illicerentur. Quum vinum animos & nox, & misti feminis mares, ætatis teneræ maioribus, discrimen omne pudoris extinxissent: corruptelæ primum omnis generis fieri cœptæ; quum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet. Nec vnum genus noxæ: stupra promiscua ingenuorum feminarumque erant; sed falsi testes, falsa signa testimoniaque & iudicia ex eadem officina exibant: Venena indidem, intestinæque cædes, ita vt ne corpora quidem interdum ad sepulturam extarent: Multa dolo, pleraque per vim audebantur: occulebat vim, quod præ vlulatibus, tympanorumque & cymbalorum strepitu, nulla vox quiritantium inter stupra, & cædes exaudiri poterat. Huius mali labes ex Etruria Romam velut contagione morbi penetrauit. Primo Vrbis magnitudo capacior patientiorque talium malorum ea celauit. Tandem indicium hoc maxime modo ad Postumium Consulem peruenit. P. Aebutius, cuius pater publico equo stipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis deinde tutoribus, sub tutela Duroniæ matris & vitrici T. Sempronij Rutili educatus fuerat: & mater dedita viro erat, & vitricus, quia tutelam ita gesserat, vt rationem reddere non posset; aut tolli pupillum, aut obnoxium sibi vinculo aliquo fieri cupiebat: via vna corruptela Bacchanalium erant: mater adolescentulum appellat, se pro ægroto vouisse, vbi primum conualuisset, Bacchis eum se initiaturam: damnatam voti Deum benignitate, exsoluere id velle: decem dierum castimonia opus esse: decimo die cœnatum, deinde pure lautum in sacrarium deducturam. Scortum nobile, libertina Hispala Fecenia, non digna quæstu, cui ancillula assueuerat; etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur: huic consuetudo iuxta vicinitatem cum Aebutio fuit, minime adolescentis aut rei, aut famæ damnosa; vltro enim amatus appetitusque erat: & maligne omnia præbentibus suis, meretriculæ munificentia sustinebatur: quin eo processerat consuetudine capta, vt post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore a tribunis & prætore petito, quum testamentum faceret, vnum Aebutium institueret heredem. Hæc amoris pignora quum essent, nec quidquam secreto alter ab altero haberent, per iocum adolescens vetat eam mirari, si per aliquot noctes secubuisset: religionis se caussa, vt voto pro valetudine sua facto liberaretur, Bacchis initiari velle. Id vbi mulier audiuit, perturbata, Dij meliora, inquit, mori & sibi & illi satius esse, quam id faceret; & in caput eorum detestari minas periculaque, qui id suasissent. Admiratus cum verba, tum perturbationem tantam adolescens, parcere exsecrationibus iubet: matrem id sibi assentiente vitrico imperasse. Vitricus ergo, inquit, tuus (matrem enim insimulare forsitan fas non sit) pudicitiam, famam, spem, vitamque tuam perditum ire hoc facto properat? Eo magis mirabundo, querentique quid rei esset, pacem veniamque precata deorum dearumque, si coacta caritate eius, silenda enunciasset: ancillam se ait Dominæ comitem id sacrarium intrasse, liberam nunquam eo accessisse: scire corruptelarum omnis generis eam officinam esse; & iam biennio constare, neminem initiatum ibi maiorem annis viginti: vt quisque introductus sit, velut victimam tradi sacerdotibus: eos deducere in locum, qui circumsonet vlulatibus, cantuque symphoniæ, & cymbalorum & tympanorum pulsu, ne vox quiritantis, quum per vim stuprum inferatur, exaudiri possit. Orare deinde, atque obsecrare, vt eam rem quocumque discuteret modo: nec se eo præcipitaret, vbi omnia infanda patienda primum, deinde facienda essent: neque ante di-

mi-

misit eum, quam fidem dedit adolescens, ab his sacris se temperaturum. Postea quam domum venit, & mater mentionem intulit; quid eo die, quid deinceps ceteris, quæ ad sacra pertinerent, faciendum esset; negat eorum se quidquam facturum, nec initiari sibi in animo esse: aderat sermoni vitricus: confestim mulier exclamat, Hispala concubitu carere eum decem noctes non posse: illius excetræ delenimentis & venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec deorum verecundiam habere: iurgantes hinc mater, hinc vitricus, cum quattuor eum servis domo exegerunt. Adolescens inde ad Aebutiam se amitam contulit; caussamque ei, cur esset a matre eiectus, narravit; deinde ex autoritate eius postero die ad Consulem Postumium, arbitris remotis, rem detulit: Consul post diem tertium ad se iussum redire dimisit: ipse Sulpiciam, gravem feminam, socrum suam, percunctatus est, ecquam anum Aebutiam ex Aventino nosset? quum ea, nosse probam, & antiqui moris feminam respondisset: opus esse sibi ea conuenta dixit: mitteret nuncium ad eam, ut veniret. Aebutia accita ad Sulpiciam venit; & Consul paullo post, velut forte intervenisset, de Aebutio fratris eius filio infert: Lachryma mulieri obortæ, & miserari casum adolescentis cœpit, qui spoliatus fortunis, a quibus minime oporteret, apud se tunc esset, eiectus a matre, quod probus adolescens (Dij propitij essent) obscœnis, ut fama esset, sacris initiari nollet. Satis de Aebutio exploratum ratus Consul, non vanum auctorem esse: dimissa Aebutia, socrum rogat, ut Hispalam indidem ex Aventino libertinam non ignotam viciniæ accerseret ad se se: eam quoque esse, quæ percunctari vellet. Ad cuius nuncium perturbata Hispala, quod ad tam nobilem & gravem feminam ignara caussæ accerseretur: posteaquam lictores in vestibulo, turbamque consularem & Consulem ipsum conspexit, prope exanimata est. In interiorem partem ædium abductam socru adhibita Consul, si vera dicere inducere in animum posset, negat perturbari debere: fidem vel ab Sulpitia, tali femina, vel ab se acciperet; expromeret sibi quæ in luco Similæ Bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri. Hoc ubi audiuit, tantus pauor, tremorque omnium membrorum mulierem cepit, ut diu hiscere non posset: tandem confirmata, puellam admodum se ancillam initiatam cum domina ait: aliquot annis, ex quo manumissa sit, nihil quid ibi fiat, scire. Iam id ipsum Consul laudare, quod initiatam se non infitiaretur: sed & cetera eadem fide expromeret: neganti ultra quidquam scire, non eandem, dicere, si coarguatur ab alio, ac per se fatenti, veniam aut gratiam fore; eum sibi omnia exposuisse, qui ab illa audisset: Mulier haud dubie, id quod erat, Aebutium indicem arcani rata esse, ad pedes Sulpiciæ procidit, & eam primo orare cœpit, ne mulieris libertinæ cum amatore sermonem, in rem non seriam modo, sed capitalem etiam verti vellet: se terrendi eius caussa, non quod sciret quidquam, ea locutam esse. Hic Postumius accensus ira, tum quoque ait eam cum Aebutio se amatore cauillari, credere, non in domo grauissimæ feminæ, & cum Consule loqui: & Sulpicia attollere pauentem, simul illam adhortari, simul iram generi lenire. Tandem confirmata, multum incusata perfidia Aebutij, qui optime in eo ipso meriti talem gratiam retulisset; magnum sibi metum Deorum, quorum occulta enunciaret; maiorem multo dixit hominum esse, qui se indicem manibus suis discerpturi essent: itaque hoc se Sulpiciam, hoc Consulem orare, ut se extra Italiam aliquo amandarent, ubi reliquum vitæ degere tuto posset. Bono animo esse iubere eam Consul, & sibi curæ fore dicere, ut Romæ tuto habitaret. Tum Hispala originem sacrorum expromit: primo sacrarium

rium

rium id feminarum fuisse; nec quemquam virum eo admittit: tres in annos statos dies habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur. sacerdotes inuicem matronas creari solitas. Pacullam Miniam Campanam sacerdotem omnia, tanquam Deum monitu, immutasse: nam & viros eam primam suos filios initiasse, Minium & Herennium Cerrinios; & nocturnum sacrum ex diurno: & pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse: ex quo in promiscuo sacra sint, & permisti viri feminis, & noctis licentia accesserit; nihil ibi facinoris, nihil flagitij prætermissum: plura virorum inter se se, quam feminarum esse stupra: si qui minus patientes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari, nihil nefas ducere. Hanc summam inter eos religionis esse; viros velut mente capta, cum iactatione fanatica corporis vaticinari: matronas Baccharum habitu crinibus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim; demissasque in aquam faces, quia viuum sulphur cum calce insit, integra flamma efferre: raptos a Dijs homines dici, quos machina illigatos ex conspectu in abditos specus abripiant; eos esse, qui aut coniurare, aut sociari facinoribus, aut stuprum pati noluerint. Multitudinem ingentem, alterum iam populum esse; in his nobiles quosdam viros, feminasque: Biennio proximo institutum esse, ne quis maior viginti annis initiaretur: captari ætates & erroris, & stupri patientes. Peracto indicio aduoluta rursus genibus, preces easdem vt se ablegaret, repetiuit. Consul rogat socrum vt aliquam partem ædium vacuam faceret, quo Hispala immigraret. Cœnaculum super ædes datum est, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in ædes verso: res omnes Feceniæ extemplo translatæ, & familia accersita: & Aebutius migrare ad Consulis clientem iussus. Ita quum indices ambo in potestate essent, rem ad Senatum Posthumius defert. Omnibus ordine expositis, quæ delata primo, quæ deinde ab se inquisita forent, Patres pauor ingens cepit; cum publico nomine, ne quid eæ coniurationes cœtusque nocturni fraudis occultæ aut periculi importarent; tum priuatim suorum quisque vicem, ne quis affinis ei noxæ esset. Censuit autem Senatus gratias Consuli agendas, quod eam rem & cum singulari cura, & sine tumultu inuestigasset: quæstionem deinde de Bacchanalibus sacrisque nocturnis extra ordinem Consulibus mandat; indicibus Aebutio ac Feceniæ ne fraudi ea res sit, curare; & alios indices præmijs inuitare iubet: Sacerdotes eorum sacrorum, seu viri, seu feminæ essent, non Romæ modo, sed per omnia fora, & conciliabula conquiri, vt in Consulum potestate essent: edici præterea in Vrbe Roma, & per totam Italiam edicta mitti, ne quis, qui Bacchis initiatus esset, coisse aut conuenisse caussa sacrorum velit, neu quid talis rei diuinæ fecisse: ante omnia vt quæstio de his habeatur, qui coierint coniurauerintve quo stuprum flagitiumve inferretur. Hæc Senatus decreuit: Consules Aedilibus curulibus imperarunt, vt Sacerdotes eius sacri omnes conquirerent, comprehensosque libero conclaui ad quæstionem seruarent: Aediles plebis videre, ne qua sacra in operto fierent: Triumuiris capitalibus mandatum est, vt vigilias disponerent per vrbem, seruarentque ne qui nocturni cœtus fierent; vtque ab incendijs caueretur; adiutores Triumuiris quinque viri dati, vtis cis Tiberim suæ quisque regionis ædificijs præessent. Ad hæc officia dimissis Magistratibus, Consules in rostra ascenderunt; & concione aduocata, quum sollemne carmen precationis, quod præfari, priusquam Populum alloquantur, Magistratus solent, peregisset, Consul, ita cœpit, Nulli vnquam concioni Quirites, tam non solum apta, sed etiam necessaria hæc sollemnis Deorum comprecatio fuit, quæ vos admoneret hos

esse

esse Deos, quos colere, venerari, precarique maiores vestri instituissent; non illos, qui prauis, & externis religionibus captas mentes velut furialibus stimulis ad omne scelus & ad omnem libidinem agerent. Equidem nec quid taceam, nec quatenus proloquar, inuenio: si aliquid ignorabitis, ne locum negligentiæ dem; si omnia nudauero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor: quicquid dixero, minus, quam pro atrocitate & magnitudine rei dictum scitote esse: vt ad cauendum satis sit, dabitur opera a nobis. Bacchanalia tota iampridem Italia, & nunc per Vrbem etiam multis locis esse, non fama modo accepisse vos, sed crepitibus etiam vlulatibusque nocturnis, qui personant tota Vrbe, certum habeo: Ceterum quæ ea res sit, ignorare: alios deorum aliquem cultum; alios concessum ludum & lasciuiam esse credere; & qualecumque sit, ad paucos pertinere. Quod ad multitudinem eorum attinet, si dixero multa millia hominum esse, illico necesse est exterreamini, nisi adiunxero qui qualesque sint. Primum igitur mulierum magna pars est; & is fons mali huiusce fuit: deinde simillimi feminis mares stuprati & constupratores, fanatici vigiles, vino strepitibus clamoribusque nocturnis attoniti. Nullas adhuc vires coniuratio: ceterum incrementum ingens virium habet, quod in dies plures fiunt. Maiores vestri, ne vos quidem nisi quum aut vexillo in arce posito comitiorum caussa exercitus edictus esset, aut plebi concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex Magistratibus ad concionem vocasset, forte temere coire voluerunt: & vbicumque multitudo esset, ibi & legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse. Quales primum nocturnos cœtus, deinde promiscuos mulierum ac virorum esse creditis? si quibus ætatibus initientur mares, sciatis; non misereat vos eorum solum, sed etiam pudeat. Hoc sacramento initiatos iuuenes, milites faciendos censetis Quirites? ijs ex obscœno sacrario eductis arma committenda? hi cooperti stupris suis alienisque, pro pudicitia coniugum ac liberorum vestrorum ferro decernent? Minus tamen esset, si flagitijs tantum effeminati forent, (ipsorum id magna parte dedecus erat) a facinoribus manus, mentem a fraudibus abstinuissent. Numquam tantum malum in Republica fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens. Quidquid his annis libidine, quidquid fraude, quidquid scelere peccatum est, ex illo vno sacrario scitote ortum esse. Nec dum omnia in quæ coniurauerunt, edita facinora habent: adhuc priuatis noxijs, quia nondum ad rempublicam opprimendam satis virium est, coniuratio se se impia tenet: crescit & serpit quotidie malum: iam maius est, quam vt capere id priuata fortuna possit: ad summam rempublicam spectat: nisi præcauetis Quirites, iam huic diurnæ legitimæ ab Consule vocatæ par nocturna concio esse poterit: nunc illi vos singuli vniuersos concionantes timent: iam vbi vos dilapsi domos & in rura vestra eritis, illi coierint, consultabunt de sua salute simul, ac vestra pernicie: tum singulis vobis vniuersi timendi erunt. Optare igitur vnusquisque vestrum debet, vt bona mens suis omnibus fuerit: si quem libido, si furor in illum gurgitem abripuit, illorum eum, cum quibus in omne flagitium & facinus coniurauit, non suum iudicet. Ne quis etiam errore labatur vestrum quoque, non sum securus: nihil enim in speciem fallacius est, quam praua religio; vbi Deorum numen prætenditur sceleribus, subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis, diuini iuris aliquid immistum violemus. Hac vos religione innumerabilia decreta Pontificum, Senatusconsulta, haruspicum denique responsa liberant. Quoties hoc patrum auorumque ætate negotium est Magistratibus datum, vt sacra externa fieri vetarent? sacrificulos vatesque foro, circo, Vrbe prohi-

berent? vaticinos libros conquirerent, comburerentque? omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent? Iudicabant enim prudentissimi viri omnis diuini humanique iuris, nihil æque dissoluendæ religionis esse, quam vbi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur. Hæc vobis prædicenda ratus sum, ne qua superstitio agitaret animos vestros, quum demolientes nos Bacchanalia, discutientesque nefarios cœtus cerneretis. Omnia dijs propitijs volentibusque ea faciemus; qui quia suum numen sceleribus libidinibusque contaminari indigne ferebant, ex occultis ea tenebris in lucem extraxerunt: nec patefieri vt impunita essent, sed vt vindicarentur & opprimerentur, voluerunt. Senatus quæstionem extra ordinem de ea re mihi Collegæque meo mandauit: nos quæ ipsis nobis agenda sunt, impigre exequemur: vigiliarum nocturnarum curam per Vrbem minoribus Magistratibus mandauimus: vos quoque æquum est, quæ vestra munia sunt, quo quisque loco positus erit, quod imperabitur impigre præstare, & dare operam, ne quid fraude noxiorum periculi aut tumultus oriatur. Recitari deinde Senatusconsulta iusserunt: indicique præmium proposuerunt: si quis quem ad se deduxisset, nomenue absentis detulisset. Qui nominatus profugisset, diem certam se finituros, ad quam nisi citatus respondisset, absens damnaretur; si quis eorum, qui tum extra terram Italiam essent, nominaretur, ei laxiorem diem daturos, si venire ad caussam dicendam vellet. Edixerunt deinde, ne quis quid fugæ caussa vendidisse, neue emisse vellet; ne quis reciperet, celaret, ope vlla iuuaret fugientes. Concione dimissa, terror magnus Vrbe tota fuit, nec mœnibus se tantum Vrbis aut finibus Romanis, continuit, sed passim per totam Italiam, litteris hospitum de Senatusconsulto & concione & edicto Consulum acceptis, trepidari cœptum est. Multi ea nocte, quæ diem insecuta est, quo in concione res palam facta est, custodijs circa portas positis, fugientes a Triumuiris comprehensi & reducti sunt; multorum nomina delata: quidam ex ijs viri feminæque mortem sibi consciuerunt. Coniurasse supra septem millia virorum ac mulierum dicebantur: capita autem coniurationis constabat esse M. & C. Atinios de plebe Romana, & Faliscum L. Opterginum, & Minium Cerrinium Campanum: ab his omnia facinora & flagitia orta; eos maximos sacerdotes, conditoresque eius sacri esse. data opera est, vt primo quoque tempore comprehenderentur. Adducti ad Consulem, fassique de se, nullam moram iudicio fecerunt. Ceterum tanta fuga ex Vrbe facta erat, vt, quia multis actiones & res peribant, cogerentur Prætores T. Manius, & M. Licinius per Senatum res in diem tricesimum differre, donec quæstiones a Consulibus perficerentur. Eadem sollicitudo, quia Romæ non respondebant, nec inueniebantur quorum nomina delata erant, coegit Consules circa fora proficisci, ibique quærere, & iudicia exercere. Qui tantum initiati erant, & ex carmine sacro, præeunte verba sacerdote, precationes fecerant, in quibus nefanda coniuratio in omne facinus ac libidinem continebatur; nec earum rerum vllam rem, in quas iureiurando obligati erant, in se aut alios admiserant, eos in vinculis relinquebant: qui stupris aut cædibus violati erant, qui falsis testimonijs, signis adulterinis, subiectione testamentorum, fraudibus alijs contaminati, eos capitali pœna afficiebant: plures necati, quam in vincula coniecti sunt: magna vis in vtraque caussa virorum mulierumque fuit. Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, vt ipsi in priuato animaduerterent in eas: si nemo erat idoneus supplicij exactor, in publico animaduertebatur. Datum deinde Consulibus negotium est, vt omnia Bacchanalia Romæ primum, deinde per to-

tam

tum Italiam diruerent: extra quam si qua ibi vetusta ara, aut signum consecratum
esset. in reliquum deinde Senatusconsulto cautum est, ne qua Bacchanalia Romæ, neve
in Italia essent: si quis tale sacrum sollemne & necessarium duceret, nec sine religione
& piaculo se id omittere posse, apud Prætorem Vrbanum profiteretur; Prætor Sena-
tum consuleret: si ei permissum esset, quum in Senatu centum non minus essent, ita
id sacrum faceret, dum ne plus quinque sacrificio interessent; neu qua pecunia
communis, neu quis magister sacrorum, aut sacerdos esset. Aliud deinde huic con-
iunctum, referente Q. Marcio Consule, Senatusconsultum factum est, vt de ijs quos
pro indicibus Consules habuissent, integra res ad Senatum referretur, quum Sp. Postu-
mius quæstionibus perfectis Romam redisset. Minium Cerrinium Campanum Ar-
deam in vincula mittendum censuerunt, Magistratibusque Ardeatium prædicen-
dum, vt intentiore eum custodia asseruarent, non solum ne effugeret, sed ne mortis
consciscendæ locum haberet. Sp. Postumius aliquanto post Romam venit: eo referente
de P. Aebutij & Hispalæ Feceniæ præmio, quod eorum opera indicata Bacchanalia es-
sent, S. C. factum est, vt singulis his centena millia æris Quæstores Vrbani ex ærario
darent: vtique Consul cum Tribunis plebis ageret, vt ad plebem primo quoque tempo-
re ferrent, vt P. Aebutio emerita stipendia essent; ne inuitus militaret, neve Censor
ei equum publicum assignaret: vtique Feceniæ Hispalæ datio, deminutio, gentis enu-
ptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset: vtique ei ingenuo nubere
liceret: neu quid ei qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiæve esset: vtique Consules
Prætoresque qui nunc essent, quive postea futuri essent, curarent, ne quid & mulieri
iniuria fieret, vtique tuto esset: id Senatum velle, & æquum censere vt ita fieret.
Ea omnia lata ad plebem: factaque sunt ex S. C. & de ceterorum indicum im-
punitate præmijsque Consulibus permissum est. Aristoteles, qui vir priuatus
non habuit potestatem publicam talia sacra penitus exterminandi, dum
ea mulieribus omnibus, & adolescentibus interdixit; & solis viris æta-
te maturis, quos disciplina puros, ac tutos ab omni labe seruaret, con-
cessit, ac permisit inuitus, erit impietate grauandus? minime vero.
Volaterranus pariter ait, (o) *Bacchanalia noctu celebrabantur, vbi nudus vterque* o lib. 29.
sexus impurissime commiscebatur thyrsis pampinisque vir. &c. Scaliger itidem ob-
seruat; (p) *Athenienses olim sacrum Liberi patris, nomine Phallos, hoc est perticas, atque* p 1. poet.
in eatum fastigio coriaceum genitale tum publice, tum priuatis in ædibus erexisse. cap. 10.
At sane tale quid fuit Idolum Beelphegor, cui dudum Izraelem initiatum
fuisse meminit sacra (q) pagina; scribit enim Glossographus ibi, *Consecratus-* q Num. 25.
que est, scilicet mysterijs Idoli, qui apud Madianitas præcipue a mulieribus colitur, &
est species turpitudinis: sed scriptum vix reperitur quæ, vel qualis sit, vel cuius for-
mæ; forte ne auditorem polluat: Quum ergo multa sint turpitudinis species, vna Beel-
phegor dicitur. Isidorus tamen formam Beelphegor apponit in opere suo de
(*) Originibus inquiens, *Beelphegor interpretatur simulacrum ignominiæ. Ido-* * lib. 8.
lum enim fuit Moab cognomento Baal super montem Phegor; quem Latini Priapum cap. de
vocant; Deum hortorum. Fuit enim de Lapsaco ciuitate Hellesponti, de qua pulsus Dijs Gen-
est; & propter virilis membri magnitudinem in numerum Deorum suorum eum tium.
Græci transtulerunt, & in nomine sacrauerunt hortorum; vnde & dicitur præesse r 1. synt. de
hortis propter eorum fæcunditatem. Verum nominis Beelphegor caussam, & Dijs Syr.
Numinis cultum apud eruditum (r) Seldenum videtur sibi bene explicare cap. 5.

f Num.15. Salomon Iarchi, (f) *eo quod distendebant coram illo foramen podicis, & stercus*
cap.3. *offerebant, & hic erat cultus eius.* Et apud Mosen Ben Maimon in (t) More
t part. 3. Nebochim, *Tu vero scis quod seruitium Idoli, quod vocabatur Babor, in temporibus*
cap.46. *illis erat, vt discooperiretur homo versus eum.* & Philo Iudæus in libro *Peri ton metonomazomenon* ait, *Illi vero sacris impijs Beelphegor initiati, atque omnia corporis ostia ad recipienda, quæ ab externo infunduntur flumina, dilatantes (interpretatur enim Beelphegor superius os pellis) mentem gubernatricem diluuio obruerunt, & in imum gurgitem impulerunt.* Quod & apertissime Diuus Hieronymus conte-
u cap.9. statur apud (u) Oseam inquiens, *Ipsi autem educti de Aegypto fornicati sunt cum Madianitis, & ingressi sunt ad Beelphegor idolum Moabitarum, quem nos Priapum possumus appellare. Denique interpretatur Beelphegor idolum tentiginis habens in ore, idest in summitate pellem, vt turpitudinem membri virilis ostenderet:* intelligit D. Hieronymus τὸ Beelphegor, quasi diceres Baal in ore habens pellem di-
x in 4. stentam. & paullo (x) antea idem Sanctus ait, *Istiusmodi Idololatria erat in*
Osee. *Israel; colentibus maxime feminis Beelphegor ob obsceni magnitudinem; vnde & Asa rex tulit excelsa de populo, & huiusmodi sacerdotes, & matrem de augusto posuit*
y 3.Reg. *imperio, sicut (y) scriptura testatur dicens, Et fecit Asa rectum ante conspectum Domi-*
c.15. & *ni, sicut Dauid pater eius, & abstulit effœminatos de terra, purgauitque omnes sordes*
2. Paral. *Idolorum, quæ fuerant patris eius; insuper & Maacham matrem suam amouit ne*
c.15. *esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius, quem consecrauerat; subuertitque specum eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron. Excelsa autem non abstulit: verumtamen cor Asa perfectum erat coram Deo cunctis*
z 1.contr. *diebus eius.* Et alibi scribit (z) D. Hieronymus, *Phegor in lingua Ebræa Priapus*
Iouin. c.12 *appellatur.* Ruffino quoque in Oseam, (a) *Beelphegor figuram Priapi dixerunt*
a lib.3. *tenere.* Laureto (b) pariter ex (c) Origene, (d) Arnobio, & Diuo (e) Hiero-
b 1.sylu. nymo, *Beelphegor, idest Idolum hiatus, vel aperturæ; est Dæmon turpitudinis, idem,*
Allegor. *qui Priapus: cui consecratur, qui aliquid turpe committit; & significat ipsam libi-*
c ad Num. *dinem, omnem mentis vigorem deuorantem.* Hæc turpia sacra penitus sustulit
c.20. Aristoteles, veluti nouus Asa, dum ab eis procul (f) arcuit pueros, adolescen-
d in Psal. tes & fœminas omnes; hac ratione prohibens homicidia, & stupra: vel
105. saltem eiusmodi sacrorum solam vmbram permisit, ab eis omni nece, ac im-
e in Isa.25. puritate libidinis abdicata, dum viris maturis, quos disciplina reddit inson-
Ose.4. tes a tali labe, illa sacra vtcunque permisit in abdito fanorum facere; si-
&8. quidem ne turpis imaginis aspectus & exemplum labefactaret pudicitiam
f 7.polit. mulierum, adolescentum, & puerorum, vetuit Aristoteles ea sacra publice
cap.17. fieri; sed tantum permisit ipsa celebrari apud Deos, quibus mos lasciuiam tribuit, hoc est in eorum delubris, procul a populi conspectu. Immo vero ne permisit ipse quidem, neque decreuit lege permittendum esse; quod enim legit vertitque Leonardus Aretinus, in hoc Aristotelis loco, *Apud hos Deos, quibus mos lasciuiam tribuit, permittet lex iam homines factos pro se, & filijs, & vxoribus sacra facere,* secus, & melius legunt, ac vertunt P. Victorius, & D. Lambinus, *Ad hos autem permittit lex, &c. Verumtamen hos Deos permittit lex ijs, qui sunt ætate prouectiores, &c.* vt proprie non permittat ipse, sed asserat legem permittere hunc Deorum cultum; nec probet ipse talem legem; sed potius aperte reprobet, huiusmodi cultum statim asserens esse labem, *Iuniores au-*

tem

tam neque iamborum, neque tragœdiarum spectatores esse sinat, nisi quum ad eam peruenerint ætatem, vt in comessationibus vna cum alijs sedere, & potus etiam participes esse possint; & ab ebrietate & huiusmodi labe insontes disciplina omnes præstabit. Quinimmo penitus ea sacra sustulit paullo antea, dum ait, (*f*) *Omnino igitur obscœnitas verborum, vt & quicquam aliud per Legislatorem exterminanda est de ciuitate: ex turpiter enim loquendi licentia sequitur & turpiter facere.* His apertissime constat Aristotelem omnino tollere turpia illa sacra Dijs lasciuiæ fieri sueta; nam vt ex (*t*) Diuo Augustino vidimus, in sacris Bacchi verbis flagitiosissimis homines vtebantur. *Potissimum igitur statim a pueris neque dicant, neque audiant quicquam turpe.* Nonne dicens hæc Aristoteles euellit radicitus Bacchanalia sacra, in quibus nemo maior vicenario admittebatur, vt nouimus ex Liuio, & (*u*) Polydoro? *Optime vero,* vt ait (*x*) Theodorus, *hic Aristoteles paucis omnia complectitur, quæ putat vitanda, tanquam obstantia bonis moribus, & magnam labem in ciuitatem importantia.* Subdit Magister, *Si quis vero dicere, aut facere quicquam prohibitorum deprehensus fuerit, is si liber sit, sed nondum in conuentum comessatorum dignatus assumi, honore prohibeatur, & verberibus castigetur: sed si sit maioris ætatis, seruili infamia afficiatur, admissi seruilis officij gratia.* Qui non paruerint pudicis hisce legibus Aristotelis, Magister eos pœnis curandos esse docet; vt & ipsi, si fieri possit, emendentur, & ne sint alijs exemplo peccandi. Addit, *Quum vero dicere quicquam interdixerimus, clarum est quod & aspicere aut picturas, aut actus deformes prohibemus. Sit igitur cura Magistratibus, nullam neque picturam, neque statuam esse talium rerum imitatricem.* Quis non videt hic Aristotelem prohibere Bacchi sacra, in quibus obscœnæ statuæ Priapi circumferebantur? vetat enim Aristoteles hic etiam aspectum picturarum & statuarum obscœnos actus repræsentantium; prohibetque conspectum actuum ipsorum turpium, qui fieri consueuerunt tum in (*y*) Phallogogia, tum in Theatris, vbi repræsentabantur impudicæ fabulæ Deorum Gentilium: & hæc prohibens Aristoteles non laudabitur pietatis ac pudicitiæ? Adijcit, *Nisi apud Deos quosdam, quibus etiam lasciuiam mos tribuit; apud hos permittet* (seu potius *permittit*) *lex iam homines factos pro se & filijs, & vxoribus sacra facere.* Concedens Aristoteles hæc, seu potius permittens viris maturis; ipsa mulieribus, adolescentibus, & pueris interdicit; vetatque publice fieri per pagos & per compita; sed apud quosdam illos Deos, quibus mos popularis lasciuiam tribuit, nimirum in eorum fanis procul a publico hominum conspectu; non quia hæc sacra vlla ex parte ipse probaret; sed quia sciebat impetrari non posse vt abolerentur omnino, & affatim; quæ namque religioni consecrata sunt, ea nec facile, nec impune possunt a pectoribus hominum, & e multitudinis vsu ab aliquo, speciatim homine priuato statim extirpari. Sane Magister hic videtur homines sensim sine sensu retrahere a prauo & obscœno Deorum cultu, disponereque ad pietatem: Quum enim duo continerentur in Idolorum cultu, nempe ceremoniæ plerumque turpes & obscœnæ, vt in Bacchanalibus; & impia creaturarum ac sæpe nefariarum latria; quemadmodum Ecclesia, Diuinaque lex Idololatriam abolere satagens, vtrumque hoc demoliri studuit, primum omnino tollens essentiale sacrificium Idolis; deinde ceremonias partim euer-

f loc. cit.
t 7. de ciu. Dei c. 21.
u 3. de rer. inu. c. 17.
x Zuing. in com. 7. polit. cap. 17.
y Theodor. de Dijs & Ang.

euertens, partim ad pietatem vtcunque conuertens; vt latissime demonstrat M. de Roa, tractans *de die natali sacro & profano*; notat enim multos ex prisco sæculo ritus ad nostra quoque tempora deriuatos, & meliores effectos, atque diuinis honoribus consecratos: atque speciatim vsum aquæ lustralis ingredientibus templa fuisse antiquissimum constat ex Hippocrate, qui scribit hæc in opere suo de sacro morbo: *Deus itaque est, qui maxima atque scelestissima peccata purgat ac purificat: & liberatio nostra existit; Ipsi; ac terminos templorum ac delubrorum Dijs designamus, vt nullus, qui non purus sit, eos transcendat: & ingressi respergimur, non velut qui inquinemur; sed si quid etiam prius scelus habemus, purificemur*. Ita Moses aspergit sanguine sæpe populum ad purificationem. Ita dubio procul Aristoteles, qui vt priuatus id quod erat in sacrificijs Gentilium essentiale prorsus abolere non poterat; vt Philosophus turpes & obscœnos Dionysiorum, Cybelis, & alios abominabiles ritus prohibuit, in proposito sensim nos ad abroganda veterum impia sacra disponens, ac veluti manuducens. Quainre (a) Dionysius Halicarnasseus, & ante Polydorum (b) Virgilium (c) Macrobius nobile nobis affert argumentum inquiens, *Nec illam caussam, quæ Saturnalibus assignatur, ignoro; quod Pelasgi, sicut Varro memorat, quum sedibus suis pulsi diuersas terras petissent, confluxerunt plerique Dodonam, & incerti quibus hærerent locis, eiusmodi accepere responsum.*

a 1. ann. Rom.
b 2. de rer. inu c.23.
c 1. Saturn. cap.7.

Stecheta maiomenoi Sicelon Saturnian aian,
Id Aborigenon cotylin, hou nasos ocheita,
Ois anamichthentes, decatyn ec pempsate Phoebo.
Ce Cephalas Adi ca to patri pempete phota. hoc est.
Pergite quærentes Siculorum Saturniam terram,
Atque Aboriginum Cotylen, vbi insula vehitur.
Quibus permisti, decumas mittite Phœbo.
Et capita Diti & patri mittite virum, siue lumina.

acceptaque sorte, quum Latium post errores plurimos appulissent, in lacu Cutiliensi enatam insulam deprehenderunt: amplissimus enim cespes, siue ille continens limus seu paludis fuit, coacta compage, virgultis & arboribus in syluæ licentiam comptus iactantibus per omnem fluctibus vagabatur: vt fides ex hoc etiam Delo facta sit, quæ celsa montibus, vasta campis, tamen per maria ambulabat: hoc igitur miraculo deprehenso, has sibi sedes prædictas esse didicerunt: vastatisque Siciliensibus incolis, occupauere regionem: decima præda secundum responsum Apollini consecrata; erectisque Ditis sacello & Saturno Ara, cuius festum Saturnalia nominarunt: quumque diu humanis capitibus Ditem, & virorum victimis Saturnum placare se crederent propter oraculum in quo erat,

Ce Cephalas Adi, ca to patri pempete phota.
Et capita Diti, & patri mittite phota.

Herculem ferunt postea cum Geryonis pecore per Italiam reuertentem suasisse illorum posteris vt faustis sacrificijs infausta mutarent, inferentes Diti non hominum capita, sed oscilla ad humanam effigiem arte simulata, & aras Saturnias non mactando viros, sed accensis luminibus excolentes: quia non solum virum, sed etiam & lumina phota significat: Inde mos per Saturnalia missitandis cereis cœpit. Quem morem non ex toto deleuit mater Ecclesia, sed traduxit ad pium vsum, missitantur enim ce-

rei

rei in festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis Matris Dei. Nisi etiam dicamus cum Autore Rationalis Diuinorum officiorum; (d) *Portantur itaque in processione cerei ardentes, vt ritum gentilium in melius commutet religio Christiana: Romani namque de quinto in quintum annum in Calendis Februarij, ad honorem Februa matris Martis, qui vt putabatur, erat Deus belli, illustrabant vrbem tota nocte cum cereis ac facibus accensis, vt filius eius eis victoriam de hostibus concederet, cuius matrem tam solemniter honorabant, quod Festum a Burbale dicebatur. Ipsi autem in mense Februario sacrificabant Februo, id est, Plutoni cum cæteris alijs Dijs infernalibus pro animabus antecessorum suorum, vt propitiarentur ipsorum eis solemnes hostias offerentes, & tota nocte eorum laudibus cum cereis & facibus accensis vigilantes mulieres quoque Romanorum his diebus festum luminum exercebant: Gentiles namque pro eo quod dicitur Plato, Deus infernalis concupiscens Proserpinam speciosissimam, eam in principio huius mensis rapuit, Dæmoni fecit; quam Ceres eius mater, & parentes facibus accensis per syluas de nocte in Aetna monte Siciliæ multo tempore quæsierunt; pro vt Poetarum fabulæ fingunt; idcirco & ipsam in principio mensis Februarij in memoriam huius rei de nocte vrbem lustrabant, ambiendo ipsam cum facibus ardentibus: Idololatra enim, sicut legitur in libro (e) Sapientiæ, obscura faciebant. Hos igitur lustrandi mores Sergius Papa mutans in melius statuit Festum Purificationis in honorem matris Domini in eodem mense,* &c. Quin & in proposito (f) Theodoretus agens de Dijs Gentilium inquit, *Illos cassos gloria, vanosque Deus reddidit; suis autem martyribus honorem illorum dedit.* Ita sane non potuit Aristoteles prorsus & affatim abrogare, interdicereque festa Bacchi, Cereris, & similia, quæ cum tanta licentia, & petulantia dudum celebrabantur; sed in eo laudandus est Aristoteles maximopere, qui talia sacra vetans publice fieri, puerosque, mulieres, & adolescentes omnes ab eis procul arcens, viam parauit veræ pietati; quæ postea talia sacra non ita maturis hominibus oblectamento, faciliori negocio penitus extinguere, prorsumque potuit abolere. Subnectit Aristoteles (g) *Iuniores autem neque iamborum, neque comœdiarum, tragœdiarumue spectatores esse sinat, nisi quum ad eam peruenerint ætatem, vt in comessationibus vna cum alijs sedere, & potus etiam participes esse possint, & ab ebrietate, & huiusmodi labe insontes disciplina omnes præstabit.* Et sane in Comœdijs plerunque repræsentabantur sacra Liberi, in quibus introducebantur fœminæ cum turpibus pudendorum simulachris, & homines mali morati, qui verbis obscœnissimis adolescentulas virgines impetebant; vt videre licet non solum apud Aristotelem in Poetica (h) talia dicentem, *Quum itaque a principio rudes essent, planeque informes Tragœdia, atque Comœdia; illa quidem ab ijs, qui Dithyrambum; hæc autem (quantum ipsa aperiebat) ab ijs, qui Phallica produxerunt: quæ nostra etiam tempestate in vrbibus non paucis in consuetudinem ex lege receptæ sunt; paulatim aucta fuere:* Sed etiam apud Aristophanem in Comœdia, cui titulum fecit (i) Acharnenses, vbi matrem, & filiam nubilem, & imaginem penis, cui Phalli nomen erat, præcedentem inducit; & a Dicæopoli, iuuene procaci, turpissima verba audientem, quæ pudor vetat huc afferre.

d Durand. lib. 7. cap. 7. de Purif.

e 17.

f 8. de Euang. verit.

g 7. Polit. cap. 17.

h cap. 2.

i act. 2. sc. 1

DI. Euphemeite, euphemeite.

CHO. Siga pas, ieusas andreusarnus euphemeite;

Hu-

Hutos autos estin hon zjtumen, alla deuro pas
Ecpodon. thyson gar anjr, hos eoic' exercheta.

DI. *Euphjmeite, euphjmeite.*
Preith' hos to prosthen oligon hi canjphoros;
Ho Xanthias ton phallon orthon sjsato.

MI. *Catathu to canun o thygater, hin aparxometha.*

THY. *O Mjter, anados deuro tjn etnjrysin,*
Hin etnos catacheo t' ulatjros tutui.

DI. *Ca mjn calon g' est o dionyse despota*
Cecharismenos soi tjn de tjn pompjn eme
Pempsanta ca thysanta meta ton oiceton,
Agagein tychjros ta cat' agrus dionysia,
Stratias apallachthenta. tas spondas de moi
Calos xynenencein tas triacontutidas.

MI. *Ag' o thygater hopos to canun calj calos*
Oiseis, blepusa thymbrophagon, hos cacarios
Ostis s' o pysei cac' poijsetai galas,
Su mjden jtton bdein, epeidan orthros j.
Probant can to' chlo phylattestha s hodra,
Mj tis lathon su peritragj ta chrysia.

DI. *O Xanthia, sphoin d' estin orthos ecteos*
Ho phallos exopistha tjs canjphoru.
Ego d' acoluthon. asoma to phallicon.
Sy d' o gyna theo m' apo tu tegus, proba
Phaljs, etare Baccheiu
Synchome nyctoperiplanj
Te, moiche, paderasta.
Ecto s' etei proseipon es
Ton djmon elthon asmenos.
Spondas poijsamenos emau
To pragmaton te ca machon,
Ca lamachon apallageis.
Pollon gar estin jdion, o phaljs, phaljs,
Cleptusan euronth' oricjn hyljphoren.
Tjn Strymodoru thrattan ex tu phelleos
Mesjn labont' aranta cata
Balonta, catagigartis' o
Phaljs, Phaljs:
Ean meth' jmon xympijs ex crepaljs
Eothen eirjnjs rhophjseis tryblion
Hjd aspis en to thepsalo cremjseta.

Quæ ita latine ad verbum reddita sunt.

DI. *Ore fauete, ore fauete.*

CH. *Date silentium. an audistis plausum hic excitarier?*
Hic est ipse, quem nos quærimus, agite huc omnes e via

Rem

Rem sacram facturus, vt videtur, ille exit domo.
DI. *Ore fausto, ore fausto.*
Procede paulo vlterius, tu qua cistam habes.
Tu seque Xanthia, Phallum rectum erige.
MA. *Depone cistam filia. vt Dionysio.*
Soluamus primitias. FI. O mater cedo tibi
Coclear, vt pultem in hanc placentam reijciam.
DI. *Sane aequum nunc est Dionysie domine. vt animo*
Grato hanc pompam tibi deducam, & sacra faciam
Cum seruulis, celebremque hodie feliciter
Dionysia ruralia: quandoquidem a miserijs
Sum liberatus militaribus: tum vt hac
Bene confirmes triginta annorum foedera.
MA. *Age filia pulchra, pulchrè vt cistam deferas*
Vide, intuens humum sic liberaliter.
Beatum, qui te vxorem duxerit sibi,
Effeceritque, vt non minus pedas, vbi
Erat diluculum, quam felis quapiam.
Progredere: & ne quis in turba tibi clanculum
Arrodat aurum, filia sedulo caue.
DI. *Hem Xanthia, vobis rectus tenendus est*
Penis, qui cistiferam sequitur a tergo. Ego
Pone sequens cantilenam de pene accinam.
Tu mulier a tecto me spectato: prai.
Phales, amice Liberi
Congerro, adulter noctiuage,
Corruptor masculorum.
Sexto nunc anno te alloquor.
Vt vicum adeas meum lubens,
Foedusque paciscaris mihi.
Et ab hisce turbis, praelijs,
Ac Lamacho me liberes,
Nam multo iucundius est, o Phales, Phales,
Hanc Strymodori ancillam nubilem
In sylua ligna colligentem, o Phalles
Corripere mediam, tollere,
Prosternere, & permolere ibi, o
Phales, Phales,
Si tu nobiscum compotabis ex crapula;
Pacis catinum sorbebis diluculo
Et clypeus in pruna lucebit pendulus.

Dum Aristoteles ab huiuscemodi Comoedijs procul arcet iuniores mares, omnesque foeminas; dumque solos viros aetate maturos interesse permittit sacris Deorum lasciuiae, vt & Comicis, Tragicisque spectaculis, & comessationibus, quia disciplina non permitteret eos eiuscemodi labe coinquinari;

S non

nonne Magister expresse reprobat ea sacra lasciua, quæ verbis tantum ac inuitus nuperrime permittere visus est? Cæterum nonne prorsus abrogans permissionem superiorem statim affert sequentia? *Nos quidem nunc cursim ista attigimus; postea vero insistentes oportebit determinare magis, siue oportet, siue non oportet.* At videns Aristoteles non posse se citra vitæ periculum tentare talium sacrorum extirpationem; quam nec sua nece consecutus fuisset; vicissimque nolens ea vlla ex parte admittere, nunquam imposterum talem determinationem afferre voluit: Sed Aristoteles permisit vtcunque fieri sacra apud Deos lasciuiæ, ne illa prorsus abrogare tentans, etsi irrito conatu, quasi sacrilegus, & impius in Deos patrios, interficeretur ab Atheniensibus; vt non ita pridem ab iisdem ob consimilem caussam in carcere veneno cicutæ necatus fuerat Socrates: quod obseruauit etiam Cardinalis (k) Bessario tractans de Aristotele & Platone permittentibus Gentilium Deorum cultum, his notis, *Sed enim ita agere libuit Aristoteli ne plebiscito interimeretur; vt Socrates communis præceptor paulo ante mortem obijt; quoniam religionem vulgarem negligere putaretur. Erat quidem longe laudabilius aperte confiteri, quæ recte senserint* ipsimet Plato & Aristoteles, *mortemque pati ob veritatem; verum hæc tantum nostri* Christiani & Martyres *potuerunt: illi Socratem Sophronisci filium præceptorem sibi habuerunt, a quo exempla virtutis humanæ caperent; non Christum Patre Deo immortali natum, qui suo diuino munere professores suæ veritatis redderet firmiores longe quam natura humana pateretur. Ergo non mirum si Aristoteles Socrate enecto in Macedoniam abijt, vocatusque ab Atheniensibus, nolle se dixit præbere illis occasionem, vt bis in Philosophiam peccarent: Non mirum si Plato se Italiam & Siciliam contulit, euitans suorum hominum in Philosophos iniquitatem, ægreque ferens vulgi opinionem: Ita Plato & Aristoteles melius de cultu diuino senserunt, quam scripserint; atque aliter quam probarent, vulgo assentiri coacti sunt. Quod si quis eos reprehendit, quod latriam Deo tribuendam creaturis dederint, quanquam aliter sentirent; non minus requirit quam nostri fecerint Martyres; quum nos ne Christianos quidem illos, nedum Sanctos fuisse fateamur.* Non ergo vel hoc S.R.E. Cardinali decernente, adeo reprehendendus est Aristoteles, quod asseruerit (l) Lege permitti, vt viri maturi ætate pro se, filijs, & vxoribus sacra faciant apud Deos quosdam, quibus mos popularis lasciuiam tribuit; præsertim quum talem cultum fieri permittat Aristoteles non quidem Dijs ipsis, quibus mos lasciuiam tribuit, sed tantum apud eos, hoc est, in eorum fanis; quod longe aliud est; nam (m) alibi statuit sacrificia fieri debere Deo; quem alio in loco (n) præsentem vbique pronunciauit, & (o) vnum principem omnia entia bene gubernantem; iam ergo non est impietatis damnandus Aristoteles; quum ea sacra turpitudinis ergo pueris, adolescentibus & mulieribus penitus interdixerit; quod ob duritiem cordis suorum ciuium viderat non posse se illa funditus abolere. Præterea si Plato a Diuo (p) Augustino, & a Diuo (q) Thoma excusatur, quod ob cœlibatum sacrificauerit naturæ, cedens peruersæ ciuium opinioni; quum Naturæ simulachrum, cui Plato sacra fecit, nihil aliud esset apud Antiquos, quam virile membrum, vt adnotat his verbis (r) Pierius, *Sic Iudæi quoque Beelphegori nonnunquam initiati sunt; ignominiæ quippe simulachro, quem Priapum Latini vocant, Moabitarum de more*

k lib. 3. cap. 4.
l 7. polit. cap. 17.
m 7. Eud. cap. 13.
n 1. de part. cap. 5.
o 12. meta. t. vlt.
p 1. de vera relig. c 3.
q 2.2.q.152 2. ad 3.
r Hiero 34

se-

ferentes sacra, grauissimu contra se Numinis omnipotentis iracundia concitata: sic Athenarum eruditio, arcanaque mysteria vniuersum orbem elasere. Atque huc demum in Eleusina Cereris sacris tormentum illud ceremoniarum, ad occlusas portas diuturnior mora, lingua obsignatio, & tot habituum & ornatuum, quot Apuleius enumerat, varietas tendebat, vt postquam per quinquennium anxij anhelabundique magni alicuius oraculi cognitionem expectarent, & rei cuiuspiam diuinæ maiestatem quandam diceret Tertullianus, se vsuros concepissent, sub Naturæ significatione simulachrum virilis membri tot fascijs, tot integumentis tamdiu coopertum, reuelatum tandem intuerentur; quodque quotidie ad naturæ requisita non semel tangere cogerentur, vidisse sepictum, aut sculptum, sub religiosissimi iurisiurandi prohibitione profiteri vetarentur: quodque longe magis ignominiosum est, huc Philosophi, huc Principes, huc ipsi Romanarum rerum domini Augusti, leuitate nescio qua pellecti perhibentur. Si Plato inquam ipsemet Naturæ sacrificans, Idolo lasciuiæ sacra fecit; & a Sanctis viris Augustino, & Thoma non accusatur impietatis, sed excusatur, quod cederet peruersæ ciuium opinioni; cur accusabitur Aristoteles, cur non excusabitur, immo cur non laudabitur? qui peruersæ ciuium eorumdem opinioni, seu potius furori fortiter resistens, pieque repugnans, nunquam ipse talia sacra fecerit, sed publica & communia sacra Bacchi, Ceteris, Ideæ, aliorumque Deorum lasciuiæ vetuit iunioribus masculis, & fœminis omnibus; & vix ea permisit viris ætate maturis: eaque tolerans conclusit intra septa delubrorum; & occultauit in tenebris fanorum: nonne detestatur Aristoteles opere magis quam verbis huiusscemodi sacra, sic de illis præcipiens? si enim illa esse bona putasset, ipsa nemini prohibuisset, nec in publico fieri vetuisset; quia quod per se bonum esse is existimauit; id ipse censuit omnibus esse bonum, & vbique bonum. Quare non est exclamanda in Aristotelem impietas, & cultus Idoli lasciuiæ: sed vicissim suspicienda pietas illius, & cultus veri Dei: Pietas quidem, quia quum olim Idololatræ turpissima sacra dictis factisque peragere consueuissent, vt supra notauimus, & obseruauit etiam Cassiodorus in Ecclesiastica historia dicens, (*s*) *Hæc super ipsum altare impij committebant: sicut enim in schema turpi conspirantes puerum quendam naturam masculi denegantem, & vtentem veste fœminea, inunctis oculis, & vultu serico colore depicto, vt apud Azistum est idolum fœminei schematis, super ipsum Altare, vbi aduentum Sancti Spiritus inuocamus, circuitum huc illuc agere, & manibus abominationem celebrare fecerunt ridentes, nefandas mittentes voces. Qui rursus hæc parum iudicantes, & præterita decora quam turpia potius existimantes, quendam ex suis turpitudine notissimum, veste genitalibus quenudatum in sede ponentes Ecclesiæ, concionatorem turpem contra Christum impudenter eleuauerunt; pro sacris enim verbis, ille scelera proferebat; pro honestis, laudabat luxuriam; pro pietate, impietatem; pro continentia, fornicationem, & adulterium; masculorum concubitum, furtum, cibum, potum, vita huius vtilia prædicabat.* Contra vero quum Aristoteles nunquam talia sacra fecerit; immo quum ab obscœnis tum verbis, tum factis, tum obtutibus; tum etiam a cultu Deorum lasciuiæ procul (*t*) arceat omnes pueros, adolescentes, & fœminas, in eam turpitudinem æuo suo debacchantes; detestabilem impietatem sacrorum lasciuiæ prohibens etiam publice fieri; nos vere pos-

s 7. Trip. cap. 40.

t 7. polit. cap 17.

ſſimus exclamare, O pietatem in Ariſtotele pluſquam trecentis annis ante Chriſti Domini natalia pullulantem! ſcelus obſcœnitatis pro Deo coli a mulieribus, pueris, & adoleſcentibus prohibentem! & laſciuiæ ſacra publice fieri penitus interdicentem! Cultus autem veri Dei inſinuatur, quia iam iam moriturus Ariſtoteles, dolore pœnitentiæ lachrymatus eſt ob crimina dudum humanitus perpetrata; ſpe melioris vitæ ac (u) felicitatis potiundæ, dicitur ad ſummum Deum preces pia mente ac voce fudiſſe; quod in Antiquorum ſcriptis legiſſe ſe teſtatur Cœlius Rhodiginus inquiens, (x) *Proditum & illud monumentis eſt, quum Philoſophus Ariſtoteles extrema ſibi ingruere præſenſiſſet, dolore ac ſpe in lachrymas amplius profuſum, primæ cauſæ miſericordiam intentius implorasse.* Primam ſane cauſam exiſtimauit Ariſtoteles eſſe Deum, quatenus eſt finis proprius hominis; etenim cauſæ finali Philoſophus (y) principatum dare conſueuit; quam etiam appellat (z) Cauſam cauſarum: Iterum igitur, O admirabilem pietatem in Ariſtotele ante Chriſti natalia ſuſpiciendam! qui ſalutem & miſericordiam intentius implorauit cum lachrymis, & magna ſpe, a vero Deo, qui ſolus eſt prima cauſa, & cauſarum cauſa! Hinc Georgius (*) Trapezuntius comparans Ariſtotelis & Platonis Philoſophiam ait, *At Ariſtoteles multo rectius; & ita, vt pietati, ſi recte intelligitur, nullo ſe obijciat pacto; nullum enim apud eum inuenitur verbum, quo quis poſſet in animum inducere non primam & ſupremam ſolummodo cauſam ipſum adoraſſe* &c. Quin *fuerunt* (inquit Cardinalis (*) Beſſario) *Ariſtoteles & Plato Gentiles; & plures vterque diuinitates ſuperiores, atque inferiores opinatus eſt; non tamen vſque adeo in errorem vulgi lapſi ſunt, vt fabulas quaſdam obſcœnas, & inanes ſtatuas coluerint; ſed Deum vnum omnium rerum principium, ingenitum omnino, & omni cauſa vacantem poſuere; multas præterea alias ſubſtantias, eaſque æternas; ſed a primo illo gradatim deſcendentes; vt alia ſuperiores, alia inferiores habeantur; verum omnes ad vnum primum referri, indeque pendere, atque a primo & proximis primo productas.* Quod placitum eatenus non abhorret ab orthodoxa fide, quatenus hæc, præter Deum ſummum, plures Angelorum ordines & hierarchias ponit, a ſummo Deo pendentes, atque ab initio creatas; quæ per ſimilitudinem Diuinæ dicuntur (ſi hoc ſenſu, veluti par eſt, Ariſtoteles & Plato loquuntur) in honoremque Angelorum Deo templa dicat, & ſacra facit, Angeliſque cultum exhibet Duliæ. Ariſtoteles ergo verax Philoſophus ac probus vir, deque pietate erga Deum bene meritus habẽdus eſt in propoſito, qui moribus patrijs, & amicis ciuibus, publice ac omni ſexu, & omni ætate Deos laſciuiæ colentibus, turpiſſimis ludis, nefarijs ceremonijs, atque obſcœnis ſacris antepoſuit veritatem, & virtutem continentiæ; procul arcens a tam petulanti procaci ſordidoque cultu pueros, adoleſcentes, & mulieres omnes; & obſcœna illa ſacra concluſit intra fanorum caulas, & abdidit in delubrorum latibulis; ea vix permittens ſolum viris ætate maturis, qui ob diſciplinam Philoſophicam a tali labe non coinquinantur.

u 1. Eth. cap. 11.
x 17. ant. lect. c. 34.
y 1. de part. cap. 1.
3 de an. t. 49.
z 5. meta. tex. 3.
* lib. 2. c. 2.
* lib. 2. c. 4.

Ari-

Aristotelem nec Moysi contradicere voluisse, nec iure culpari circa primæuam hominum creationem. Cap. X.

REprehendi videtur in eo quoque Philosophus, vt obseruat (*) Suessa- * in præf.
nus, quasi pietatem erga Deum violauerit, quod Moysi contradicere vo- lib. de an.
luerit de tempore creationis hominum. Sed intime perspectis in proposi-
to verbis Aristotelis, Magister nec Moysi contradicere voluit vnquam, nec
de tempore creationis hominum iuste reprehenditur. Circa primum, Ari-
stoteles nunquam fecit vllam vllibi mentionem Moysis: cui si contradicere
voluisset, cur eius nomen reticuisset? quo metu prohibebatur contra eum
nominatim scribere, qui semper nomine proprio designat contra quos dispu-
tat? Deinde contradictio cum sit oppositio (a) eiusdem de eodem secundum a 1. perihe.
idem; quomodo contradicere Moysi voluit Aristoteles de tempore creatio- cap.4.
nis hominum; si talem creationem Philosophus vno naturæ lumine fre-
tus cognoscere non potuit? Creationem, quæ physica functio non est, neque
cum motu fit, prorsus latuisse Philosophum, vt quæ physice nosci non va-
leat solis naturæ viribus, nos olim ostendimus in opere (b) de spontaneo vi- b li.1.c.31.
uentium ortu; quam theoriam non est vt hic repetamus; sat habentes in lib.4.c.70.
huius rei confirmationem afferre duo loca, in quibus Aristoteles primorum
hominum productionem factam ait vel ex verme, vel ex ouo; adeoque non
fuisse creationem, quæ ex nihilo fit, sed generationem physicam; primus lo-
cus habetur in politicis ita: (c) *Putandum est priscos illos homines, siue ex terra* c 2. polit.
geniti fuerint, siue ex corruptione aliqua seruati, fuisse ignaros & imprudentes, vt cap.6.
de terra natis dicitur. Quo in loco tantum abest vt Moysi contradicat, quod
potius illius historiæ sacræ mirifice consentire videatur, quatenus per homi-
nes ex terra genitos designare videtur primos parentes; quos Moses ait a
Deo creatos fuisse de limo (d) terræ; per priscos autem ex corruptione ali- d Genes.2.
qua seruatos, innuit Aristoteles Noe familiam vnicam, quæ seruata est ex
corruptione diluuij vniuersalis, vt ait (e) Moyses. Alter locus Aristotelis e Genes.7.
est, vbi scribit, (f) *Quamobrem de prima hominum, atque quadrupedum generatio-* & 8.
ne, si quando primum terrigenæ oriebantur, vt aliqui dicunt; non temere existimaue- f 3. de gen.
ris altero de duobus his modis oriri; aut enim ex verme constituto primum, aut ex ani.c.11.
ouo; quippe quum aut intra se habeant cibum ad incrementum necesse sit, qui quidem
conceptus vermis est; aut aliunde accipere, idque aut ex parente, aut ex parte conce-
ptus: itaque si alterum fieri non potest, vt affluat ex terra, quomodo cæteris animali-
bus ex parente; relinquitur necessario vt ex parte conceptus accipiatur: talem autem
generationem esse ex ouo, aut ex verme fatemur: ergo si initium vllum generationis
omnium animalium fuit, alterum de his fuisse probabile esse apertum est; Sed minus
rationis est, vt ex ouo prodierit: nullius enim generationem animalem talem videmus.
Vnde tria desumimus ostendentia Philosophum non voluisse contradicere
Moysi de tempore creationis hominum; primum est, quod Aristoteles non
absolute negat primam omnium hominum originem, sed eam supponere
videtur, his notis, *Quamobrem de prima hominum, atque quadrupedum generatio-*

ne, si quando primum terrigenæ oriebantur, vt aliqui dicunt: nempe citat hic Ari-
g Gen. 1. & seqq. stoteles historiam (*g*) Mosaicam; quam senex tandem amplexatus est, vt
(*) antea vidimus. Alterum est, quod primam hominum originem ait esse
* li.1.c.13. vel ex ouo, vel ex verme; quarum neutra est illa creatio, quam Moses de-
scripsit, asserens hominem primum factum esse de limo terræ: Nisi dicamus
Aristoteli vermem illum, in hominem conformandum ortum fuisse de limo
terræ: quo nomine sic vtcumque accederet potius ad sententiam Moysis,
quam illi contradiceret Aristoteles. Tertium est, quod asserit Philosophus
primos homines ortos fuisse quapiam specie generationis earum, quas nunc
etiam omnes fieri videmus; vnde plane constat Aristotelem non voluisse
Moysi contradicere de tempore creationis hominum: tum quia creationem
illam a Moyse descriptam, Aristoteles physice, nimirum puro, vel potius im-
puro Naturæ lumine fretus cognoscere non potuit; quam vero Philosophus
non agnouit creationem, illi certe contradicere nequiuit: tum quia Magi-
ster non absolute negauit tempus primæ mortalium originis, ast illud aper-
tissime supposuit, & plane confessus est: tum etiam quia vt nuper adnotaui-
h 2. polit. cap.6 mus, innuit Aristoteles (*h*) alibi primos homines ex terra genitos; quod cer-
te est (*i*) Moysi consententia dicere; quum Moyses asserat primum homi-
i Gen. c. 2. nem a summo Deo factum fuisse de limo terræ; vnde nuncupatus est Adam
a terra rubra, de qua formatus est; quemadmodum contestantur Flauius Io-
k lib.1.c.1. sephus in (*k*) Antiquitatibus, Eusebius in (*l*) præparatione Euangelica, &
l li. 11.c.4. Pererius in (*m*) Commetarijs ad Genesim. Circa secundum, An Aristo-
m 5.i Gen. cap.1.q.15 teles absolute reprehendi debeat de tempore creationis hominum, falsæque
sententiæ conuictus sit; quatuor loca precipue nos habemus, in quibus agens
Aristoteles de proposito se reddit insontem a culpa, & immunem ab iniusta re-
l 1. Top. cap.9. prehensione: Primus locus est in (*l*) Topicis, vbi tractans de problemate
Dialectico, siue neutro nuncupato talia profert ad verbum; *Sunt autem pro-
blemata, & de quibus contrarij sunt syllogismi: dubitationem enim habent vtrum
sit se habent, an non sic, eo quod de vtrisque sunt rationes suasibiles: & de quibus ra-
tionem non habemus, quum sint magna; difficile arbitrantes esse propter quid assigna-
re, Vtrum Mundus sit æternus, an non; nam huiusmodi quæret aliquis.* Hoc ergo
loco ponens Aristoteles Quæstionem, Vtrum Mundus sit æternus, nec ne;
inter problemata dialectica & neutra; quod etiam notauit Alexander
m in cõm. ibid. (*m*) Aphrodiseus; statuensque Magister de tali quæsito non haberi propter
quid, seu rationem determinatricem vnius partis; etenim Moyses purus hi-
storicus egit, referens Mundi creationem, non eam docens; quippe nullam
causam, nullamque probationem sui dicti protulit; decernensque Philoso-
phus tale quæsitum. Vtrum Mundus æternus sit, an non; ob sui difficulta-
tem & magnitudinem, superare captum humanæ mentis in puris naturali-
bus constitutæ; proculdubio nunc Aristoteles nec Moysi contradicit, nec
n D.Tho.1. p.q.46. a.2 falsi conuictus est a sacris (*n*) Theologis, qui supernaturali Fidei lumine illu-
strati decernunt, Mundum non esse ab æterno, sed creatum fuisse in princi-
pio temporis finiti; siquidem Aristot. hic talem determinationem non ne-
gat, sed admittit & insinuat vtcumque. Secundus locus est paullo antea cita-
o 2.pol. c.6 tus his notis, (*o*) *Putandum est, priscos illos homines, siue ex terra geniti fuerint, si-*

ue ex corruptione aliqua seruati, fuisse ignaros & imprudentes, vt de terra natis dici-
tur. Qui locus, vt antea notauimus, mirifice consentit ijs, quæ proponun-
tur a Moyse de Adamo, & Noe; quorum ille de (*p*) terra plasmatus est a — *p* Genes. 2.
Deo, & hic seruatus est ex (*q*) corruptione Diluuij vniuersalis: quin & ille — *q* Genes. 7.
imprudens haberi debuit, dum neglecto præcepto Domini, mortem mini-
tantis in esu pomi, porrigenti mulieri pomum ad vescendum non contradi-
xit, sed statim (*r*) obtemperauit: & hic bibens vinum (*ſ*) inebriatus est, & — *r* Genes. 3.
nudatus in tabernaculo suo. Dum igitur Aristoteles hic primos homines — *ſ* Genes. 9.
ponit quoquomodo ex terra natos; iam non negat Magister temporariam
hominum genesim a Moyse promulgatam; sed eam innuit; adeoque non
est conuictus de tempore creationis hominum, nec in hac re iuste reprehen-
ditur. Tertius locus est etiam superius allatus in hanc sententiam, (*t*) *Quam-* — *t* 3. de gen.
obrem de prima hominum atque quadrupedum generatione, si quando primum terri- — an. c. 11.
genæ oriebantur, vt aliqui dicunt; non temere existimaueris altero de duobus his mo-
dis oriri; aut enim ex verme constituto primum, aut ex ouo; quippe quum aut intra
se habeant cibum ad incrementum necesse sit, qui quidem conceptus vermis est; aut
aliunde accipere; idque aut ex parente, aut ex parte conceptus: Itaque si alterum fie-
ri non potest; vt affluat ex terra, quomodo cæteris animalibus ex parente: relinquitur
necessario vt ex parte conceptus accipiatur: talem autem generationem esse ex ouo, non
verme fatemur. Ergo si initium vllum generationis omnium animalium fuit, al-
terutrum de his fuisse probabile esse apertum est: sed minus rationis est vt ex ouo pro-
dierit, &c. Ex quibus euidentissime liquet, non solum Aristotelem non con-
tradicere Moysi de tempore productionis primorum hominum; sed eam
vtcunque supponere, ipsaque supposita modum ex rei natura inuestigare,
quo physice produci potuerit ab initio genus humanum, genusque viuen-
tium omnium; & præfert ortum ex verme, ac ex terra, quem Moses attulit, — *u* 8. phys. t.
ortui ex ouo. Quartus & postremus locus est in (*u*) physicis, vbi ex mente — n. & seqq.
propria æternum naturæ opus constituens, & sine principio fluxisse tempo- — v. 1. mist.
ra, & sine termino prolapsura determinans, partem affirmatiuam æternitatis — Phil. c. 7.
accepit, velut eam, quam sibi censuit aptiorem ad inuestigandam; & con- — *x* 1. cæl. t.
firmandam Primi Motoris æternitatem. Quam opinionem coluit etiam Ari- — 20. & seqq.
stoteles vbi de (*x*) cœlo pertractat. Cæterum ita sentiens Philosophus, non est — *y* q. 1. de
dicendus absolute conuictus a sacris Theologis absurdi dogmatis; nec iure — mũd. æter.
potest reprehendi de inconuenienti, ac impia doctrina: Quod etenim sum- — 1. p. q. 43.
mi Theologorum Diuus (*y*) Thomas, Doctor (*z*) Subtilis, cum magna secta- — a. 3.
torum classe contendunt, Potuisse mundum a Deo maximo pendere ac ema- — cõt. Gent.
nare per creationem antiquam ab æterno; notat ipse Diuus (*a*) Thomas — c. 43.
Aristotelem existimasse id factum reuera fuisse, vt mundus ab æterno pro- — *z* 2. sent.
ductus (*b*) emanauerit, ac (*c*) pendeat a summo Deo. Licet igitur Aristote- — d. 1 q. 3.
les vno naturæ lumine ductus determinare non potuerit Mundi creationem — *a* 8. phys.
in principio temporis post æternitatis perennem antecessionem, vt ita lo- — com. t. 4.
quar; quod solo Fidei lumine, diuinaque reuelatione cognoscere potuerunt — *b* 12. meta.
nostri Theologi, ac Prophetæ; nihilominus Aristotelis opinio de Mundi — t. 36. in cõ.
æternitate non est absurditatis conuicta, nec vt inconueniens accusanda; — *c* 1 cal. t.
quum Thelogorum Coryphæi, Diuus Thomas, Scotus, alijque multi consti- — 100. in cõ.
tuant

tuant eam fuisse veram de possibili; possibili namque posito in esse nullum
d 8. phys. t. 36. sequitur absurdum, (d) nullum oritur inconueniens: Quare non erat vt adeo vehementer in Aristotelem declamarent viri docti, si Magister solo naturæ lumine ductus videre clare non potuit creationem Mundi nouam, quam sola fides orthodoxa, diuinaque reuelatio supra naturæ metas mortalibus ostendit, & Ecclesia Catholica Christi fidelibus aperit, quæ multo post Aristotelis obitum fundata fuit à Christo Domino credentium mater. Propterea que non accusandus, at excusandus fuerat Philosophus, si ea non decreuit, quæ super excedunt captum humanæ mentis in puris naturalibus constitutæ; quæque determinata fuerunt multo post interitum Aristotelis ab Ecclesia Theologorum: Immo laudandus est, ac mire suspiciendus Aristoteles, quod tribus in locis allatis, Ecclesiæ sanctionem de Mundi genesi noua tetigerit, non negauerit, sed plane insinuauerit; quin & supergredi captum humanæ mentis naturalem adnotauerit; Mundi siquidem originem
e 1. Top. c. 9. nouam a longe vidit, ac subodoratus est Aristoteles, dum (e) quæstionem, Vtrum Mundus sit æternus, an non, reposuit inter problemata neutra, seu dialectica; quorum ob sui magnitudinem ac difficultatem, non habemus propter quid, aut rationem vllam naturalem determinatricem; innuens eius quæstionis determinationem non humano modo, sed validiori, hoc est diuinitus, ac per solam reuelationem haberi posse: quos duos modos credendi
f 2. cœl. t. 34. nobis Aristoteles perspicuis verbis attulit (f) alibi; vt nos olim explicaui-
g l. 1. c. 6. mus in opere nostro De (g) Immortalitate Rationalis animæ ad mentem Aristotelis. Ceterum Aristotelis æuo nondum Ecclesiæ dogma prostabat de principio temporis, quo Mundus a Deo conditus est: sed Hebræorum multi Doctores asserebant, a Deo materiam primam, tanquam Mundi primordium materiale creatum fuisse ab æterno, siue in eo principio, quod
h Ioan. 1. dicitur æternitas, eo fere modo, quo multo post (h) Euangelista dixit, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio*. vbi principij nomine designatur æternitas, non autem initium temporis. Talem vero fuisse mentem Aristotelis, aperte nobis innuit Iustinus Martyr, grauissimus Philosophus in vestibulo suæ Cohortationis ad Græcos inquiens, *Quum enim Aristoteles primordia rerum omnium Deum, & materiam esse dicat: antiquissimus Philosophorum omnium Thales ipse originem rerum aquam esse censet; nam ex aqua ait constare omnia*. & mox. *Aristoteles Ideæ quidem tanquam principij haudquaquam meminit: duo vero principia, Deum, & materiam esse dicit*. Quare nec Moysi contradicere voluit, vt nec illi veteres Hebræorum Doctori.

Impietatis non recte accusari Aristotelem, quod ediderit opus Magicum. Cap. XI.

Videri fortasse poterit alicui reus impietatis Aristoteles erga Deum, quod ediderit librum Magicum; namque Magia Dæmonibus malis cultum exhibet, impietateque maxime notatur, passimque damnatur ab Ecclesia-

clesia. Quod autem librum Magicum ediderit Aristoteles, luculentum testimonium habemus a Diogene Laertio in vestibulo vitarum asseuerante, *Philosophiam a barbaris initia sumpsisse plerique autumant: nam Persis Magos, Babylonijs & Assyrijs Chaldæos, Indis Gymnosophistas, Celtis seu Gallis Druidas, & qui Semnothei appellantur, eius rei fuisse autores, ait Aristoteles in Magico.* & mox. *Diuinationem præterea exercere, sibi Deos apparere asserentes, plenum esse Dæmonibus aera, qui tenuiter ac velut ex euaporatione cernentium oculis influant, exteriorem cultum & auri vsum interdicere: his autem vestis candida, lectus humus, esca olus caseus panisque cibarius est: arundine pro baculo vtuntur, cuius in summitate præfixum caseum ori applicantes mandunt. Magica illos diuinationis ignaros Aristoteles ait in libro, quem inscripsit Magicum, & Dinon in quinto Historiarum libro, qui Zoroastrem quoque ex interpretatione nominis sui, astrorum asserit fuisse cultorem. Hoc ipsum & Hermodorus tradit. Aegyptijs vero antiquiores esse magos Aristoteles autor est in primo de Philosophia libro, duoque iuxta illos esse principia, bonum dæmonem, & malum: alterum ex his Iouem, alterum Plutonem & Arimanium dici.* Ceterum hæc non carent propria solutione; siquidem vt omittam plures extitisse priscos Aristoteles literis claros; non aperte constare, vtrum autor operis Magici fuerit ipse Stagirites, de cuius pietate tractamus, an alius: vtque præteream in eo Magico potuisse tractari de Magia naturali, & de Philosophia, quæ scientia est inculpata; nam veteres passim Magiæ nomine Sapientiam significabant; quod vnicuique compertissimum est: illud vnum dicam, Aristotelem in eo libro, quem Magicum inscripsit, eadem prorsum ratione pertractare de Magia præstigiosa, & damnata; qua in libris Elenchorum nomine a se promulgatis, agit de syllogismis deceptorijs & sophisticis; nimirum nos edocet in quo consistat illorum fallacia, vt eos euitare queamus: ita pariter in Magico tractat de Magorum erroribus, vt eos euitemus; edocetque causas naturales euentuum admirabilium, quos Magi moliebantur arte sua præstigiosa: Quod apparet ex allato loco Laertij; nam duo illa principia rerum, dæmonem bonum, & malum a Magis proposita, recenset quidem Aristoteles in exordio Metaphysicę, sed non accipit, aut collaudat, verum aperte respuit, dicens non esse bonam multitudinem principatuum, & entia nolle male gubernari; proindeque vnum esse principem, vnumque (c) principium immobile, a quo cælum, & natura dependet; & in quo consistit (d) bonum & perfectio Vniuersi: Quare propter editum opus Magicum Aristoteles non est accusandus impietatis erga Deum.

a 1. meta. su. 2. c. 2.
b 12. meta. t. 55.
c tex. 38.
d t. 52.

Pietatem non lædi ab Aristotele, scribente quosdam fabulari de Stagno Palæstinæ. Cap. XII.

PRæterea non desunt, qui eum Vicomercato & Suessano culpent Aristotelem, ac plane damnent impietatis eo nomine, quod Diuinam Scripturã nuncupet fabulosam, ac Mosen fabulari dicat de Stagno Palæstinæ; quum tamen eius lacus historia a Mose descripta, verissima sit, & a compluribus tum senioribus, tum etiam recentioribus historicis fide dignissimis compro-

bata & celebrata. Verba quidem Aristotelis ipsissima leguntur in suis (a) Meteorologicis, *Si autem est, sicut fabulantur quidam, in Palæstina tale Stagnum, in quod si quis immerserit colligatum hominem, aut iumentum, supernatat, & non submergitur in aqua: testimonium vtique erit aliquod dictis. Dicunt enim amarum sic esse stagnum, & salsum, vt nullus piscis innascatur; vestimenta autem purgari, si quis, quum irrigauerit, quassauerit. Sunt autem & talia signa omnium dictorum, quod salsedinem facit corpus aliquod, & terrestre est, quod inexistit.* Quum Vicomercatus vir alioquin eruditus, & plane doctus, hæc apud Aristotelem legeret, carpere non dubitauit Magistrum, quasi fabulosa commenta, & non vera dicat ea esse, quæ de lacu Palæstinæ proferuntur; ait enim in suo commentario ad hunc locum Aristotelis Vicomercatus, (b) *Quod de lacu Palæstinæ vt fabulosum Aristoteles scribit, verum esse ab omnibus fere posterioribus scriptoribus proditum est. Plinius libro quarto ait, Lacum Asphaltites, qui Palæstinæ est, nihil præter bitumen gignere, vnde nomen accepit; nullum corpus animalium recipere, tauros, camelosque fluitare; indeque famam ortam, nihil in eo mergi: id vero libro secundo inter aquarum miracula commemorat. Strabo lacum Serbonis nominat; & propter bitumen, quod e medio fundo, cum bullis quam feruentis aquæ efflatur, ingredientem nec innatare, nec immergi posse ait, sed attolli. Galenus etiam eiusdem lacus (c) meminit, eiusque naturam edocuit. Aqua, inquit, quæ est in lacu Palæstinæ in caua Syria, quem alij quidem vocant mare mortuum, alij stagnum bituminosum, gustantibus non salsa modo, sed & amara est. Salem etiam habet ex se se natura, perinde amarum; primoque vno cum vniuerso mari tum candidior, tum crassior apparet, salsugini meræ similis, in quam si fidem iniicias, ne liquari quidem etiam possit; plurimum enim eius in se habet: ac si quis in eam se mergat, continuo sale tenuissimo veluti conspersus vndique emergere conspicitur. Quapropter etiam aqua illa quam cætera marina grauior est; idque tanto pondere, quanto fluuiali marina: Itaque ne si teipsum demittas, in profundum deferri possis, ita attollit eleuatque aqua; non sane quia natura leuis sit, quod quidam veterum Sophistarum prodidit, sed vt censuit Aristoteles, propter grauitatem instar luti, quæ grauiora sunt, gestans: Proinde si hominem ligatis manibus, pedibusque in stagni illius aquam proieceris, deorsum haud feretur. Quin vero sicut naues in mari onera plura quam in fluuijs citra submersionem portare valent; eundem in modum in stagno mortuo plura quam in mari: tanto enim est, quæ in illo est, aqua marina grauior, quanto marina lacustri, aut fluuiali: inest namque ei talis substantia, quæ terrea grauisque est. Hæc Galenus.* Hæc ex Galeno Vicomercatus in Aristotelem: Quem vt ab hoc duplici crimine, nimirum impietatis, ac falsitatis liberemus, duo nobis ostendenda sunt; primum est, per eos qui fabulantur de Stagno Palæstinæ, Philosophum non intellexisse Moysem; alterum est, si Moysem hic Aristoteles innuit, Magistrum in hoc loco Palæstini lacus historiam ceu veram narrationem collaudare, non autem ceu falsam ac fabulosam respuere, vel ex vi verborum Aristotelicorum. De primo breuiter. Sane Philosophus nunc eos citat, qui fabulantes de lacu Palæstinæ *dicunt amarum sic esse stagnum, & salsum, vt nullus piscis innascatur: vestimenta autem purgari, si quis quum irrigauerit, quassauerit: in quod* stagnum *si quis immerserit colligatum hominem, aut iumentum, supernatat, & non submergitur in aqua.* Hæc enim

sunt,

a l.2. su.1. c.3.

b 2. meteo. sum. 1. cō. cap.3.

c 4. de simp. med. fac. cap.20.

sunt, quæ scribit Aristoteles ex fabulantibus de lacu Palæstinæ. Quorum nullum quum dixerit vnquam (*) Moyses; iam satis apparet Aristotelem allato (d) loco de lacu Palæstinæ Moysi non contradixisse, nec diuinam scripturam inter fabulas reposuisse, nec diuinum scriptorem Moysem fabulosum nuncupauisse: verum inquies; si non Moysem, quem alium notat Aristoteles de lacu Palæstinæ fabulari? nobis etsi satis est, Aristotelem Moysi non contradicere, atque propterea labem impietatis hoc suo dicto non contrahere; tamen adnotare lubet, Aristotelem hic fortasse Posidonium significare, qui de lacu Palæstinæ, præterea vera, quorum testimonijs vtitur Aristoteles ad suam sententiam de salsedine maris comprobandam, multa fabulosa protulit; quæ a (e) Strabone referuntur his notis, dum agit de regione Sodomorum, *Posidonius dicit, quod quum Accolæ magici homines sint, incantationes quasdam faciunt, & lotia, & alias huiusmodi fœtidos humores inspergunt, atque exprimunt; quibus bitumen coagulatur; postea incidunt; nisi aliqua lotij vis sit, qualis eorum, qui calculos in vesica habent; nam etiam ex pueri lotio chrysocolla conficitur: Ac in medio quidem lacu iure huiusmodi res accedit.* Ad quæ si respexit Aristoteles, dicere sane potuit, hunc autorem, vel alium vetustiorem, ex quo talia Posidonius attulit de stagno Palæstinæ fabulari: colligereq; potuit ex ijs fabulis magicorum vera quædam dicta intermista, ad suæ sententiæ confirmationem: quemadmodum olim (*) Virgilius, attestatu Pisonis, asserebat se colligere aurum ex Ennij stercore, nimirum pulchros conceptus, nitidasque sententias ex verbis Ennij sordidis & obsoletis. De secundo paulo fusius, quoniam Vicomercatus est vir magni nominis inter Interpretes Aristotelis, & linguæ Græcæ callentissimus, qui testatus (a) est, olim Parisijs Philosophiam Græce se professum fuisse; ne videamur sine causa dissentire a tanto Philosopho, & contra illius accusationem, Aristotelis defensionem suscepisse: Nostræ vero defensionis tria summa capita fuerint, Primum quidem vocem *Mythologusi*, qua nunc vsus est Aristoteles, apud omnes fere classicos autores assumi modo pro *loqui-simpliciter*, modo pro *falsa-loqui*, modo pro *vera-loqui*. Secundum vero, Aristotelem in hac triplici significatione varijs in locis vsurpasse verbum *Mytheo, fabulor*, & nomen *Mythos, fabula*. Tertium autem, in hoc speciatim loco Meteorologiæ loquentem de lacu Palæstinæ per *fabulantes* intellexisse *vera-dicentes*. Ad primum quod attinet, etiamsi pleraque posuerimus obiter olim respondentes ad Quæsita Clarorum virorum, operæ pretium tamen est hic ea vberius afferre. Sane verbum *Mythologein*, quod Latine vertitur *fabulari*, non semper apud autores Classicos significat falsas fabulas dicere, quod Etrusce dicitur *fauoleggiare*: sed aliquando, quinimmo sæpe significat idem, quod *fari*, seu *loqui*, & *dicere* simpliciter; & æquipollet ei, quod Italice dicitur *fauellare*; nam fabulari deducitur etiam a fando, quod *loqui* significat; & pro ratione materiæ tractatæ, ac finis eo verbo vtentis; determinate quoque denotat *vera narrare*. Quam obseruationem habemus tum apud Græcos, tum apud Latinos autores. Apud Græcos quidem, quia Græcorum politissimus Isocrates, non orans ad populum persuadendum, sed ad inclytum Demonicum scribens, *fabula* nomen idiomate suo *Mythos* dedit ei narrationi, quam ipse sacram historiam

*Vide Genes. 19.
d 2. meteo. sum. 1. c. 3.
e lib. 16.
* Giral. de poer. hist. dial. 4.
a in com. 3. de an.

esse censebat, & omnes alij secum, maxime populares ætate sua verissima esse credebant, his notis, *Quod si fas est mortali voluntates Deorum coniectaris indagare, eos etiam in coniunctissimis potissimum, demonstrasse arbitror, quomodo & aduersus homines improbos, & erga bonos viros essent animati; nam quum Iupiter (vt fabula tradunt, & omnes credunt) Herculem Tantalumque genuisset; alterum ob virtutem immortalitate donauit; alterum propter improbitatem maximis supplicijs affecit. Decet igitur in hac exempla intuentes virtutem & honestatem expetere.* Vbi constat, Isocratem sacras Gentilium historias, quas ipse veras existimabat, quasque dicit ab omnibus creditas, appellare fabulas: etsi Volfius sensum magis quam vocabulum respiciens verterit, *arcanas literas*, & nos vertere potuissemus, sacras historias. Deinde vero Suidæ, *Mythea, legeis, loqueris, dicis*. (vbi Portus Lexicographus in Notis ait, *Mythea*, Ion. pro comm. poet. *Loqueris, dicis* a *Mythoma* pro *Mytheousa, uma, loquor, dico*.) subdit immediate Suidas, *Mythisas, eipon; mythysas, locutus, a mytheo, o*. Licet ista non recenseat Volfius in Historicis a se collectis ex magno Suidæ volumine, sed solum, quę statim subiungit in altero sensu fabulę Suidas inquiens, *Mythos. logos pseudis, eiconizon tin alitheian. Mythos i. Fabula, est oratio falsa, veritatem sub imagine repræsentans*. Insuper Constantino, & Porto, *Mytho*, Cyprijs *Phonj, vox*, autore Hesychio: & *Mytheuomai, meusomai, proeoma, fabulor*. inquio. Deponens absolut. *amoibadis allilois mytheunto, inter se loquebantur*.

b Ody. 14. v.125. Apol. Rhod. *Mytheo, mythe, p, ica, loquor*. Homer. (b) Odyss. *alithea mythisastha*, i. *vera loqui*. versus est Homeri,

Pseudont' ud' etheloisin alithea mythisastha.
Mentiuntur neque volunt vera loqui.

c l.11. ver. 140. sed & (c) antea,

Mitros tind' oroo psychin catatethneiys.
Ia' aceus' schedon amatos. ude' on hyon
Etli esanta idein, ude protimythisastha. hoc est,
Matris hanc video animam demortuæ
Illa tacita sedet prope sanguinem, neque suum filium
Dignetur palam aspicere, neque alloqui.

d ver. 326. & paulo (d) post,

Pasas d' uc an ego mythisoma, ud' oinomino, idest.
Omnes vero non ego eloqui possum, neque nominare.

e V.343. 344. & mox. (e)

Ho philoi u men hymmin apo scopu ud' apo doxis
Mytheita Basileia periphron, alla pithestha. hoc est,
O amici, non scilicet nobis præter opinionem, & a scopo
Loquitur Regina prudens, sed obedite.

Addunt Lexicographi, *mythisato, dixit. mythitis, orator, susurro. mythiseme, dico*. Nonnus, *mythizo*, itidem, *loquor, dico, prædico. mythologeuo, euso. loquor: mythologeo, dico, narro*. Plato in epistola septima, *a can allois mythologountes, &c. Quæ alijs enarrantes &c. mythos, fabula, verbum, disputatio, oratio*. Et Plato in Phœdone nunc *mython*, nunc *logon* vsurpauit. Nec mirum si *mythos* significationem *logu* aliquando obtineat, quum veteres *mytheistha* dicerent pro *logein*.

hoc

hoc est, *narrare*. Iliad. 1. *mython agasthamenoi, orationem admirantes*. & (f) ibidē f ver. 388.

Epellesen mython, o dj tetelesmenos esti. hoc est.

Minatus est verbum, quod iam perfectum est.

& mox, (g) g ver. 552.

Ainotate Cronidi, poion ton mython eeipas; scilicet

Molestissime Saturnide, quale verbum dixisti?

& antea, (h) h ver. 291.

Tun ecahoi protheusin oneidea mythesasthai; nempe,

An propterea ipsi permittunt contumelia loqui?

Mython etiam pro sermone vero Plato accepit. Hæc a Lexicographis: a quibus vltimum hoc Platonis testimonium si requiratur, facile fuerit id ex Ficino referre; nam Plato scribens, *Equidem tibi non Alcinoi apologum, sed præstantissimi viri Eri Armenij, genere Pamphylij referam: qui cum occubuisset in prælio, sublatis decimo die cadaueribus ceteris iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit: domumque delatus vt sepeliretur, duodecimo iam ab obitu die, dum pyræ impositus esset, reuixit; & quæ interim viderat, retulit*, &c. *Atque ita, o Glauce, seruata est fabula, neque periit*. De qua fabula non solum vt de historia tum Ficinus ait, (k) *Neque ab re resurrexisse refertur Erum Pamphylium pro salute patriæ in prælio mortuum, vt significet eos, qui pro publico moriuntur bono, ad veram vitam resurgere, quamquam ex multis vnus resurrexit ad nostram. Sed numquid historia hæc est, an fabula? Historiam esse vult Iustinus Platonicus, martyrque Christianus. Quod equidem non refellam. Vbi vero Plato apologum fabulamque nominat, exponi poterit historiam dici posse fabulam, quoties vltra res gestas augustiorem habet allegoriam. Quam ob causam Olympiodorus quoque ait, Platonem historias, & rationes sæpe fabulas appellasse*: tum Valerius Maximus inquit, (l) *Aliquid admirationis ciuitati nostræ Atilij etiam Auiolæ rogus attulit, qui & a domesticis & a medicis mortuus creditus, quum aliquandiu humi iacuisset, elatus, postquam corpus eius ignis corripuit, viuere se proclamauit, auxiliumque pædagogi sui (nam is solus ibi remanserat) inuocauit: sed iam flammis circundatus fato subtrahi non potuit. Lucio quoque Lamiæ prætorio viro, æque vocem fuisse super rogum constitit. Quæ minus admirabilia Eri Pamphylij casus facit: quem Plato scribit inter eos, qui in acie ceciderant, decem diebus iacuisse: biduoque postquam inde sublatus esset, impositum rogo reuixisse, ac mira quædam tempore mortis visa narrasse*. tum etiam Aristoteles ipse (m) referens rationem Pamphyliani euentus, & alterius a se (n) positi, quā de re latius infra suo loco. Apud Latinos itidem autores *fabulor*, & *fabula*, totidem habet significata, ceu vox æquiuoca; nam Cicero, qui *fabulam* (o) dicit, *in qua nec vera, nec verisimiles res continentur*: (vt hoc non accipiam, sciens poetarum plerasque fabulas esse de rebus verisimilibus) negansque (p) se fabulis credere, vt puta falsis narrationibus: tamen alibi fabulæ nomine seriem rerum vere gestarum in humana vita significat, inquiens de senibus, *Quibus autoritatis præmijs, qui splendide vsi sunt, ij mihi videntur fabulam ætatis peregisse*. & alibi, *Stalenus a Pub. Cethego admonitus istam dedit conciliationis & gratiæ fabulam*. & ad Atticum, (*) *Istud in Publio me pene absente conficies, de quo qua fama sit, scribes. Id populus curat scilicet. Non mehercules. arbitror etenim, hæc decantata erat fabula. Sed complere paginam volui*,

i 10. de Rep.

k in argu.

l lib. 1. cap. vlt.

m de som. & vig. c. 4.

n de adm. aud. c. 96.

o de inu. l. 1.

p 2. de Diu.

q l. de senect.

* lib. 13.

vbi

vbi manifeste fabulam pro vulgata fama vera de Publio ponit. Apuleius
r 3. Florid. item, (r) *Deinde regressi ad populum renuntiaturo. Philemonum poetam, qui expectaretur, qui in theatro fictum argumentum finiret, iam domi veram fabulam consummasse; enimuero iam dixisse rebus humanis valere & plaudere.* D. etiam Augu-
s to. 1. solil. li. 2. stinus, cui (s) *fabula est compositum ad vtilitatem delectationemve mendacium:*
explicans tamen vocem (t) *fabulationes*, ait, *Quas Graec adoleschias vocant, quod*
t to. 8. in ps. 118. *vsque adeo vno verbo nequaquam dici Latine potest, vt aliqui delectationes, aliqui fabulationes eas dicerent, vt non immerito accipiatur esse quidem illas exercitationes, sed in sermone cum quadam delectatione. Has vero habent in diversis sectis & regionibus, & literae seculares, & Iudaeorum.* Quod Augustini dictum citans Genebrardus ad eum locum psalmi: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; infit, *Haeretica peruersa, & vaniloqua dogmata; item seculares litteras. & deuteroses intelligunt Augustinus & Hilarius*; quum seculares literae relatae ad sacras vere dicantur *fabulationes, adoleschiae*, licet in se falsitatem non contineant, sed veritatem de rebus profanis. Glossographus ait. In sacris literis *adoleschia* dicitur *kj synechjs meletj, assidua meditatio*. Etymo. vocem deducit *apo tu adein ton vrosin*. Vel *apo tu hjdu tu euphranai, a placuisse*, vel a *demulceo, delecto*: cuius in definitum secundum *ados: ex quo adokj, euphrosyni*. & *leschj: exhilaratio, delectatio, & confabulatio*: alij deducunt *a; a tu ados, i. coros*: quasi dicas, *ad satietatem vsque confabulatio*. Quin etiam, quum *adoles*, Graece significet *sine-dolo, verus non-fucatus, synceros*: & *leschj, loquela, confabulatio*; iam *adoleschia* fuerit fabula sine figmento, & vera locutio; vt secundum Augustinum sensus sit, literas seculares, esse quidem fabulationes absque figmento delectabiles, veramque doctrinam humanis mentibus instillantes; at non vt lex Domini, quae sic intellectum erudit, vt voluntatem perficiat & animam totam ad aeternam beatitatem promoueant cum illibata quadam & indicibili delectatione, ad quam disciplinae seculi, *adoleschia, fabulationes* appellatae nos per-
u c. de impr. ducere minime valent. Nonio (u) Marcello, *Affari non solum respondere, vel fabulari, sed etiam rogare possumus*. & inferius ait, (x) *Fabulinum praesides Deos*
x c. de indog. doct. *Varro Cato, vel de liberis educandis, puerilitatis affirmat. Ali Statano, & Statilino; quorum nomina habent scripta Pontifices: Sic quum primo fari incipiebant, sacrificabant Diuo Fabulino.* Ita quum iunior essem, memini me legisse apud Calepi-
y in lit. F. num, (y) *Fabulor, aris: Ragionare, fauellare, fauoleggiare, Mythologeo: a fando deriuatur, & significat, loqui. Plautus in Castellaria: Hac nostram rem fabulatur. hanc scire oportet. filia tua vbi sit, videst, de re nostra loquitur.* Et idem Plautus in Captiuis maestum seruum Tyndarum loquentem de re seria, sic introducit,

Nunc enimuero ego occidi: eunt ad te hostes Tyndare, quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mihi
Res omnis in incerto est: quid rebus confidam meis?

Vbi Plautus ponens in ore serui verbum *fabulari* significans absolute loqui, & vera loqui, satis arguit asserentem, multitudini non consueuisse *fabulari* vsu venire in alia significatione, quam falsi fictique sermonis. Iunior item Scaliger linguae Latinae Graeceque peritissimus in epistolis familiaribus vsus est voce *fabula* ad significandum veram historiam sui cuiusdam litigij, dicens,
z epist. 344 (z) *Debitor meus cum auunculo colludit: si enim literas quas illi autor, cuius, in cuius*

cu-

narratiui bona sunt, scribebat, in iure protulisset, necessario auunculus damnatus fuisset : Qui igitur Omnia sunt ingrata, nihil, fecisse benigne, est. saltem quod vltimum nobis ex iure relinquitur refugium, id ne culpa nostra ammittatur. Sed vereor, ne fondebia patrium profectus vnquam pedem ad vos referat. Sunt tamen mihi Pictauij non plus qui tenebrionem e latebris eruere possint. Quia semel benignitas ac comitas non pabuit, de illa desperare ad exitium vsque fabula nec possem, neque debeo. Quin & Huberto, multo post, (*) *Vt anno superiore literae Marciani Regis longissimum titulum triginta versibus rhythmicis conscriptum continebant, adeo obscuris verbis, tropis, & schematibus, vt vix tria verba assequi potuerim. Sequebantur tres aut quatuor lineae, quae rem ipsam cuius gratia literae conscriptae erant, exponebant: ita vt Prologus fabulae triplo maior esset.* vbi fabula veram narrationem in literis Regis illius indicauit. Sed & apud sacros Autores idem verbum *Mythologein, fabulari*, idemque nomen *Mythos, fabula* ponitur in eadem significatione narrationis verae, locutionisque de re seria, sumiturque pro sermone vero & historia: nam Iobus, qui serio tractat historiam suę calamitatis, inquit, (a) *Loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine animae meae.* Dominus quoque inter maledictiones populi legem deserentis ponit, (b) *Et eris perditus, in prouerbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus*: hoc est in derisionem, & contumeliam; vt explicat Micheas, (c) *Custodisti praecepta Amri, & omne opus domus Achab: & ambulasti in voluntatibus eorum; vt darem te in perditionem; & habitares in ea in sibilum: & opprobrium populi mei portabitis.* Consimiliter alibi; (d) *Si colueritis Deos alienos, & adoraueritis eos: auferam Israel de superficie terrae quam dedi eis: eritque Israel in prouerbium, & in fabulam cunctis populis.* Vbi Lyranus, *Quia omnes loquentur de eius deiectione, & captiuitate.* Sic ergo fabula est verus sermo narrans deiectionem & captiuitatem populi a Deo deiecti, & in captiuitatem ducti. Sic etiam Tobias, (e) *Quoniam non obediuimus praeceptis tuis: ideo traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.* Vbi Lyranus, *quia Gentiles, inter quos erant captiui, frequenter inter se confabulabantur de filiorum Israel miseria, & captiuitate.* Quare constat etiam fabulae nomen significare verum sermonem non solum apud viros doctos, verum & apud multitudinem; etenim haec minae Dei & prophetarum ad populum & ad multitudinem dictae fuerunt. Insuper D. Lucas Euangelista, qui duos discipulos Domini loquentes ad inuicem serio de rebus gestis in passione Redemptoris, tanquam de rebus verissimis, quibus ipsimet interfuerant, ait eos moestos de talibus fabulari; dicens, (f) *Et ecce duo ex illis ibant in Castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus: & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quae acciderant: & factum est dum fabularentur, & secum quaererent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis; oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent: & ait ad illos. Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes?* quo in loco D. Euangelista quos ait *fabulari*, Dominus ait, conferre sermones. Et hic vel ipse Lyranus obseruat, *fabulari* deduci non a fabula, sed a fando, dicens, *Non dicitur hic fabulari a fabula.*

Margin notes: * ep. 361. — a cap. 7. — b Deut. 28. — c cap. 6. f. — d 3. Reg. 9. — e cap. 3. — f cap. 24.

bula, sed a for, faris; quia non loquebantur de vanis, sed de operibus Iesu, & morte eius. Glossa pariter ordinaria, *fabularentur*, interpretatur *de Domino loquentes.* Apud Etrusci sermonis autorem eximium pariter *to fauoleggiare* sumitur pro colloquio de rebus diuinis; etenim Theophilus ille Folengius, nobilis Theologus & Poeta, qui præter ludicrum poema Merlini Coccai, condidit egregias Psalmorum commentationes; in alio suo misto ex ludricris & serijs volumine, quod Chaos inscripsit, in tertia silua, tota seria, secundam mire ludricam subsequente, peragens de diuina vocatione animarum ad statum Gratiæ, dum poetice describit Paradisum terrestrem, introducit se iam ex illecebris mundanis erutum, cum Prophetis Enoch, & Elia de rebus diuinis colloquentem,

Quiui honoratamente fui raccolta
Da due barbati, e candidi Vecchioni:
L'uno fu Enoccho, e l'altro che disciolto
Di terra asceso in Ciel fra spirti boni.
Quando Eliseo videlo nel volto
Foco volar a l'alte regioni:
Questi con lieto volto mi abbracciaro,
Mostrando il mio venir quant' hebber caro.
Vado fra loro poscia lento lento
Fauoleggiando verso il gran palaccio:
Ecco quegli Angioletti a trenta, a cento. &c.

Sic igitur Autores omnium ordinum eximij, sumunt verbum *Mythologein*, *fabulari*, & *fauoleggiare*, non solum pro eo quod est, ficta narrare, falsaque dicere; sed etiam pro eo quod est, tum loqui simpliciter; tum etiam vera narrare. Quod erat primum ex propositis. Circa secundum, Aristoteli verbum idem vsu venisse pariter in hac triplici significatione, ceu verbum ad eas æquiuocum, iam ostendamus. Certe cuiuis apertum est, in libro Poetices Aristotelem fere semper vsum fuisse nomine fabulæ ad significandum fictum argumentum: In Rhetoricis item fabulas, quibus plerumque persuadere conantur Oratores multitudinem ad aliquam deliberationem esse fictas, & verisimiles, non item veras narrationes, liquido constat ex Aristotele dicente

g 2. rhet. c. 21. tum, (g) *Restat autem de fide communiter dicere, quoniam & de proprijs iam dictum est. Est autem communis fides genere duplex: exemplum, & enthymema: nam sententia pars enthymematis est. Primum igitur de exemplo dicamus, quoniam inductioni simile est: inductio autem principium. Exemplorum ergo species duæ sunt: altera si res præteritas dicis: altera si ipse fingis. Et huius aliud similitudo, parabolj:*

h 18. sect. probl. 3. *aliud apologi, logoi, sicut Aesopij, & Libyci,* &c. tum, (h) *Cur homines in orando exemplis, & fabulis potius gaudent, quam commentis? an gaudent, quia & discunt, & celeriter discunt: atqui per exempla & fabulas facilius discitur; sunt enim quæ explorata habeantur, & particularia sint: ratio autem commentandi demonstratio ex vniuersalibus est, quæ minus quam partes nouimus. Ad hæc ijs credere magis solemus, quæ plurimorum testimonio confirmantur: exempla autem & fabella testimoniorum speciem gerunt: fides autem perfacilis est, quam testimonium fecerit. Additur quod verisimile quisque libentius discit: exemplum autem & fabella rem*

non

nomis similem docent. exemplum quidem antea gestam, fabellæ vero recens fictam. tum, (*i*) *Qantam vero vim consuetudo habeat, leges declarant, in quibus fabulosa ac puerilia plus possunt propter consuetudinem, quam si cognosceremus ea.* tum, (k) *Cetera vero fabulose ad multitudinis persuasionem, & ad legem, ac eius quod conferat oportunitatem, iam allata sunt: hominiformes namque, ac aliorum animalium nonnullis similes eos esse dicunt, ac alia consequentia, & similia his, quæ dicta sunt.* tum, (*l*) *Quod de leana fertur, vuluam cum partu emittere, delira fabula est: facta ex ea causa, quod rarum genus hoc animalis est; nec rationem, cur ita esset, comperire autor ille fabula poterat.* tum alibi non raro quid simile profe-rente: Quæ loca si considerentur intimius, apparebit Aristotelem fictas fabulas attribuere poetis, & oratoribus, & negare philosophis contemplatiuis; quibus fabulas eas concedit, quæ veræ narrationes sunt, & habent caussam naturalem, etsi plerumque latentem, vnde propter admirationem sumpserunt fabulæ nomen. Præterea quod vt non semel Aristoteles fictam fabulam appellat (*m*) nomine *logu, sermonis, orationis*: ita vicissim veras narrationes nuncupat *mythus, fabulas*: vt mox ostendetur. In primis enim, quod obseruaui dudum apud (*n*) Iosephum historicum ex Clearcho discipulo Aristotelis audito, verba Magistri sui talia referente, *Is igitur homo multos hospitio recipiens, & de superioribus ad maritima descendens, grauissimus erat non solum eloquio, sed etiam animo: & tunc nobis degentibus apud Asiam, quum diuinus homo venisset ad ea loca, confabulari cæpit nobiscum, & cum alijs scholasticis, eorum sapientiam tentans: quumque multi eruditorum congregarentur, tradebat potius aliquid eorum, quæ habebat. Hæc ait Aristoteles apud Clearchum: & super hæc multam ac mirabilem continentiam Iudæi viri in cibis, & castitatem narrat: Licet autem volentibus hæc ex ipsius lectione cognoscere; ego enim refugio plus quam decet inserere.* Quod etiam attuli pridem in opere meo de (*o*) Quæsitis. Deinde Magister in loco nuper allato ex Metaphysicis bis vtitur voce *fabulæ*, primum ad significandum veram sententiam, secundo ad indicandum falsum fictumque sermonem, aiens, (*p*) *Tradita autem sunt quædam a maioribus, & admodum Antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quod hi Dij sunt, vniuersamque naturam diuinum continet.* Quam fabulam veterum tanquam verum sermonem accipit Aristoteles etiam alibi dicens, (*q*) *Quare bene se habet quemque sibi ipsi persuadere, antiquos, & maxime patrum nostrorum veros esse sermones, quod est immortale aliquod, & diuinum eorum, quæ motum quidem habent, vt nullus sit finis ipsius, sed potius iste aliorum finis sit: nam & finis continentium est; & hic perfectus existens, continet imperfectos, & habentes finem, ac quietem: ipse quidem neque principium vllum habet, neque finem, sed incessabilis est infinito tempore; aliorum autem, horum quidem principij caussa est, horum autem suscitens quietem. Cælum autem, & qui sursum est, locum, Antiqui quidem Dijs attribuerunt, vt pote quod solum est immortale.* & mox, (*r*) *Caussa autem de* cœlis *ipsis hinc sumenda est. Eorum vnumquodque, quorum est opus, est gratia operis: Dei autem operatio immortalitas est; hæc autem est vita sempiterna: itaque necesse est motum sempiternum Deo inesse: Quoniam autem cælum tale est (corpus enim quoddam diuinum est) ob hoc habet circulare corpus, quod natura circulariter mouetur semper.* Deinde propositæ fabulæ priscorum verum sermonem de Deorum existentia, lo-

i 2. meta. t. 14.
k 12. meta. t. 50.
l 6. hist. c. 31.
m 2. rhet. c. 21. & 18. sect. prob. 3.
n adu. Api. lib. 1.
o pag. 95.
p 12. meta. t. 50.
q 2. cæl. t. 2
r tex. 17.

co, & actione tractanti Philosophus opponit falsam fictamque veterum fa-
s 12. meta. t. 50. bulam de Deorum formis addens, *Cetera vero fabulose ad multitudinis persua-
sionem, & ad legum, ac eius quod conferat oportunitatem, iam allata sunt; homini-
formes namque, ac aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia consequen-
t 2. Iliad. *tia, & similia his, quæ dicta sunt*. etenim (t) Homerus, & alij veteres, indu-
cunt Palladem Deam nunc Vlyssi adstitisse sub imagine præconis multitudi-
u Odyss. 2. ni silentium indicentis, nunc vero Telemacho (u) sub specie Mentoris, eum
ad præclara patris facinora patranda cohortantis. Deumque Pana semica-
prum fingunt Pastoribus & Venatoribus præesse. Iouemque comminiscun-
tur sub Aquilæ forma Ganymedem rapuisse, atque sub specie Tauri virgi-
x 14. Iliad. nem Europam. Somnumque Deum alitis argutæ formam induisse; cetera-
que similia, de quibus apte Plutarchus in Numa, Themistius, Alexander, &
alij locum illum exponentes. Deinceps autem Aristoteles aperte separans
hasce duas fabulas antiquorum, primam ait continere verum atque Diui-
y 12. meta. t. 50. num sermonem de Dijs inquiens, (y) *Quorum si quis ipsum solum primum se-*
parando accipiat, quod Deos arbitrabantur primas substantias esse, diuine profecto di-
ctum putabit. Quam diuisionem fabulæ primæ veritatem habentis a secun-
da fictionem referentis, ex Aristotele proferunt hoc in loco Themistius, Ale-
xander, Philoponus, & Magnus Albertus, & Auerroes, inquiens, *Deinde di-*
cit, si igitur aliquis distinxerit, &c. i. & si aliquis homo exposuerit sermonem eorum,
quod intendebant per Deos primas substantias, quia sunt principia corporum cælestium;
tunc expositio erit vera, & tunc apologus erit conueniens veritati. Et signum eius,
quod Antiqui per Deos intelligebant illas substantias est &c. Vnde patet ex Auer-
roe fabulam hic esse veram narrationem. Insuper Aristoteles quum sapien-
z 1. meta. tis ac primi Philosophi conditiones (z) recensuisset, ad eum attinere cogno-
su. 1. c. 2. scere difficiliora, quæ remotissima sunt a sensibus, ait, *Ex omnibus itaque di-*
ctis, in eandem sententiam cadit, quod quæritur. nomen: oportet etenim primorum
principiorum & causarum eam speculatiuam esse; nam & bonum, & cuius gratia
vna de caussis est. Quod autem non factiua, etiam ex primis philosophantibus patet:
propter admirationem enim & nunc, & primo cæperunt homines philosophari; a prin-
cipio quidem, admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant; deinde paulatim vl-
terius procedentes, etiam de maioribus dubitando, vt de passionibus Lunæ, & eorum,
quæ circa Solem, & stellas fiunt, ac de generatione Vniuersi. Qui vero dubitat &
admiratur, putat se ignorare: quare Philosophus amator fabularum quodammodo est,
eo quod fabula ex mirandis constat. Quare si propter fugam ignorantiæ philosophati
sunt, patet quod caussa cognoscendi, & nullius vsus gratia ipsum scire prosequeban-
tur. Ex quibus multa suppetunt argumenta, necessario demonstrantia nunc
Aristotelem per fabulas intellexisse veras narrationes, non fictas: Primo,
quia dicit fabulas, quarum amator est Philosophus ex mirandis constare,
nulla fictionis mentione facta; sed ea mirabilia recensens ait passiones Lunæ,
Solis; eclipses nimirum, atque stellarum, maxime crinitarum, & de genera-
tione vniuersi; quæ passiones absque figmento sunt res tantum admirabiles.
Deinde, quia scribit æuo suo quoque philosophari mortales ex admiratione;
quum tamen Xenocrates, & alij temporibus Aristotelis philosophiam ex
fictis fabellis non aggrederentur. Deinceps, quia fabulæ fictæ ab Aesopo ni-

hil

hil habent admirandi, sed in ludicro & cognitu facillimis totæ positæ sunt; quare præter ludicras, quæ simpliciter ex admirandis constant fabulæ, veræ sunt enarrationes. Vlterius, quia Philosophus definitur esse studiosus & amator sapientiæ; si ergo is est amator fabularum, vt ait hic Aristoteles; iam necessario quædam fabulæ sunt Sapientia; proptereaque sine falsitate
veritatem habent; etenim sapientia locatur ab (a) Arist. inter habitus, qui- a 6. Ethic.
bus anima dicit verum affirmando aut negando. Quumque definitio siue c. 3.
nominalis, siue quæuis alia, conuertatur cum suo definito, semper Philosophus est amator sapientiæ, semperque sapientia est vera notitia. Præterea,
quia Philosophia (b) definitur esse scientia veritatis contemplatiua; quæ b 2. meta.
definitio vera non esset, neque cum suo definito reciprocaret, si quandoque t. 3.
fabulas procul ab omni vero nedum contemplaretur, sed etiam amaret Philosophus: tunc enim Philosophia esset ignorantia, & habitus prauæ deceptionis, ac erroris. Amplius, eo loco tractat Aristoteles de primo Philosopho, & de prima Philosophia, quæ Metaphysica nuncupatur; modo prima
Philosophia versatur circa ens, quatenus ens, (c) Aristotele doctore; quare c 4. meta.
non potest considerare fabulas falsas; nam Aristoteli falsum est non (d) ens, t. 1.
& tale non ens, de quo non est (e) scientia. Sic ergo fabularum amator est d 5. meta.
Philosophus, non quæ falsam narrationem habeant, sed quæ veram de re- t. 35.
bus admirandis, quarum caussa latens non ita subito fidem habet apud ho- e 1. post. t.
mines. Insuper consimilem narrationem veram sub nomine fabulæ profert 10.
Aristoteles in suis Admirandis inquiens, (f) *Inter septem Aeolias insulas vna* f cap. 96.
est Lipara nomine, in qua sepulcrum esse fabulantur, de quo quamplurima ac sane monstrosa enarrant. In hoc vero conueniunt omnes, noctu ad eum locum accedere non tutum esse; inde enim tympanorum, cymbalorumque sonitum, risumve cum tumultu ac crepitaculis euidenter exaudiri asserunt. Aliud quoque circa eius insulæ speluncam, quod magis horrorem portentumve inducit, euenisse scilicet quum quidam ebrius ante Solis ortum et in specu obdormisset, quem serui eius inuestigabant, tres dies integros subiuit; quarta vero luce a domesticis inuentus est: qui quum ceu mortuus a domesticis haberetur, ad peculiare sui sepulcrum delatus fuit: sed repente surrexit, omniaque, quæ sibi eo in somno euenerant, astantibus enarrauit. Ceterum etsi hoc quidem fabulosum nobis videtur, nihilominus id obliuioni minime permittere opera pretium esse duximus, quum eorum locorum designationem, descriptionemve fecerimus. Duo nunc fabulæ nomine proponit Aristoteles admirandas auditiones; & asserens operæ pretium duxisse se illas obliuioni minime permittere, satis indicat illas videri sibi ex eo fabularum numero, quæ falsæ fictæque non sunt, sed veræ narrationes rerum admirabilium; etenim falsarum narrationum ab se iudicatarum Philosophus nullam habere debet rationem. Et quidem primæ fabulæ ratio physica reddi potest, admirabilium nempe sonorum singulis noctibus ad illud sepulcrum audiri consuetorum; etenim vt nos organa fistulas habentia quotidie solemus audire, quæ pro varietate fistularum audientibus referũt sonos varios, etiam tympanorum, cymbalorumque cum crepitaculis, ac inconditi tumultus, & veluti risus: cur euenisse nequit vt in eo loco multi subterranei sinus essent a natura (propterea namque dictæ sunt Aeolo ventorum numini sacræ veteribus Insulæ illæ) per quos fistu-

losos cuniculos repens noctu suscitatus a concentrato calore spiritus halituosus in exitu suo varias illorum sonorum species ederet? noctu solum id accidebat, quia concentratus ab ambientis frigore nocturno calor, potis erat ex terra sicca flatulentam exhalationem excutere, gignereque tantum
g 1. meteo. halituum in Aristotelis (g) officina, quantum satis erat ad replendos tubulos subterraneos, & in exitu formare sonos varios in antro sepulcri, cum audientium terrore. Sed interdiu debilior calor est intra terram, euocatus ab ambientis calore viuido; quare flatum in tubis procreare nequit ad edendos illos sonos sufficientem. Quin & in silentio noctis illi soni maiores ac vehementiores audiuntur; quum in diei tumultibus obliterentur, ac offuscentur magna ex parte. Nec omittendum est, eiuscemodi sonorum differentias, & magnitudines ab inquilinis cum amplificatione quadam potuisse ad ridentium sonum, ad tympanorum, cymbalorumque crepitum referri potuisse, metu & horrore nimium percellente pauitantium iudicium ad ea dicenda, & affirmanda, cum quibus illi sonitus haberent aliquam analogiam. Sed tamen illud praeterea docet, Aristotelem huic fabulae, ceu verae narrationi fidem adhibuisse, quod ait omnes in hac vna narratione conuenire; quum ipse publicae famae, multorumque ac omnium testimonio credendum esse
h de diu. per som. c. 1. (h) praeceperit. Alterius autem fabulae veritatem facile comprobare possumus ex Aristotele, qui eius physicam rationem attulit, vt & consimilis fabulę pridem a (i) Platone propositę de Ero Pamphylio, dicens; (k) *Iam autem*
i 10. de Rep. *facta fuit imaginatio quibusdam, qui animi defectum fortiter passi sunt; hoc igitur aliquam habet dubitationem: si enim contingat dormire eum, qui animo deficit, con-*
k de somn. & vig. c. 4. *tingit vtique somnium esse, & ipsum phantasma: multa autem sunt, quae dicunt qui vehementer animo defecerunt, & qui visi sunt mortui esse; de quibus omnibus eandem esse rationem existimandum est.* Quae plane conuincunt, Aristotelem fabulosum casum Ebrij Liparini, & Eri Pamphylij posuisse inter fabulas veritatem admirabilem sine fictione referentes. Quibus fidem facere possumus
l 17. c. 52. consimilibus narrationibus Corfidiorum a (l) Plinio propositis, quae quum
m in c. 4. de som. & vig. fabulosae dicantur, veritatem tamen continent; quam & (m) Leonicus agnoscit. Quare iam aperte constat, Aristotelem appellatas fabulas illas Eri Pamphylij, & Ebrij Liparitani, censere veras historias, quarum eandem rationem physicam nunc attulit; etenim Erus in acie pugnans cecidit victus, metuque consternatus, veluti mortuus diu iacuit, longumque somnum duodecimae diei dormiuit, ad instar vrsi, glyrisque brumalis, cum somnijs tetris ob mortis metum imaginationem valde percellentibus; quae tanquam vera visa narrauit experrectus. Consimile quid Ebrio Liparitano contigit ad pauciores dies, qui solutus temulentia noctu mox excitatus a sepulcri fragoribus, horrendisque sonis, vt metu nimio perculsus animo defecerit in crypta, somnoque deliquium animi subsequente, spectra phantasiae formidolosa diu versauit; quae postea ceu vera sibi dormienti visa (tam alte iam insederant imaginationi) narrauit astantibus: & reuera solutus vterque somno simul & animi deliquio, narrauit a se visa somnia, tanquam vera gesta, quibus vterque fidem adhibebat; non secus atque dormientibus nonnullis alijs melancholicis, potissimumque feminis, plerumque nocturnae somnio-

niorum imagines adeo fixe recipiuntur in phantasiam, vt vigilantes postea
narrent illas, & asseuerent, opinenturque fuisse veras rerum visiones; &
forte contingit aliquando, vt euentus dictis respondeant ea ratione, quam
fusius affert Aristoteles agens de(*) Diuinatione per somnum. Itidem con- * cap. 2.
similem habet explicationem ea fabula, quam Aristoteles alibi citat de ge-
neratione Iphiclis & Herculis per superfœtationem alterius in eodem vtero
ex congressu duorum virorum cum eadem muliere, dicens, (n) *At vero si pro-* n 7. hist.
xime a primo conceptu secundus sit factus, absolui, edique potest, quod superfœtarit, cap. 4.
vt quasi gemini nasci videantur; quomodo Herculem, & Iphiclem procreatos esse fa-
bulantur: nam eiusmodi fabulam esse veram narrationem immediate con-
firmat Aristoteles obseruans tale quid alijs mulieribus non raro contigisse;
subdit enim, *Nam id etiam constitit adultera quadam quæ alterum suo marito, alte-*
rum adultero similem peperit. Iam & quum geminos quædam ferret, tertium super-
fœtauit: &, quum tempus pariendi iustum iam esset, primos vitales peperit, secundum
quinto mense elisit, qui statim mortuus est. Altera, quum primum septimo peperisset,
qui mortuus est, mox duos iusto mensium numero edidit, qui vixerunt. Quædam
etiam sub abortu conceperunt, atque alterum abegerunt, alterum continuerunt, pertu-
leruntque ad partum: Tot igitur experimentis aliarum mulierum confirmans
hic Aristoteles Alcmenam ex marito grauidam Iphiclis potuisse superfœta-
tione concipere ex adultero maritum simulante filium alterum Herculem;
fabulantium nomine veram historiam narrantes intelligit; non fictam, fal-
samque narrationem; cuius non erat vt physicam rationem afferret; quum
falsitatis, vt puta non entis, non sit vlla ratio physica. Quin & paulo post
vtitur Aristoteles eodem verbo *fabulari* ad veram narrationem significan-
dam, inquiens, (o) *Sunt & viri, qui nonnisi feminam procreent; & mulieres, quæ* o 7. hist.
nonnisi marem. & contra: vt de Hercule fabulantur, qui inter duos & septuaginta cap. 6.
liberos, feminam vnam tantummodo genuit. Quum igitur ex eo, quod fabulan-
tur de Hercule confirmet Aristoteles, viros esse qui nonnisi feminam pro-
creent; & mulieres, quæ nonnisi marem; & e contra: iam certum est eam
fabulam ab Aristotele proponi pro vera narratione, non autem accipi pro
ficta falsitate; namque scientificus ex falsis non confirmat veras conclusio-
nes. Ac Hercules vir corpore robustissimus facile potuit mulieres multas
generosas efficere matres tot filiorum, etsi vna forte debilioris temperamen-
ti conceperit ex Hercule feminam; neque numerus fabulæ figmentum ar-
guit; quia Turcæ nunc ex multis mulieribus non raro numerum illum filio-
rum æquant. Addendum est, quod Aristoteles in Politicis ait de Sardana-
palo, (p) *Alia vero propter contemptum: vt videns quidam Sardanapalum regem* p l. 5. c. 10.
inter eas mulieres pensa diuidentem, si modo hæc fabula vera fuit, Et alijs j tauta my-
thologuntes legusin (si vera hæc fabulantes dicunt) *& si non in illo, attamen hoc*
in alio verum esset. Nam ex hisce verbis clarissime constat Aristotelem acci-
pere nomen fabulæ tam in veræ, quam in falsæ narrationis significatione,
dum dubitat an fabula Sardanapali vera sit, necne, promiscuumque ponit
fabulantes de Sardanapali deiectu e regno propter contemptum, posse tam
veram, quam falsam narrationem attulisse. Denique, vt alia præteream,
omittendum non est, quod ait Aristoteles de montibus Riphæis ad Septen-
trio-

q 1.meteo. trionem, (q) *Sub ipsa autem Vrsa super vltimam Scythiam quæ vocantur Riphea, de* lib.4.c.1. *quorum magnitudine sermones, qui dicuntur, sunt valde fabulosi.* Nam sermones vulgari de magnitudine montium Riphæorum, non possunt dici valde falsi, neque valde ficti; tum quia falsum est non ens, cuius non est intensio, neque remissio; tum quia veteres de magnitudine montium Riphæorum nihil aliud asserunt, nisi quod retulit Plinius (a quo († cap.25.) Solinus, & (* l.2.c.1.) Mela) dicens, (r l.4.c.12.f.) *Mox Riphæi montes, & assiduo niuis casu, pinnarum similitudine, Pterophoros appellata regio: pars mundi damnata a natura rerum, & densa mersa caligine: neque in alio quam rigoris opere gelidisque Aquilonis conceptaculis.* & infra (ſ l.5.c.27.) de Tauro monte, *Torquetur itaque collisus inter hæc claustra, & tamen victor, flexuosus euadit vsque ad cognata Riphæorum montium iuga, numerosis nominibus & nouis, quacumque incedit, insignis.* & post, (t l.6.c.5.) *Iuga Caucasi ad Riphæos montes torquentur.* & mox, (u cap.7.) *Arimphæi, qui ad Riphæos pertinent montes.* & infra, (x cap.13.) *Nunc omnibus, quæ sunt interiora Asiæ, dictis, Riphæos montes transcendat animus, dextraque litore Oceani incedat.* & mox, *Primum inde noscitur promontorium Celticæ Lytarmis, fluuius Carambucis, vbi lassata cum siderum vi Riphæorum montium deficiunt iuga.* Talia Plinius a veteribus accepit de Riphæis montibus; quorum non ideo magnitudo fabulosa dici potest, quia falsa narratio sit fidem superans. Rhodiginus etiam ex Antiquis ait, (y l.16.c.22.) *Damastes vero in libro de gentibus, Vltra Scythas, inquit, Issedonas incolere, super hos Arimaspos; vlterius esse Riphæos montes, ex quibus flet Boreas, vbi sint etiam perennis niues: post hosce montes Hyperboreos pertingere ad mare.* Nec iste fictum quid affert de nimia magnitudine Riphæorum montium ex antiquorum lectionibus. Immo Strabo vocat Historicos non fictores, qui de montibus Riphæis antiquitus egerunt; inquiens, (z l.7.) *Ab ijs vero transit ad Historicos, qui Riphæos montes nuncupant:* nec vnquam de illorum magnitudine profert, quæ referri debeant inter fabulas falsas. In Moscouiæ descriptione Sigismundus Liber Baro scribit, (pag.169.) montes Riphæos ab antiquis appellatos, altissimos esse, quorum vertices, ob continuum ventorum flatum, nudos herbis existere; licet varijs nominibus vocentur in varijs locis, communiter tamen nuncupari Cingulum mundi: suntque propter continuas niues, & perpetuas glacies rigidi, & alpestres, atque difficili negotio transiri queunt. Dionysius Afer etiam agens de situ Orbis, nihil incredibile ponit de magnitudine Riphæorum montium, solumque monet ex illis Borysthenem, & alia duo magna flumina descendere in Pontum Euxinum, inquiens,

Hic vbi descendit porrecta Borysthenis vnda
Euxinumque subit crius prope tracta metopon
E regione iacet locus hic Symplegadis arctæ:
Hic sunt Aldesci quoque Panticapæque fluenta,
Diuidui currunt Riphæis montibus ambo
Immiscent quæ se Ponti glacialibus vndis.

Isidoro pariter de proposito solum illa dicuntur in Originibus, (* lib.14.c.8) *Riphæi montes in capite Germaniæ sunt, a perpetuo ventorum flatu nominati; nam Riphj Græce impetus, & Ormj dicitur, Apo tu riptein.* His addit B. Anglicus, (* lib.14. c.32.) *Riphæi montes sunt Alpes in capite Germaniæ: dicuntur autem alpes, id est alti montes, ad*

quo-

quorum cacumina nonnisi per altos pedes collium, & aliorum inferiorum montium perueniuntur. In his alpibus sunt perpetuæ niues; frequentes niues, fontium, & fluminum magnorum capita & origines, bestiæ & feræ siluestres, aues multiplices, & maxime illius generis volucres, quarum alæ de nocte sunt relucentes, vt docet Isidorus; licet ego tale quid in Isidoro legere non potuerim. At vero quia de montibus his nulli non egerunt antiqui scriptores, & cuncti celsos esse prædicant, & magnam terrarum plagam percurrere, tam in Europa quam in Asia boreali; propterea vulgatissimæ sunt, celebratissimæ, valdeque famosæ magnitudinis apud antiquos Riphæi montes; quare nunc Aristoteles ait de magnitudine Riphæorum montium sermones esse valde fabulosos, non quia falsi sint, sed quia valde famosi, sumens fabulam pro fama; sic Horatius appellat l. 1. carm.
Hydaspen fluuium fabulosum, non quia falsus sit, sed quia magnitudine celebratus & valde famosus sit apud omnes scriptores: ita quoque Seneca, hym. 22.
(c) *Ego quoscunque habeo mittere paratus sum, & totum horreum meum excutere: me quoque ipso si possem, transferrem, & nisi maturè te finem officij sperarem imperaturum, hanc senilem expeditionem indixissem mihi: nec me Charybdis, & Scylla, & fabulosum istud fretum deterrere potuisset:* appellat Siculum mare periculosum fabulosum, non quia falso periculosum dicatur, atque fingatur a fabulas falsas fingentibus; nam reuera periculosissima est eius nauigatio; sed quia famosum, & celebratissimum est, nullis autoribus non afferentibus testimonium de valde periculosa per ipsum nauigatione: quo sensu nomen fabulosi pro famoso sumptum vidimus etiam in sacra pagina non (d) semel: Famosum vero falsum esse non potest secundum totum: Auerroi, ac D. Thomæ, quin & Aristoteli dicenti, *Quod omnes vel plures existimant*, adeoque quod est famosum, *præstat fidem, tanquam ab experientia dictum*. His de secundo dictis, ad tertium accedamus, ostendentes Aristotelem per eos, qui fabulantur de salsedine stagni Palæstinæ, significare veram historiam narrantes, non autem fictam falsamque fabulam comminiscentes; & ad hoc ostendendum vtemur tum classicorum Interpretum, & Autorum veterum testimonijs, tum etiam rationibus ex rei natura deductis. In primis Alexander hanc narrationem de lacu Palæstinæ scribit ab Aristotele proponi ad confirmanda sua placita, velut historiam veram, & vertit verbum *mythologusi*, *fabulantur*, in verbum *dicunt*, iuxta nostram expositionem aiens de Aristotele, (e) *Testimonium autem & fidem ex historia etiam ipsa ad hoc idem adducit; ad hoc scilicet, quod propter mistionem alicuius terrestris cum aqua, tum sapor exeat salsus, tum etiam & crassior, seu corpulentior aqua fiat. In Palæstina enim stagnum dicunt esse quoddam, quod quidem adeo salsum est, vt nullus piscis in ipso generetur: simul etiam & adeo crassum, vt si quis in illud colligatum aliquod ex grauissimis animalibus immiserit, ac ipsum subtus valde immerserit, nihil tamen minus supernatabit: quinetiam eadem ipsa aqua vestes purgauerit, si quis in ipsam madefactas concusserit.* Alexandro paria scribit inter Græcos Interpretes Theodorus Metochita, ponens Aristotelem accipere narrationem lacus Palæstini ceu veram, ac ipsam promere ad sui placiti confirmationem, inquiens, (h) *Alterum quoque affert indicium & coniecturam, quod propter mistionem aqua fiat crassior: si quis enim in aquam iniecerit multum salis, & hac mistione aquam effecerit valde salsam, su-*

Margin notes: d Deut. 18. 6. Michæ. 3. Reg. 9. Tobiæ 3. — e De som. & vig. c. de somnijs. — f de diu. per som. c. 1. — g 2. meteo. com. 16. — h in meteor. p. 613.

per-

pernatant oua ei imposita, etsi sint plena. Propemodum enim similem aquam dicit marinam & sic salsam, vt quæ hac mistione tanquam luto condensetur: etenim corporei habet multum & quod potest subsidere. In Palæstina quoque dicit perhiberi quendam esse lacum, in quem si quis inieceri t hominem vel aliquod aliud animal, id supernatat, & in aquam non demergitur, vt quæ propter eandem causam non facile cedat, nec dissoluatur. Est autem euidens, quod aqua huius lacus est valde amara, & adeo salsa, vt ne in eo quidem sint pisces: & purget vestimenta, si parum in eo tingantur, & concutiantur. Alia quoque deinceps refert consimilia, per eandem causam probans propositum. Sed ex his apparet, huic viro Philosophum assumere verbum *mythologusi, fabulantur*, pro eo quod est *perhibent*. Inter Arabes reperio Auerroem in illud capitulum fecisse commentarium sub titulo, *Caput primum Auerrois, De Mari*: in quo tanquam veram ad mentem Aristotelis accipit narrationem de lacu Palæstinæ, vertitque vocem *fabulantur*, in verbum, *dicitur*: ait enim, *(i) Et videtur vt sit dispositio, seu causa in augmentatione salsedinis in quodam mari magis, quam in alio, propinquitas partis terræ combustæ, & dispositio, seu præparatio, vt generetur ex ipsa illa exhalatio fumosa magis: aut sunt associatæ duæ causæ simul, sicut dicitur de mari fætido, quod est in Philistæa; nam illud mare impossibile est viuere in eo aliquod animal, propter fortitudinem amaritudinis inuentæ in ipso: & etiam putatur quod hoc mare, quum aduenit in ipso aliquod animal grossum, non descendat in eo, propter multitudinem admistionis partium terrestrium cum aquis eius.* Inter Latinos M. Albertus eandem opinionem habet, refertque narrationem de lacu Palæstinæ velut historiam veram ex Aristotele, ex qua per experimentum reale Philosophus confirmet sua dicta, verbumque *mythologusi, fabulantur*, vertit in vocem *dicitur*: ait enim, *(k) Quod autem aqua salsa grauior & spissior sit quam aqua dulcis, quod sæpius iam ante diximus, ex multis colligitur experimentis: quorum vnum* &c. *Aliud autem experimentum est*, &c. *In eandem causam incidit id, quod dicitur de lacuna, quæ est in Palæstina, & vocatur mare mortuum eo quod propter nimiam salsedinem & amaritudinem eius nihil viuit in ipso: & propter acumen eius, si pannus sordidus mergatur in ipsa, cito mundificatur: & propter spissitudinem suæ aquæ, si homo vel bestia ligatis extremitatibus, quibus natandi vsus est, mittatur in mare illud, natat super aquam, & non mergitur: quia suo modo leuius est corpus animalis immissum, quam sit aqua spissa, cui immittitur.* & illico subiungens, *& forte non est verum hoc ex hoc tantum, quia illa aqua salsa sit, sed etiam quia est bituminosa, quasi sit mista pice liquefacta, sicut tradunt historiæ*: verbum *fabulantur* prius explicatum per, *id quod dicitur*, nunc videtur historicæ narrationi, proindeque vero sermoni comparare. D. etiam Thomas, etsi legisset in antiqua translatione textus, *Si autem est, sicut fabulantur quidam, in Palæstina tale stagnum* &c. sumpsit attamen verbum *fabulantur*, in significatione veri sermonis, ex quo signum atque testimonium certum habeat Aristoteles veritatis propriæ sententiæ; dicit enim de Aristotele, *Manifestat quod ex commistione terrestris causatur salsus sapor; & ponit multa signa: quorum primum est de vase cereo*, &c. *Quintum signum est, quod in Stagno Palæstinæ, quod est salsum vel amarum, si quis immerserit hominem, vel asinum, non submergitur, & vestimenta ibi perfusa fædantur.* Non aliter Gaietanus Thienensis accipit verbum *fabulantur* pro vera narratione, per quam

i 2. meteo. su. 1. cap. 2

k 2. meteo. tr. 3. c. 16.

2. meteor. tr. 1. c. vlt.

quam a signo veri experimenti probat Aristoteles opinionem suam; ait enim Gaietanus, *Quartum signum est de quodam stagno in Palastina, quod propter magnam grossitiem suam sustentat hominem ligatum & subiugale, ne submergatur; & est istud stagnum maxime amaritudinis: vnde dicit: [Si autem est, sicut quidam fabulantur, in Palastina] est [tale stagnum, in quod si quis immerserit colligatum hominem, aut subiugale, supernatare] videbitur [& non submergi in aquam] & hoc [vtique erit testimonium aliquod dictis] nostris [dicunt enim] istud [stagnum sic esse amarum & salsum, vt nullus piscis innascatur: vestimenta autem sordidari, si quis humectans] ea in tali stagno [permouerit. Sunt autem omnia talia signa dictorum: & quod] est [aliquod corpus] quod [facit salsedinem: &] quod tale corpus [est terrestre, quod inexistit] rei salsa.* Qui modus interpungendi, & interpretandi particulas textus, conclusis verbis Aristotelicis intra duo signa talia [ ] extra quæ ponens ipse propria, sed loquens sub Aristotelis persona; dum ait, esse tale stagnum in Palæstina, sicuti quidam fabulantur; & hoc vtique testimonium esse dictis nostris, hoc est Aristotelicis; apertissime conuincit Gaietanum Aristoteli tribuere, quod assumpserit hic verbum *fabulantur* in significatione veri sermonis. Iacobus Faber Stapulensis hunc locum Aristotelis vertens e Græco, ait, *Septem signa, quod mare ob ambustarum terrestreitatum permistionem salsum sit. Primum* &c. *Quintum: dicunt circa Palastinam esse stagnum, in quod si immiseris hominem ligatum, aut equum, supernatabit aqua, & submergi non poterit*: quare vertit verbum *Mythologusi* in verbum *Dicunt*. Et in Paraphrasi locum istum declarans, accipit dictum de lacu Palæstinæ, ceu veram, & historicam narrationem, dicens, *Stagnum illud circa Palastinam. Palastina prouincia est in Syria, Arabia contermina: sic dicta a Philistin vrbe metropolitana, & alio nomine Iudaa dicitur.* (ex quo loco deducto ex Originibus (*) Isidori, patet ratio, cur Auerroes Palæstinam appellat Philistæam) *In eius vna parte, qua Pentapolis dicta fuit a quinque vrbibus diuina vltione flamma & sulfure consumptis, lacus est Asphaltites, in quo nihil viuum submergitur* &c. quæ tangunt veras eius lacus historias. Suessanus autem inquiens hoc loco, *Hoc est tertium signum ad probandum salsam aquam esse crassam, & inquit: Praterea si est sicuti fabulantur quidam de quodam stagno in Palastina, quod si quis in tale stagnum ligatum hominem, aut subiugale animal immiserit, supernatet* &c. *Aristoteles ergo dubitat hac, Plinius affirmat: dicuntur & de hoc complura alia, qua Aristoteles putat fabulas*. apertè constituit nomen fabulantium hic indicare narrationem simpliciter, non autem necessario falsam; etenim Aristotelem non diceret dubitare de propositis; at esse certum de illorum falsitate, licet alia complura, quæ non afferuntur hic, afferat Aristotelem putasse fabulas: attamen in præsentia nos consideramus Aristotelis mentem circa ea, quæ de lacu nunc ab ipso proponuntur in probationem sui placiti, quæ non potuit ipse falsa simpliciter existimare. Miror autem cur vir doctus hunc Interpretem, qui solus Vicomercato fauere videtur, pro se non adduxerit. His omnibus adijciendus est ipse (o) Galenus, qui citans eundem hunc Aristotelis locum, afferit Aristotelem existimasse vera esse, quæ de lacu Palæstinæ narrantur; cuius opinionem certe Galenus improbaret, quemadmodum reprobat Sophistæ senioris placitum, dicentis aquam il-

[Marginalia: 2. meteo. pa. 35. col. 1. & 2. — 2. meteor. c. 9. — * l. 14. c. 3. — o 4. de simp. med. fac. c. 20.]

lius lacus esse leuem. Quæ verba Galeni, vel ab ipso Vicomercato proposita, sunt ista, *Itaque ne si te ipsum demittas* in Palæstinæ lacum, *in profundum deferri possis, ita attollit, eleuatque aqua; non quia natura leuis sit, quod quidam veterum sophistarum prodidit, sed vt censuit Aristoteles, propter grauitatem instar luti, quæ leuiora sunt, gestans.* Quomodo ergo Galenum Vicomercatus hic adducit pro se contra Magistrum Aristotelem, quum Galenus aperte dicat, Aristotelem eo (p) loci censuisse vera esse, quæ de crassitie, grauitateque aquæ stagni Palæstini traduntur? deque supernatatione ligatorum hominum, ac iumentorum, natandi arte vti nequeuntium? Immo vero Iosephus Historicus, Aristotelem imitatus hoc in loco, referensque dicta Philosophi, *fabulam* appellat historiam lacus Asphaltitis, quam existimat esse veram narrationem, ait enim, *Commemoratione autem dignum puto Asphaltitis quoque naturam exponere lacus. Is enim salsus quidem ac sterilis est: nimia vero leuitate etiam quæ grauissima sunt, in eum iacta fluitant. Demergi autem in profundum quis nec de industria facile potest. Denique nec Vespasianus, qui visendi causa illuc venerat, iussit quosdam natandi inscios, vinctis post terga manibus in altum proijci: & euenit omnibus tanquam vi spiritus sursum repulsos desuper fluitare. Ad hæc mirabilis est coloris mutatio, quæ ter in singulos die superficiem vertit, & Solis radijs variata resplendet. Multis autem locis vomit nigras bituminis glebas, quæ super vndas & habitu & magnitudine tauris sine capitibus assimiles natant: Ad eas autem quum lacus exercitatores accesserint, nacti quod aggestum est, ad naues trahunt; & quia lentum est, repletas eas abrumpere nequeunt; sed quasi relegata scapha, pendet a tumulo, donec menstruo mulieris atque vrina soluatur. Est autem vtile non modo ad compagines nauium, sed ad corporum etiam curationem multis remedijs admiscetur: longitudo lacus est quingentorum & octoginta stadiorum, qua ad Zoara vsque Arabiæ tenditur: latitudo autem centum quinquaginta stadijs patet. Huic Sodomitica terra vicina est; olim quidem tam fructibus, quam diuitijs ciuitatum fortunata, nunc autem omnis exusta; vt quæ habitatorum impietate fulminibus conflagrasse memoretur. Denique adhuc in ea diuini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus cineres, qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium vero manibus in fumum dissoluuntur, & cinerem. Terra quidem Sodomitica fabula eiusmodi fidem habet ex facie.* Quem locum nescio qua ratione ductus Anglicus *fabulam* verterit in *fauillam*; ait enim, (r) *Vnde ait Iosephus, fauilla terra Sodomorum fidem habet*: nam Græca Iosephi verba sunt, *ta men dj peri tjn Sodomitjn mythenomena, toiautjn echei pistin apo tjs opseos, Terra quidem Sodomitica fabulamenta, eiusmodi fidem habent ex aspectu*: in quibus non *fauillæ*, sed *fabulæ* mentio fit; quæ nihil aliud quam famosam, & vulgatissimam historiam significat; nam ipse viderat & apud Autores sacros antea (s) citatos, & apud Ciceronem *fabulam* pro fama vulgata & vera sumi, scribente Tullio, (t) *Illud in primis cum Publio me pene absente confecisse, de quo quæ fama sit, scribes: Id populus curat scilicet: Noui mercedem: arbitror etenim; hæc decantata erat fabula: sed complere paginam volui.* Ceterum ea quæ refert hic Iosephus de lacu Palæstinæ, non auritus testis affirmat, sed oculatus; etenim & ait, famam istam terræ Sodomitæ nunc a se commemoratam, habere fidem *apo tjs opseos, ex aspectu*: & ipse quum, teste D. Hieronymi, fuerit

p 2. meteo. su. 1. c. 3.
5. de bell. Iud. c. 5.
r l. 13. c. 11.
s Deut. 18. 3. Reg. 9. Tob. 3.
t lib. 13. ad Attic.

ex Hierosolymis sacerdos a Vespasiano captus, & cum Tito filio eius relictus, homo doctissimus, non potuit a Vespasiano non duci socium ad visendum mirabilia famosaque stagni, quæ propterea sic ipse commemorat, vt aperte constet præsentem fuisse. Vespasiani gestis circa lacum, sed ipse in prologo monet se dicturum ex fide de lacubus terræ Iudaicæ, quæ præsens ipse vidit. Si ergo Iosephus historicus, idemque Iudæus, adeoque Mosis, Mosaicæque scripturæ cultor, ac defensor acerrimus, historiam Sodomiticæ terræ, a Mose (u) promulgatam, quam ipse verissimam esse putauit, ac veluti veram nobis descripsit in suis (x) Antiquitatum Iudaicarum libris, nunc appellat fabulam, & Græce *mytheuomena*, reprehensus a nemine, neque quod Mosi contradixerit, neque quod fabulæ nomen dederit historiæ, veræque narrationi, quoniam & Homerus, & Plato, & sacra pagina, & Cicero, & alij plurimi vetustiorum id fecerint, iam immerito culpatur Aristoteles impietatis, dum commemorat eos qui fabulantur de lacu Palæstinæ, quasi putauerit Mosen non vera scribere, sed falsas fabulas nectere in diuina scriptura. Certe si Iosephus antiquiorum exemplo potuit veram historiam, cuius fama vulgatissima erat, appellare fabulam, & *mytheumena* Græce scribens: eadem ratione potuit Aristoteles contexentes narrantesque veram & famigerabilem historiam Stagni Palæstinæ, nuncupare illos, qui fabulantur, Græce *mythologusi* de lacu Palæstinæ. Ceterum rationes, quæ necessario conuincunt, Aristotelem hoc loco per *fabulantes* intelligere veram historiam enarrantes, duę sunt potissimum; altera quidem est, salsedinem & amaritudinem, crassitiemque summam aquę lacus Asphaltitis, grauissima pondera sustinentis omnibus hominibus ab æuo fuisse notissimam, cunctis historicis decantatam, vt impossibile fuerit hanc Aristotelem latuisse, virum multigena, quin & omnigena doctrina præstantem, maxime qui prope regionem illam fuit, & cum doctissimo Iudæo de rebus philosophicis collocutus diu fuerit; vt ex eius discipulo Clearcho (z) Iosephum retulisse notaui dudum agens de Quæsitis (a) CI. virorum. Quæ quidem ratio tanti fuit apud Olympiodorum, & Buccaferreum, vt hoc in loco sumentes nomen fabulæ in significatione falsi sermonis vtcunque, transtulerint fabulam ab attributis realibus aquæ lacus ad nomen Maris mortui, quod proprie non conuenit in proposito; nam mortuum vere dici non potest (b) Aristoteli nisi quod prius vixerit: etsi nulla mentio legatur in textu Aristotelis de hoc nomine Maris mortui. Sed altera ratio potior, quam expressi pridem in epistolæ calce dicens, *Itaque scriptores omnium ordinum eximij verbum Mythologein, fabulari, sumunt pro eo quod est, narrare, loqui, & vera dicere: quo sensu potuit Aristoteles agentes de lacu Palæstinæ dicere quod Mythologusi, fabulantur, idest narrant; & ex eorum narratione sua dicta comprobare.* Quam quidem rationem, aut non visam a viro docto, aut callide dissimulatam, facile quiuis agnoscere potest, ad viuum & Vicomercati accusationem tollere, simul & meam defensionem necessario conuincentem demonstrare: primum quidem, quia si *fabula* plerumque significat apud Autores classicos veram historiam; profecto Vicomercatus non bene coarguit Aristotelem ignorantiæ crassæ de lacus Palæstini qualitatibus, ex eo quod asserit quosdam fabulari de salsedine, crassitieque lacus illius. Se-

u Gen. 19.
x l. 1. c. 11. 5. de bell. Iud. c. 5.
z 1. adu. App.
a pag. 95.
b 2. de gen. an. c. 4.

cundum autem, quia propriam opinionem non potest Aristoteles comprobare veram esse per ea, quæ censeat ipse procul a vero esse fictitia, fallaque fabulamenta: quum itaque proponat Aristoteles hoc in loco dicta a fabulantibus de lacu Palestinę, veluti principia comprobantia suam opinionem de maris amaritudine, salsedine, crassitieque supra ceteras aquas; iam necessario constat, in epistola demonstratum, Aristotelem per eos, qui fabulantur de lacu Palæstinę; significare narrantes veram historiam de conditionibus illius lacus. Quod autem Aristoteles assumat dicta fabulantium de lacu Palestinę pro medijs ad comprobandum proprium dogma de salsedine, crassitieque maris, apertissime constat ex omnibus Interpretibus, quin & ex ipsismet verbis contextus; ait enim Aristoteles, (r) *Quod autem sit in commistione alicuius salsum, palam est non solum ex dictis, sed & si quis vas cereum formans posuerit in mare, circumligans os talibus, vt non illiquescat maris, quod enim ingreditur per parietes cereos, fit potabilis aqua: tanquam enim percolatum quod terrestre est, & quod facit salsedinem propter commistionem, secernitur; hoc enim causa est & grauitatis (plus enim trahit salsa, quam potabilis) & crassities: etenim crassities differt in tantum, vt naues ab eodem pondere rerum, quæ vehuntur, in fluuijs quidem fere submergantur, in mari autem mediocriter se habeant, & nauigabiliter: Quapropter aliqui in fluuijs onerantium naues propter hanc ignorantiam damnum passi sunt. Coniectura autem est admisti alicuius quod crassior est moles. Si enim aliquis aquam salsam fecerit valde, miscens sal, supernatant oua, etiamsi sint plena: Fere enim, sicut lutum fit: tantam habet corpulentam multitudinem mare. Idem autem hoc operantur & circa salituras. Si autem est, sicut fabulantur quidam, in Palæstina tale stagnum, in quod si quis immiserit colligatum hominem, aut iumentum, supernatat, & non submergitur in aqua, testimonium vtique erit aliquod dictis: Dicunt enim amarum sic esse stagnum, & salsum, vt nullus piscis innascatur: vestimenta autem purgari, si quis, quum irrigauerit, quassauerit, sunt autem & talia signa omnia dictorum, quod salsedinem facit corpus aliquod, & terrestre est, quod inexistit.* Qua ratione igitur Aristoteles ostendit aquam maris esse salsam & crassam ex admistione terrenæ substantiæ adustæ tum, quia vas cereum in mari percolatam aquam in se suscipiens a terrestri materia separatam impletur aqua potabili: tum quia in aqua salsa naues oneratæ sine periculo submersionis tutius nauigant, quæ in aqua dulci fluuiorum submerguntur: tum quia in aqua sale admisto crassefacta supernatant oua plena, quæ fundum petunt aquę dulcis: eadem plane ratione, vt ista tria signa desumit Aristoteles ab experimentis, cui fidem adhibet veluti veris, ad proprium placitum confirmandum de causa salsedinis in mari; sic omnino quartum signum desumptum a relatione dicentium aquam stagni Palęstinę salsam, & amaram, & crassam esse adeo vt sustineat grauia pondera, quæ in aqua dulci submergerentur, non potest non opinari, supponereque veram esse illorum narrationem. Si quis autem aduersus experientiam, & obseruationem sensus de crassitie lacus magna pondera sustinentis, de salsedine summa pariter & amaritudine piscium generationem & vitam impedientis, deque lentore prędictis adiuncto qualitatibus aquę vestimentorum sordes vnica quassatione purgantis, de quibus Aristoteles famosam omnium

r 2. meteo. su. 1. c. 3.

nar-

narrationem suscipit, rationes quæsiuerit; maxime qui viderit tum Iosephi Iudæi (*d*) testimonium oculatum, asserentis famam istarum qualitatum aquę stagni fidem habere de facie, nimirum ex visu; tum Galeni scribentis, (*e*) experientiam fecisse se de crassitie laticis Palęstini ab Aristotele celebrata; tum Cornelij Taciti, (*f*) dicentis non solum veteres autores ista testari, sed etiam gnaros locorum eadem æuo suo tradere: si quis in quam aduersus ista sensuum experimenta sibi rationes formare contrariam sententiam suadentes, caueat ab Aristotelis decreto, cui (*g*) *Dicere omnia quiescere, & huius rationem quærere, dimittentes sensum, infirmitas quadam est intellectus.* Porro Iosephum ea vidisse, quæ de lacu scribit, nemini dubium est, quum ipse narret ibi res a Romano Imperatore Domino suo, ac ideo se pręsente, suaque tempestate gestas, & asserat disertis verbis tum in prologo librorum de bello Iudaico, scribat, *Vbi etiam Romanorum in bello disciplinam curamque rerum, & vtriusque Galilææ spacia, & naturam finesque Iudææ, necnon & peculiarem terræ qualitatem, lacusque & fontes, captarumque ciuitatum mala, cum fide sicut vidi, aut pertuli, expediam.* & in quinti libri capite quinto scribat famam de lacus Asphaltitis salsedine, sterilitate nullos pisces edente, crassitie grauissimas moles tanquam res leuissimas sustinente, bituminisque lentioris affluentia; testetur inquam famam terræ Sodomiticæ fidem habere ex aspectu: quæ omnia late clareque constant ex eius verbis antea relatis. De Tacito non est dubitandum, cum retulisse testimonia illorum, qui lacum viderunt; ait enim, *Lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, grauitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neque pisces aut suetas aquis volucres patitur. Incertæ vndæ superiacta, vt solido feruntur; periti imperitique nandi, perinde attolluntur. Certo anni bitumen egerit: cuius legendi vsum, vt ceteras artes, experientia docuit. Ater suapte natura liquor, & sparso aceto concretus, innatat: hunc manu captum, quibus ea cura, in summa nauis trahunt. Inde nullo iuuante influit, oneratque, donec abscindas. Nec abscindere ære ferroue possis: fugit cruorem vestemque infectam sanguine, quo fœmina per menses exoluuntur. Sic veteres autores. Sed gnari locorum tradunt, vndantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad littus: mox vbi vapore terræ, vi Solis inaruerint, securibus cuneisque, vt trabes aut saxa diffindi. Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes* &c. Galenus autem oculatum testem de propositis se declarat inquiens, *At aqua, quæ est in lacu Palæstinæ in cana Syria, quem alij quidem mare vocant mortuum, alij stagnum bituminosum, gustantibus non salsa modo, sed & amara est. Salem vero etiam habet ex sese natum, perinde amarum: primoque statim aspectu vna cum vniuerso mari tum candidior, tum crassior apparet, salsuginis mere similis: in quam si salem inijcias, ne liquari quidem etiam possit: plurimum enim eius in se habet: at si quis in eam se mergat, continuo sale tenuissimo velut conspersus vndique emergere conspicitur. Quapropter etiam aqua illa, quam cetera marina grauior est, idque tanto pondero, quanto fluuiali marina. Itaque ne si te ipsum quidem dimittere velis in profundum, deferri deorsum possis: ita attollit eleuatque aqua: non sane quia natura leuis sit, quod quidam veterum sophistarum prodidit: sed vt censuit Aristoteles, propter grauitatem instar luti quæ leuiora sunt gestans. Proinde si hominem ligatis manibus, pedibusque in stagni illius aquam conieceris, deorsum haud feretur: quin vero sicut naues in mari onera plura*

d 5. de bell. Iud. c. 5.
e 4. de si. m. fac. c. 20.
f l. 5. hist.
g 8. phy. 22.

quam

quam in fluuijs citra submersionem portare valent: eundem in modum in stagno mortuo multo plura quam in mari. Tanto enim est quæ in illo est aqua, marina grauior, quanto marina lacustri aut fluuiali: inest enim ei talis substantia, quæ terrea grauisque est. Ipsamque tibi marinam si lubet efficere licet, sale in aqua fluuiali colliquato, cognoscereque quanto grauior reddatur aqua eiusmodi quam sit dulcis. Quin & modum iam inuenerunt moderatam ad saliendum conficiendi salsuginem, si ouum in ea videatur natare. Nam vbi etiamnum sidit, ac nondum super salsuginis superficiem innatat, aquosa magis est & dulcis: grauiter vero salsa est, vbi tanta est salis copia indita, vt amplius liquari qui postea adijciatur nequeat. Quam aquam si pendere non grauamur, omnium aquarum comperies grauissimam. Itaque ergo quandoque inanem esse diuitis cuiusdam ambitionem ostendi, qui tantam in Italiam maris mortui aquam deuexit, quæ cisternam implere posset: Nam idipsum ego expedite præstiti, sale plurimo in aquam potabilem coniecto. Longe etiam grauiorem eiusmodi effeceris aquam, si quam plurimum salis liquatum sub cauis exortum, vbi potissimum æstus iam fuerit valentissimus, terreri siueris: haud aliter quam in stagno bituminoso: sic enim hæc aqua perinde vt illa grauis efficitur, ac si ligatum hominem, aut aliud animal in ipsam conieceris, instar nauis super aquam feretur. Quin vero & amarior protinus quoque eiusmodi erit aqua, si decoquere ipsam in ignem lubeat. Nam quicquid salsum plusculum excalfeceris, amarum tibi euadet. Sic & ipsius bituminosi lacus aqua in caua calidaque regione contenta, dum Sole torretur, amara efficitur: proindeque æstate quam hieme amarior est. Ac si quid eius haustum in vase cauo regioneque aprica (quemadmodum nos effecimus) æstiuo tempore deponas, continuo amarior sese reddita videbitur. Verum hæc omnia ijs, quæ paulo superius de amari generatione diximus, abunde subscribunt. Ceterum cuius gratia oratio ad bituminosum digressa est stagnum, id nondum omne expositum est: nullum enim in eo neque animal, neque planta inesse conspicitur: immo quum duo in eum fluuij confluant longe maximi, piscium que copia scatentes, maximeque qui prope Iericontem fluit, quem Iordanem nominant, nullus omnino piscium fluuiorum ostia excedit: ac si captos quis in lacum inijciat, celeriter mori conspicit: adeo est omnibus tum hominibus, tum plantis inimicum, quod exacte amarum est, & quod squalidum pariter & siccum est, atque natura velut fuliginem ob exassatione referens. Quanquam ne illius quidem stagni aqua exacte amara sit: quippe quum nec ipse sal. Vocant autem eum Sodomenum, a circumiacentibus stagnum montibus, quos Sodoma appellitant. Multique ipsum accolæ ad omnia, ad quæ nos alio vtimur sale, accommodant. Vis eius non modo plus quam cuiusuis alterius salis exsiccatoria est, sed & extenuatoria: quia scilicet plus quam alius exassatus est. Omni enim sali obscura quædam adstringendi vis inest, quæ eas, quæ condiuntur carnes constringit, densatque, potissimum vbi durus & minime fragilis extiterit. Talis est exactissimus quidem fossilis fere omnis: minus autem ille marinus: tum qui multis in locis aquis leniter salsis arescentibus prouenit, tertium locum obtinet, abstergere magis quam adstringere contraheréque potens: proximas his vires habet Sodomiticus, æque atque marinus durus: ceterum ob admistam amaritudinem, facultatem valentius abstergentem, ac digerentem quam marinus possidet. Sic & nitrum ipsum, & ipsius spuma, & quod composita appellatione vocatur Aphronitrum, ceteris magis extergere possunt, nempe quia minime adstringunt, & exacte sunt amara. Quæ omnia diligenter afferre volui, tum quia docent Galenum

ab experimento loqui de lacus illius attributis; non secus atque Iosephum historicum Vespasiani seruum: tum quia nobis aperte dissoluere videntur omnes argumentationes in oppositum: de quibus aliquando fortasse latius (*b*) alibi. Nunc ista sufficiant ad confirmandum Aristotelem in allato Meteororum loco pietatem minime læsisse, fabulantes appellans eos, qui de lacu Palæstinæ tractarunt; fabulantiumque nomine veram historiam narrantes intellexisse.

b dial. de Mari Asphalt.

Aristotelem pietatem minime læsisse, dum statuit, somnia non mitti à Deo. Cap. XIII.

SEd & in eo videri possit Aristoteles minus recte de pietate sentire, dum (*a*) negat somnia, præsertim vera, & diuinatoria mitti a Deo: quum in sacra pagina legamus venisse Deum ab Abimelech per (*b*) somnium nocte, & illi multa locutum veracia. & (*c*) alibi, *Somnium regis vnum est: Quæ facturus est Deus ostendit Pharaoni.* & alio (*d*) loco, Dominus *dixit ad eos: Audite sermones meos, Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* & adhuc alibi, (*e*) *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium se vidisse dicat; & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi. Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima vestra.* & alio loco, (*g*) *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens, Postula quod vis, vt dem tibi: & ait Salomon, Tu fecisti cum seruo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulauit in conspectu tuo in veritate & iustitia, & recto corde tecum custodisti ei misericordiam grandem, & dedisti ei filium sedentem super thronum eius, sicut est hodie: Et nunc Domine Deus tu regnare fecisti seruum tuum pro David patre meo. Ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum: & seruus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari & supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. Quis enim potest iudicare populum istum, populum hunc tuum multum? Placuit ergo sermo Domino, quod Salomon postulasset huiuscemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni, Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. Si autem ambulaueris in vijs meis, & custodieris præcepta mea & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quod esset somnium.* & alibi, (*h*) *Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, instruit disciplina.* & apud Danielem,

a de diuin. per somn. cap. 2.
b Gen. 20.
c Gen. 41.
d Num. 12.
e Deut. 13.
g 3. Reg. 3.
h Iob 33.

Deus

i cap. 2.
k cap. 2.

(i) *Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt postea, & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius.* & apud Ioelem dicit Dominus, (k) *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & iuniores vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.* Contra quæ clara sacræ scripturæ testimonia dicens Aristoteles a Deo somnia non mitti, maxime pietatem læsisse videtur. Cæterum intime perspectis Aristotelis dogmatibus, non est cur Aristotelem hac de re impietatis accusemus. Imprimis enim Aristoteles non absolute negat Deum somnia mittere, sed id tantummodo dicit, Deum non esse autorem omnium somniorum; quippe bruta quoque animalia somniant; quibus a Deo somnia mitti nemo dixerit vnquam, ait enim, (l) *Omnino autem quoniam & aliorum animalium somniant quædam, a Deo vtique missa non erunt somnia: neque facta sunt huius gratia.* Deinde sine flagitio impietatis, negat Aristoteles omnia somnia hominibus a Deo mitti; quia plerunque vera somniant homines flagitiosi, ac perditæ naturæ; quibus Deum mittere somnia rationabile non est; dicit etenim, (m) *Signum autem*, scilicet somnia vera cuncta non immitti a natura diuina, *valde enim degeneres homines præuidentes sunt, & recte somniantes, tanquam Deo non mittente: sed quorumcunque quasi loquax natura est, & melancholica, multimodas visiones vident.* quæ nemo Theologorum pietatem colentium negauerit. Deinceps autem admonemus hic Aristotelem proponere caussam somniorum effectricem physicam; quam non esse Deum vnusquisque pietatis cultor asseret: attamen præter naturalem caussam, quæ somnia mittit omnibus indifferenter, etiam perditissimis hominibus, dari quoque supernaturalem, quæ Deus est, mittentem somnia viris optimis, aperte prius insinuauerat Aristoteles inquiens, (n) *De Diuinatione vero, quæ in somnis fit, & dicitur accidere a somnijs, neque contempsisse facile, neque suasum esse: nam quod omnes quidem, vel plures existimant habere aliquam significationem somnia, præstat fidem, tanquam ab experientia dictum. Et quod de quibusdam ait diuinatio in somnijs, non est incredibile: habet enim aliquam rationem: Ideo & de alijs somnijs similiter vtique quis arbitrabitur. Nullam vero rationabilem caussam videre, secundum quam vtique fiat, hoc non credere facit: Nam Deum quidem esse mittentem, cum alia irrationabilitate, & non optimis & prudentissimis, sed quibuslibet mittere inconueniens. Ablata vero, quæ a Deo, caussa, nulla aliarum conueniens esse videtur caussa: quandoquidem eorum, qui secus Herculeas columnas, & qui in Borysthene præuidere aliquos, supra nostram videtur esse prudentiam inuenire originem horum.* Quibus apertissime constat, Aristotelem negare solum, omnia somnia vera mitti a Deo; qui prudentissimis, & optimis hominibus tantum somnia mittere dicendus est rationabiliter; & confiteri, aliqua somnia originem habere humanæ prudentiæ non inuestigabilem; quæ par est a Deo mitti; sed talem somniorum caussam, quæ a Deo est, se nunc non considerare: vnde patet Aristotelem aperte supponere quædam somnia hominibus optimis a Deo prouenire; quo nomine bene de pietate meritus Diuinæ scripturæ non reluctatur. Quod ante nos quoque Leonicus Thomæus insignis Peripateticus obseruauit, inquiens in huius loci commentario, *Absurdum esse & indecens, Deum fatuis ple-*

l de diui. p somn. c. 2.
m loc. cit.
n de diuin. per somn. cap. 1.

ris-

risque & mente captis præmonstrantia mittere somnia, quod fere accidere percipitur: prudentissimis autem viris, & optimis nihil per somnia significari. Semota autem & seiugata diuina causa, nihil sane de facili reperiri potest, cui merito id muneris possit adscribi: nam quosdam præmonstrantia videre somnia de ijs, qui in extrema Occidentis degunt plaga ad Gadisanum Oceanum, Herculeasque columnas, vel de ijs qui in vltimo Ponti Euxini habitant sinu, Boristhenemque colunt siue vrbem siue insulam; maius profecto esse videtur & occultius quam vt humana prudentia, mentisque nostra discursu, illorum principia & causa rite percipi & comperiri possint. Quibus ex verbis Aristoteles, etsi non omnia, quædam tamen diuina esse somnia, quæ supra humanum mentis captum quippiam præmonstrare valeant, clarissime voluisse videtur: quorum licet ignorentur causa, non tamen idcirco ita abijcienda, aut diuini cuiusdam vigoris expertia esse illa existimandum est: maxima namque pars de illius sententia eorum, quæ scimus, minima est eorum, quæ ignoramus. Et non multo post addidit, (o) *Ex quibus Philosophi dictis animaduertendum esse censeo Aristotelem Diuinorum quodaam somniorum genus etiam nouisse, quod in principio huius commentarioli tangere magis quam explicare illum diximus. Verum quum physicas id superemineat causas, ad præstantioremque illarum perscrutatio spectet artificem, de naturalium solummodo diuinatione præmonstratione somniorum hoc in loco verba facere voluit, quæ in causas & signa & accidentia, siue casus, non minus vere, quam commode distermimauit.* Quam sententiam quoque coluit Diuus Thomas in huius Aristotelici loci commentatione dicens, (p) *Huius rationis primo ponit medium, secundo ponit maiorem: & hoc ibi [Ablata] Tertio probat eam sic: supra naturam est cognoscere ea, quæ sunt in remotissimis partibus per somnia; quoniam manifestum est quod hoc non potest esse nisi per immissionem Diuinam: & hoc ibi. [De his enim]* Sic igitur Aristoteles non absolute negauit somnia mitti a Deo; sed aperte supponens quadam somnia viris optimis a Deo mitti, quorum ratio superans (q) humanum cognoscendi modum, ad altiorem sapientiam pertinet; ipse physicam rationem perquirens eorum somniorum, quibus homines passim, etiam fatui, & perditis moribus, nonnunquam vera præuidere comperiuntur, optime scribit huiusmodi verorum somniorum, ac futura vtcumque præmonstrantium caussam naturalem non esse Deum, sed humanam mentem, & casum: qua in determinatione Magistrum nihil abesse a pietate, cuiuis apertissimum est. Licet etiam illud obseruauerimus (r) antea Dei nomen in sacris literis frequenter attribui secundis intelligentijs intra Deum, quas Angelos appellant nostri Theologi; veteres autem & Aristoteles Dæmones, quos vocat Dei (s) opus, ac (t) Dei filios: ab Angelis vero somnia mitti testantur iteidem sacræ literæ, (u) *Dixitque Angelus Domini ad me in somnis: Iacob: & ego respondi, Adsum: Qui ait, Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos, atque respersos: Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi: Nunc ergo surge, & egredere de terra hac reuertens in terram natiuitatis tuæ.* & alibi, (x) *Ecce Angelus Domini apparuit ei dicens;* & mox, *Exurgens autem Ioseph a somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini.* Quibus consentanea plane scribere videtur Aristoteles dum ait, (y) *A Deo vtique missa non erunt somnia, neque facta sunt huius gratia; Dæmonia tamen; natura*

o de diuin. per som. com. c. 2.

p de diuin. per somn. cap. 1.

q 2. cæl. t. 34.

r cap. 6.

s 2. Rhet. cap. 24.

t 3. Rhet. cap. 18.

u Gen. 31.

x Matth. 1

y de diu. p somn. c. 2.

ra enim Dæmonia, non Diuina. Sed tamen prior explicatio magis placet; sat illud sit, hoc in loco pietatem ab Aristotele minime lædi, quum recte statuat, non omnia somnia mitti a Deo, his notis; *Omnino autem, quoniam & aliorum animalium somniant quædam, a Deo vtique missa non erunt somnia, neque facta sunt huius gratia; Dæmonia tamen: natura enim Dæmonia, non Diuina: signum autem; valde enim degeneres homines prauidentes sunt, & recte somniantes, tanquam Deo non mittente*.

Aristotelem impietatis argui non debere, quod agens de Deo, a quo pendent omnia, locutus fuerit numero multitudinis. Cap. XIV.

PRæterea vero culpandus non est impietatis Aristoteles, quod agens de Deo, vnde rebus omnibus pendet esse & viuere, loquatur numero
* 1. cæl. t. 100. (*) multitudinis; nam etsi de proposito late (a) superius; tamen præstat etiam hic aliqua propositis adiungere: Primum enim & ipse (b) Moses de Deo crea-
a lib. 1. c. 2. tore tractans, consimiliter loquitur numero multitudinis, inquiens: *In prin-*
b Gen. 1. *cipio bara Elohim cælum & terram*; quæ verba, *bara Elohim*, etsi vulgata lectio vertat in numero singulari, *creauit Deus*, tamen ex proprietate dialecti sonant *Creauit Dij*: consulto vero Moyses hic numero multitudinis vsus est,
c Gen. 20. & 30. vt etiam (c) alibi, ad indicandam multitudinem Diuinarum personarum, quod contestantur Magister (d) Sententiarum, quem omnes fere Scholastici
d 2. sent. dist. 1. Theologi sequuntur, obseruatione (e) Pererij. Diuus etiam (*) Paulus ad Corinthios scribit ita vnum esse Deum, vt sint Dij multi & in cælo, & in ter-
e Genes. l. 1 c. 1. v. 1. ra; quem locum fusius antea cum Areopagita explicauimus. Si ergo Moyses pietate salua potuit Deos dicere creasse in principio cælum, & terram,
* 1. cap. 8. innuens multitudinem diuinarum personarum in vnitate essentiæ; cur pietatem læserit Aristoteles Deum describens sub nomine multorum, a quibus rebus omnibus pendet esse & viuere? sane quemadmodum Moyses respexit ad trinitatem personarum in vna diuina essentia; sic Aristoteles respexit ad tres rationes formales, quas Diuina essentia gerit erga Mundum, cuius Deus est caussa efficiens, formalis, atque finalis; quam theoriam Aristotelicam mire consentaneam Theologiæ Christianæ lubet nunc paulo diligentius tractare, locum Philosophi pulcherrimum explicantes, ait enim citatis verbis,
f 1. cæl. tex. 100. (f) *Extra autem cælum quod neque est, neque contingit esse corpus ostensum est. Manifestum igitur est quod neque locus, neque vacuum, neque tempus est extrinsecus. Quapropter neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neque tempus ipsa facit senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extima disposita sunt latione; sed inalterabilia, & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam, perseuerant toto æuo: etenim hoc nomen diuine enunciatum est ab Antiquis: finis enim, qui continet vitæ vniuscuiusque tempus, cuius nihil est extra secundum naturam, æuum vniuscuiusque vocatum est. Secundum eandem autem rationem & totius cæli finis, & finis omne tempus, ac infinitatem continens, æuum est, ab eo, quod sit semper sumpta denominatione, immortale & diuinum: Vnde & alijs pendet his*

qui-

quidem exactius,his autem obscurius esse & viuere. Etenim quemadmodum in vulgaribus sententijs circa diuina declaratur sæpe rationibus, quod Diuinum ipsum intrat smutabile esse necesse est omne, primum,at maxime summum: quod sic se habens, attestatur ijs,quæ dicta sunt: neque enim aliud melius est,quod mouent; illud enim esset vtique diuinius; neque habet prauitatem vllam, neque indigens suorum bonorum vllo est. Et incessabili vtique motu mouetur rationabiliter; omnia enim,quæ mouentur, quiescunt,quum venerint in proprium locum; eius autem corporis,quod circulariter mouetur,idem est locus,vnde incœpit,& in quem finit. Quæ omnia sic interpretamur: Quum in opere de cælo Magister scientificam vniuersi meditationem sibi proposuisset; postea quam Mundi materiam explicauit,aggreditur nunc formalem, finalem, & effectricem causam vniuersi, quantum Physiologo licet, considerare; nam(*g*)alibi præceperat Aristoteles, ad cuiusque *g* 8.meta.
rei scientiam Physico declarandas esse singulas illius causas proximas, for- t.12.
mam,finem,effectricem,materiam: Quum autem materia proxima vniuersi longe notior sit,quam forma,finis, & efficiens; ideo post materiam considerat alias mundi causas; quarum theoriam non alibi quam vnico textu hoc vere cælesti complexus est Aristoteles tresdecim attributis innixam; quæ singula mire nobis propositum aperiunt. Primum attributum est, quod Aristoteles de his causis agit numero multitudinis. *Quæ illic sunt*,vbi(*h*)di- *h* 1.cæl.t.
xerat non esse locum,neque vacuum,neque tempus, neque corpus. Scaliger 99.100.
subtilis arbitratur Aristotelem hic Deum, aliasque a motricibus agnoscere
supra cælum Intelligentias inquiens: (*i*) *Age vero M.Tulli,excute libros de cælo:* *i* exer.365.
tum de Aristotele aliter sentias: tum de natura Deorum acutius loquare, quam locu- ar.5.
tus es. Deum enim,aliasque a motricibus agnoscit supra cælum Intelligentias. Eius verba aureis,immo vero cælestibus describenda notis, subtexere libuit, propter eorum duplex nectar,tum eloquentiæ, tum diuinitatis; (k) Phaneron ara hoti vte to- „ k 1.cæl.
pos, vte cenon, vte chronos estin exothen, dioper vten topo tacei pephy- „ t 99.
cen, vte chronos auta poiei geirascein, vd' estin vdenos vdemia metabolj „
ton hyper exotato pheromenjn phoran. all'analliota, cæ apathj tjn aristjn „
echonta zojn, cæ tjn autarcestatjn diatelei ton apanta æona. Cæ gar tuto „
t'onoma theios ephtectæ para ton archæon, to gar telos to periechon tjs „
ecastu zojs chronon, v mjden exo cata physjn, æon ecastu ceclytæ. cata „
ton auton de logon, cæ to tu pantos vranu telos, cæ to ton panta apeiron „
chronon,cæ tjn apeirian proiechon telos, æon estin: apo tu æei einæ eiljphos „
tjn eponymian,athanatos, cæ theios. oten cæ tois allois exjrtjtæ. tois men „
acribesteron, tois d' amauroteron to einæ cæ te zjn. ce gar cathaper en tois „
encycliois philosophjmasi peri ta theia pollacis prophænetæ tois logois: „
oti to theion ametablj ton anancæon einæ pan to proton to acrotaton. o „
vtos echon martyrei tois eirjmenois. vte gar allo creiton estin ho, ti cinjsei. „
eceino gar eij theioteron. vt' echei phaulon vden. vt enden tu autu calon „
vdenos esti, cæ apayston dj cinjsin cineitæ eulogos. apanta gar pauetæ cinu- „
mena,otan elthj eis ton oiceion topon. tu de cyclo somatos ho autos topos, „
hothen jrxato, cæ eis on teleuta. *Vbi videmus in numero plurali* ta exo. *Et Deum ipsum nuncupat* pan *cum articulo* to proton. *Ipse namque* autos di auton: *vt alibi dicit idem. Non enim* pan *hic significat numerariam distributionem, sed*

essentiam in infinitate. Igitur τακει *designat & Deum & Intelligentias. Non autem vt peruicax Auerrois, pro sola prima causa accipietur. sed neque vt accipit Alexander apud Themistium, pro orbe vltimo: Ille enim non est* exo: *neque supra extimum motum. Sic enim ait,* ton hyper exotato pheromenin phoran, *Quæ verba si Ciceroni cognita fuissent, non tam frigide in ardorem illum exarsisset.* Quam quidem sententiam coluit etiam agens de Perenni Philosophia (*) Steuchus: At ante hos omnes Plato determinauit hoc ipsum in Phædro dicens, *Magnus vtique dux in cælo Iupiter citans alatum currum primus incedit, exornans cuncta, prouideque disponens: hunc sequitur deorum, dæmonumque exercitus per vndecim partes ordinatus. Permanet autem Vesta in Deorum æde sola. aliorum vero Deorum quicumque in duodecim numero censentur, sua quisque functioni præest, vt quisque est ordinatus. Permulta igitur beataque spectacula discursusque intra cælum existunt, quibus Deorum genus beatorum intendit suum quisque officium peragens. sequitur autem semper volens & potens: liuor enim a Diuino choro procul abest. Quum vero ad conuiuium ac dapes vadunt, in summum cæli fastigium sublimes eunt. Deorum quidem vehicula apta habenis, æqualiterque librata facile gradiuntur; aliorum vero ægre: grauatur enim prauitatis particeps equus, ad terram vergens, atque trahens, cuicumque aurigarum equus non bonus nutritus fuerit: vbi iam labor & certamen extremum animæ proponitur. Quæ enim immortales vocantur, quum ad summum peruenerint, extra progressæ in cæli dorso consistunt: ibi constitutas circumferentia ipsa circumfert, atque illa intuentur quæ sunt extra cælum. Locum vero supercælestem, neque vnquam nostrorum laudauit poetarum, neque vnquam pro dignitate laudabit: habet se vero in hunc modum: audendum est enim verum dicere, præsertim de veritate loquenti. Sine colore, sine figura, sine tactu, sine essentia vere existens, animæ gubernatore solo intellectu contemplante vtitur, circa quam vera scientia genus hunc habet locum. Vt porro igitur Dei cogitatio intellectu & scientia immaculata se vertens, cogitatio quoque omnis animæ, quæcumque conuenientem sibi conditionem susceptura est, intuita per tempus id quod est, contenta veritatis contemplatione nutritur & gaudet, donec circulo in idem circumferentia referat. In hoc autem circuitu conspicit ipsam iustitiam, conspicit temperantiam, conspicit scientiam, non qua adsit generatio, nec qua alia alicubi sit in alio, quales videlicet sunt eorum, quæ nos entia nunc appellamus; sed illam, quæ in eo, quod est ens vere, scientia est: & alia eodem modo, quæ vere sunt speculata atque his enutrita, subiens rursus intra cælum, domum reuertitur. Quum autem redierit, auriga ad præsepe sistens equos, obijcit illis ambrosiam, & post ipsam nectar potandum. Atque hæc Deorum est vita. Ceterarum vero animarum, alia optime Deum secuta, similisque effecta, extulit in supercælestem locum aurigæ caput, & cum ipsa circumferentia simul delata est,* &c. Ex quibus apparet Platonem etsi poetica quadam locutione, vt obseruat Ficinus, extra cælum ponere tum summum Deum, quem Iouem appellat, tum multos Intelligentiarum ordines, quas Deos iuniores appellat, tum etiam animas rationales; ibique supra mundi conuexam periferiam veri contemplatione nutriri. Nos autem animaduertẽtes Aristotelem nullam hic occasionem habere considerandi men-
l 12. meta. tes alias infra Deum a motricibus Intelligentijs distinctas, cum Auerroe
t. 49. & 56. putamus a Magistro solum Deum considerari; nam etsi Deus sit (i) vnus cum

spe-

specie, tum numero; quia tamen Deus idem simplicissimus (m) Aristoteli est, tum forma vniuersi, tum (n) bonum ac (o) finis mundi totius; tum causa efficiens (p) conseruans, & (q) gubernans omnia mundana cuiuscunque generis entia; Considerata natura diuina sub triplici formalitate ista, de summo Deo numero multitudinis apte loquitur nunc Aristoteles; quoniam illa attributa, quorum in pręsentia meminit, conueniunt vni Deo prout est formaliter trinus, forma nempe, finis, & efficiens vniuersi; quemadmodum apud Aristotelem explicabimus. Et sane quum Aristoteli mundus sit (r) viuens, ac in viuentium numero animal, & in animalium genere pręstantissimum; quod nos fuse demonstrauimus in Opere (ſ) De Vita; vt viuens, eam formam habet, quę (t) anima est; quęque causa est in (u) triplici modo determinato, forma, finis, & efficiens; vt autem est animal (x) pręstantissimum, eam obtinet animam, quę est intellectus Diuinus; quod ab Antiquis accipit Aristoteles, dum ait, (y) *Primum igitur non bene est dicere animam magnitudinem esse: eam enim qua Vniuersi, talem esse vult, qualis est vocatus intellectus; non enim qualis sensitiua est, neque qualis desideratiua; harum enim motus non circulatio est.* Quin & dum inquit, (z) *Quare qui vt in animalibus, ita in natura intellectum inesse causam Mundi, totiusque ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad Antiquiores vana dicentes, apparuit.* Immo vero etiam dum alio loco scribit, (a) A Deo compleri totum Mundum; quum formę proprium sit complere id, cuius est forma. Verum & ibidem asserens Philosophus, Ab eodem Numine fieri continuam generationem; clare fatetur summum Deum esse causam effectricem omnium quęcunque natura gignuntur; Aristotelis verba sunt ipsissima; *Hoc autem rationabiliter contingit: quoniam enim in omnibus inquimus, quod melius est desiderare Naturam semper; melius autem esse quam non esse: esse autem quot modis dicimus, in alijs dictum est: hoc autem in omnibus impossibile existere, propterea quod longe a principio distant: reliquo modo compleuit totum Deus, continuam faciens generationem: ita enim maxime continuabitur ipsum esse; quia proximè est substantia fieri semper generationem. Huius autem causa, vt dictum est, sępe circulo latio: sola enim continua: Ideo & alia, quęcunque transmutantur adinuicem secundum passiones, & potentias, vt simplicia corpora, imitantur circularem lationem*, &c. Ceterum & alio in loco Philosophus ait Deum esse causam finalem Vniuersi, dum asserit, (b) Omnia Diuinum appetere, & illius causa agere quęcunque agunt secundum naturam; & propterea Deum esse causam finalem vniuersi, quatenus est corpus naturale; sententia Philosophi continetur his notis: *Naturalissimum enim operum, quę in viuentibus, quęcunque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem sponte eam habent, est facere aliud, quale ipsum; animal quidem animal, plantam autem plantam, vt ipso semper & diuino participent, secundum quod possunt; omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia quęcunque agunt secundum naturam.* Quum ergo Deus Aristoteli sit (c) vnus numero secundum substantiam, sed officio, & ratione trinus, nempe forma vniuersi, finis totius Mundi, & efficiens omnium causa: quumque Deus trium harum causarum officijs fungens erga Mundum, nulla ratione a materia Mundi dependeat; idcirco dicitur Deus vnicus sub ratione multarum Vniuersi causarum esse extra cęlum. Secundum attributum est,

m 1. metasu. 2. cap. 2.
n 12. meta. t. 52.
o 12. meta. t. 53.
p 2. de gen. t. 59.
q 12. meta. t. 56.
r 1. de plā. cap. 1. 2. cęl. t. 13. 17. 61. 63.
ſ lib. 2. c. 5.
t 2. de ani. t. 4.
u 2. de ani. t. 36. 37.
x 2. phys. t. 45. 1. de plant. c. 1.
y 1. de ani. t. 46.
z 1. metasum. 2. c. 2.
a 2. de gen. t. 59.
b 2. de ani. t. 34.
c 12. meta. t. 49. 52 & 56.

Esse extra cælum; quo attributo ab hac meditatione profligantur cęlestia corpora, & Intelligentiæ motrices; nam illa extra se nequeunt esse; has Aristoteles in (*d*) cælo posuit, vbi motus est celerrimus; non autem extra cęlum, vbi scribit non esse corpus, neque tempus, neque (*e*) motum vllum. Deus autem, vt forma, finis, & efficiens Mundi totius, extra cęlum ponitur, quia non pendet vlla ratione a cęlo, nec in esse, nec in operari; licet ei assistat, (*f*) omnesque Mundi partes intime perficiat: Sic plane lumen dicitur esse aeri extrinsecum, cuius est forma assistens, quoniam ab aere non pendet, quamuis intimas quasque partes aeris actuet. Aristoteles autem hic ponens Deum extra cęlum, vbi monet non esse (*g*) locum, sublimius de Deo summo sentire videtur, quam (*h*) Conimbricenses illi, qui extra Mundi superficiem spatium quoddam infinitum imaginatione sua comminiscuntur, in quo Deus immensus insit; est etenim Deus in semetipso, loci nullius indigens, qui substantia est penitus incorporeus: Melius illi sane theologizauissent apud Aristotelem, si cum (*i*) Scaligero extra cælum peripatetice Deum, aliasque a motricibus Intelligentias posuissent, ac si placet Paradisum, beatarumque mentium tum humanarum tum Diuinarum congregationem: idque Magistrum alibi innuere ostendissent, dum inquit, (*k*) inueniri defunctos homines felices, qui ob amicorum & affinium in viuis agentium calamitates de statu felicitatis mutari non possunt; & humanæ mentis vitam esse (*l*) separatam, ac felicitatem contemplatiuam. Sed hæc obiter in præsentia. Tertium attributum est, *Neque nata sunt in loco esse*, quia Deus est omnino incorporeum quid, a corpore penitus independens; siue consideretur vt forma, siue vt finis, siue vt efficiens; quum esse in loco per se conueniat solis corporibus; & per accidens (*m*) ijs, quæ dependenter quouis modo in corpore sunt; ideo Deus aptus non est esse in loco. Quartum attributum est. *Neque tempus ipsa facit senescere*: Deus enim est forma, finis, & efficiens in Vniuerso, nec tempori, nec senectuti obnoxius; quia nec ipse, nec vlla sua operatio tempori, vel senectuti subdita est: quippe mensuratur indiuisibili momento æternitatis, non tempore senectutem aduehente. Quintum attributum est, *Neque vlla transmutatio vllius eorum est*. Quæ conditio certe non conuenit cælestibus orbibus, qui circumuoluuntur assidue, sed omnium maxime competit summo Deo, prout est forma, finis, & efficiens in Vniuerso; qui nullo motu prorsus, neque physico, neque metaphorico, neque per se, neque per accidens agitatur; quum aliæ mentes infra Deum omnes moueantur motu metaphorico a summo Deo, tanquam a fine; a quo impelluntur ad suas quasque functiones obeundas, quas edunt vt supremo Numini assimilentur pro modo naturæ vniuscuiusque ipsarum; finem enim mouere metaphorice causas effectrices, monet (*n*) Aristoteles aperte; cui Deus est rerum omnium (*o*) finis. Sextum attributum est, formam, finem, & effectricem caussam Vniuersi *super extima latione disposita esse*; quod sane pariter excludit cælestia corpora, & motrices eorum Intelligentias; quoniam cælestia corpora disposita esse nequeunt super extima latione Aristoteli; a quo pridem ipsa intra eam contineri constituta sunt, (*p*) vbi definiuit Vniuersum esse corpus ab extrema circulatione contentum. Motrices item

d 8. phys. t. 84.
e 1. cęl. t. 100.
f 1. de part. cap. 5. 7. Eude. cap. 18.
g 1. cęl. t. 99. & 100.
h 8. phys. ca. 10. q. 2. ar. 4. & 1. cęl. t. 99. 100.
i exer. 365. ar. 5.
k 1. ethic. c. 10. & 11.
l 10. ethic. cap. 8.
m 4. phys. t. 13. 43. & seqq.
n 1. de gen. t. 55.
o 2. de ani. t. 34. 12. meta. t. 52.
p 1. cęl. t. 96. 97.

item Intelligentiæ singulæ, suo cælo appropriatæ, dici non possunt dispositæ
super extimâ latione ab Aristotele; cui primus motor collocatur in (*q*) cir- *q* 8. phys.
culo, nempe in orbe suo circulari, vbi motus est celerrimus: Deus autem, t.84.
(*r*) Aristotele Doctore, substantia vnus, officio, & ad vniuersum relatione *r* 12. meta.
trinus, quum sit Mundi forma, finis, & efficiens; forma, quia mundum viui- t.49.53.56
ficat, illi specificam & numericam (*s*) vnitatem tribuens, & omnibus mun- *s* 12. meta.
di partibus (*t*) esse ac viuere concilians: efficiens, quia non solum conseruat t.49.
Vniuersum, quod ab eo (*u*) dependet ab æterno; sed etiam quia est primum *t* 1. cęl. t.
efficiens omnium operationum vitæ mundanæ, scilicet principium, quo pri- 100.
mo Mundus agit quæcunque operatur: Finis, quia est bonum Vniuersi, & 2. de ani.
quia omnia in Deum, velut in (*x*) finem, suas operationes dirigunt; & quia t.36.37.
omnia entia ad vnum Deum, velut ad vltimum (*y*) finem collimant Aristo- *u* 12. meta.
teli: Hæ vero tres formales rationes caussarum in Deo erga Mundum vniuer- t.38.
sum ad se inuicem subordinantur, quia finis est (*z*) vltima caussarum in esse, *x* 12. meta.
forma est posterior efficiente producente, ac vicissim prior eodem conser- t.52.53. &
uante; quippe conseruatur vbique nonnisi id quod est; est autem vnumquod- 2. de ani.
que per (*a*) formam; quæ ratio est eius quod quid erat (*b*) esse, ac omnino t.34.
tribuens (*c*) esse rei. Deus ergo primo est efficiens, vnde ab æterno Mundus *y* 12. meta.
totus emanauit Aristoteli dicenti, A tali principio cælum & naturam (*d*) de- t.53.
pendere; deinde vero est forma, per quam Mundus in suo esse (*e*) specifico *z* 2. phys.
& essentiali constituitur; deinceps autem est efficiens tum Mundum in esse t.23.
assidue conseruans; tum Mundi cunctas operationes promouens, & entia *a* 2. de ani.
cuncta bene (*f*) gubernans: demum est (*g*) finis, cuius gratia Mundus totus t.36.
est, & singulæ partes illius, & res (*h*) agunt quodcunque secundum natu- *b* 2. phys.
ram suam operantur. Sic igitur Caussæ Vniuersi formam complentes in t.28.
vno Deo extra Mundum, super extima cęli latione inuicem dispositę, ac sub- *c* 2. de ani.
ordinatę sunt. Qui quidem ordo Mundo (*i*) essentialis, apte statuitur Mun- t.36.37.
di forma; non autem ordo partium integrantium Mundum; si enim hic or- *d* 12. meta.
do partium integralium ordinans accipiatur, accidens est, quod essentiam t.38.
substantiæ complere minime potest: sin autem sumatur ordo corporum or- *e* 12. meta.
dinatus, hic materia est Mundi proxima, non Vniuersi forma: sic humanę t.49.
partes corporeæ recto ordine inuicem dispositę, sunt hominis materia pro- *f* 12. meta.
xima, non autem forma: sed veluti partes animę in vnam humanam ani- t.56.
mam subordinatę constituunt formam hominis; vtque Pręfecti omnes mi- *g* 12. meta.
litum in vnum Ducem subordinati sunt forma totius exercitus; cuius for- t.52. & se-
ma non est accidentarius ordo militum, cohortium, ac legionum millies eo- quentib.
dem exercitu permanente mutabilis. Ita in vno Deo subordinatæ rationes *h* 2. de ani.
ac formalitates efficientis, formalis, & finalis caussæ erga Vniuersum sunt t.34.
forma Mundi, & omnino Deus ipse. Septimum attributum est, *Sed inaltera-* *i* 12. meta.
bilia, Sunt ista tria caussarum genera, Mundi formam constituentia; nempe t.52.
nullius qualitatis peregrinæ susceptibilia; quod attributum eminentissime
ac proprie soli Deo conuenit, quatenus est forma, efficiens, & finis omnium
rerum in vnam Mundi naturam & molem conspirantium; non autem abso-
lute competit hoc attributum inalterabilitatis, vt ita dixerim, corporibus
cælestibus, quæ luminis ac tenebrarum alterationem quandam suscipiunt, &
con-

condensationis rarefactionisque, citra propriæ substantiæ detrimentum;
k l.5.c.51. quemadmodum ex Aristotele fuse demonstrauimus in opere De (*k*) Nouis
& seqq. Astris, & Cometis. Neque conuenit itidem hoc attributum inalterabilita-
l.6.c.17.& tis motricibus infra Deum Intelligentijs; quia motu cælorum subcælestia
seq. gubernantes, Deo similes efficiuntur illustri, & spiritali quadam alteratione; quam etiam perpetiuntur, dum a superioribus Intelligentijs, quas iugiter intelligunt, perficiuntur & illuminantur: Quin etiam dum nouos cognitionum habitus induunt; est enim & hoc alterationis quoddam genus, licet ab alteratione vulgari famosaque diuersum fit το addiscere, quod innuit
l 2. de an. Aristoteles (*l*) aliquando; Quum soli Deo nihil extrinsecus accedat, nihil
t.58. omnino noui accidat, qui in momento æternitatis seipsum, & alia cuncta infra se collocata dignoscit vnico actu simplicissimo, & ineffabili. Octauum attributum est, *Et impassibilia* esse tria hæc genera caussarum in Deo, Mundi naturam perfectiorem, hoc est, formam Vniuersi complectentia: quod itidem commune quum videatur esse Deo, secundis Intelligentijs, & cælo; proprie tamen, principaliter, & maxime vni Deo conuenit sub triplici formalitate, seu ratione caussæ formalis, finalis, & effectricis rerum omnium
m 2. de an. considerato; quippe quum passio sit (*m*) Aristoteli duorum generum, perfe-
t.57. ctiua & corruptiua; quamuis Intelligentiæ infra Deum, & orbitæ cælorum infra secundas Intelligentias collocatæ, sint apud Aristotelem inalterabiles, & impassibiles alteratione passioneque corruptoria; perpetiuntur tamen alterationem & passionem perfectiuam; nam & cælum patitur dum mouetur, illuminatur, obtenebratur in eclipsi ab vmbra terræ, rarescit, & condensatur in nouorum astrorum interitu, & ortu: Intelligentia similiter omnis e secundarum genere, dum induit nouos habitus notitiæ, ac mouet, vere perficitur operatione sua, qua consequitur Dei similitudinem, & omnino finem, cuius gratia mouet, atque operatur: At vero Deus ex se tum vt forma, tum vt efficiens, tum vt finis, est summe perfectus, immo vero ipsamet omnium rerum perfectio, nec aliunde, alicundeve nouam vllam sibi perfectionem acquirit; quamobrem est simpliciter impassibilis. Nonum attributum est, *Optimam habentia vitam* esse; quibus in essentia Diuina consistit forma, efficiens, & finis Vniuersi, quæ conditio soli Deo competens, quem
n 12.meta. Aristoteles (*n*) alibi statuit esse viuens optimum, & habere vitam optimam:
t.39. quum autem optimum vere ac simpliciter illud sit, quo nihil est absolute melius; quando vita cælorum, & vita secundarum Intelligentiarum habet seipsa meliorem Dei summi vitam; profecto neque cæli, neque secundæ Intelligentiæ infra Deum propriæ vitam optimam habebunt. Intellectus au-
o 12. meta. tem humanus ab (*o*) Aristotele dicitur optimum esse habere, dum a corpo-
t.51. re separatus est, non quidem absolute, sed comparatione facta cum eo-
p 1. de an. dem intellectu in corpore degente; quod admonuerat (*p*) alio in loco Ma-
t.49. gister: verum absolute solus Deus in Peripato viuit vitam optimam. Decimum attributum est, *Et per se sufficientissimam* vitam habere, quæ super extima latione continent in se Mundi totius caussam formalem, effectricem, atque finalem: quod attributum pariter soli Deo proprie conuenit; namque cęli, & Intelligentię infra Deum, & alia omnia mundana entia Deo indigent

digent gubernatore ac moderatore, quemadmodum exercitus Duce; quod Aristoteles (q) alibi docuit, cui Deus nullius est indigus, sibimetipsi sufficit, sibimetipsi vita est sufficientissima: Vndecimum attributum est, *perseuerans toto æuo* causæ Mundi efficiens, finalis, atque formalis Aristoteli; apud quem tempus (r) semper est, initio & fine carens; idemque re sunt æuum, tempus, ac æternitas; quæ tria nostratibus distinguuntur: etenim iuniores ponunt tempus esse mensuram finitam motus non æterni; æuum esse mensuram terminatam Intelligentiarum non perpetuarum; æternitatem vero esse infinitam mensuram, & indiuisibilem Dei summi perpetui, & impartibilis, suarumque operationum itidem perpetuarum & indiuisibilium; verum Aristotele doctore penitus Idem est perseuerare toto æuo, & per vniuersam æternitatem: Reddit autem Philosophus in textu rationem propositi attributi, quo dicitur Deus esse forma, finis, & efficiens in vniuerso perseuerans toto æuo; quoniam *hoc nomen Æui ab Antiquis enunciatum est diuine*, nimirum pronunciatum est ad significandam perpetuitatem, sempiternitatemque, ac æternitatem: quandoquidem terminus, qui vt mensura continet tempus vitæ vniuscuiusque integre secundum sui naturam, appellatus est æuum vniuscuiusque, nempe singulorum sibi inuicem succedentium ab æterno, in æternum, cuius nihil extra esse potest, videlicet mensura durationis singulorum hominum, nullo excepto, æuum est: consimiliter æui totius terminus omnem cæli durationem continens, vt puta mensura vitæ cælestis; quæ mensura continet omne tempus, & infinitatem durationis, æuum est: Quod quidem æuum absolute denominatur ab eo, quod semper est, immortale, ac diuinum: cuius quidem rationis abditissimæ germana ea est explicatio ex Aristotele, cui (s) omnia, quæcunque agunt secundum naturam, agunt, vt pro modo naturæ suæ diuinitatem consequantur; Deus etenim est (t) finis omnium: consequuntur autem hanc Dei similitudinem se se conseruando semper, si non in indiuiduo, saltem in specie: Deo namque sempiterno in æternitate cuncta fieri similia student; atque ipsum semper esse in Deo est ipsamet essentia Dei, vt ait (u) alibi Philosophus; in alijs autem Diuinitas (x) participata: Si ergo perseuerantia toto æuo, ac vita perpetua, & esse semper, in rebus alijs a Deo est per participationem diuinitatis, de consensu omnium Antiquorum recte putantium Deo similius esse cælum, quod toto æuo per omne tempus in indiuiduo perseuerat idem numero viuens immortale, quam corpus quodlibet aliud subcæleste, quod in indiuiduo caducum, fieri potest æternum in (y) specie solum; plane constat summi Dei proprijssimum esse attributum *to* perseuerare toto æuo; quum Deo summo cetera similia reddantur in participatione huius æternitatis, quam pro modo naturæ suæ singula desiderant, & consequi conantur. Duodecimum attributum est, *Vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obscurius; esse & viuere*: quod quidem attributum non conuenit cælo, quod pendere a principio immobili scribit (z) Aristoteles; nec etiam Intelligentijs secundis, quæ omnes a Deo, vt a primo ente in esse (a) dependent: quod etenim ab alio pendet, non potest esse id, a quo alia cuncta (b) dependent; at vero Deus solus est (c) is, a quo vt a forma, fine, ac efficiente in Vniuerso rebus omnibus pendet esse & viuere;

q 12. meta. t. 51. & 56.
r 8. phys. t. 10.
s 2. de ani. t. 34. & 35.
t 12. meta. t. 52. & 53.
u 12. meta. t. 39.
x 2. de ani. t. 34. & 35.
y 2. cæl. t. 13.
z 12. meta. t. 38.
a 12. meta. t. 52. 53.
b 2. phys. t. 42.
c 12. meta. t. 49.

Z pro

pro vt res omnes in duas classes rediguntur, nimirum in seriem animatorum, quibus conuenit viuere; & in coordinationem inanimatorum, quibus infra vitam conuenit esse simpliciter; non autem omnibus a Deo pendet esse & viuere similiter, verum dissimiliter, alijs exactius, alijs obscurius: dubio procul obscurius a Deo dependent ea, quæcunque ab ipso non immediate, sed vt a causa communi & remota, gubernante conseruanteque propriam & proximam, proficiscuntur; quoniam non ita constat quomodo a Deo pendeat equus, vt constat equum pendere ab equo parente; sic a Deo pendet obscurius esse & viuere rebus omnibus caducis: Ceterum a Deo exactius ea dependere dicuntur, quæcunque immediate ab ipso, velut a sui causa propria & proxima, sine alterius vllius causæ adminiculo proficiscuntur; quia nullum aliud est ens in rerum natura, a quo dependere videantur: ac sane reuera inter nostratia nihil est omnino, quod a summo Deo exactius, hoc est, immediate dependeat, nisi homo quoad animæ suæ partem rationalem, quam a parentibus minime pendere, pridem (*d*) alibi nouimus ex (*e*) Aristotele. Decimum tertium atque postremum attributum, quoniam dependet ex quinto, in quo dixerat Aristoteles, ea, quæ sunt extra cælum in essentia diuina, Mundi formam, finem, & effectricem causam continentia, esse intransmutabilia; ipsum duplici argumento confirmat priusquam ex eo deducat hoc vltimum attributum: primum quidem argumentum est, quoniam in sententijs, quæ quotannis ad populum iussu Magistratuum de diuina essentia naturaque haberi consueuerant a Viris sapientibus, sæpe declarantur rationibus, necessarium esse omne diuinum primum, ac maxime summum, Deum scilicet, vt primum efficiens, primaque forma Vniuersi, & maxime summus omnium finis, habere naturam intransmutabilem omnino: Quæ sane rationes ad Populum habitæ attestantur iis, quæ dicta sunt in quinto attributo. Verum & hoc argumentum excludit cælestia corpora, & secundas omnes infra Deum Intelligentias; quoniam hæc non sunt prima & maxime summa in entium genere, sed solus Deus. Aliud autem argumentum est, quoniam omne quod mouetur, vel ab alio mouetur, vel a seipso; & necessario in eum finem, vel vt a se excutiat aliquod prauum, vel vt acquirat sibi aliquod bonum, cuius indigeat: at vero Deus supra cæli cardines consistens extra Mundum, non potest ab alio moueri, nec habet in se prauitatem vllam, quam motu a se depellat; nec indigus est vllius boni, ad quod acquirendum moueatur: igitur vniuersi forma, finis, & efficiens in Deo sunt intransmutabilia. Maior est per se nota; propositio minor etiam liquet satis quoad suas partes posteriores; quoad priorem vero sui partem sic in textu ab Aristotele demonstratur, quoniam omne mouens est (*f*) melius ac diuinius eo quod mouetur, nimirum agens patiente; siquidem hoc ab illo suscipit aliquam perfectionem; motus enim semper aduehit (*g*) formam a motore in mobile: verum ipso Deo nihil melius, aut diuinius esse potest: ergo Deus non potest ab vllo alio moueri. Quæ ratio soli Deo conuenit; quoniam Intelligentiæ secundæ sunt meliores, diuinioresque cælo; Intelligentijs autem secundis omnibus prima melior est atque diuinior, cælumque mouetur; & Intelligentiæ secundæ semper suis operationibus perficiuntur, no-

d 2. de im. ani. c. 14.
e 2. de gen. ani. cap. 3.
f 3. de ani. t. 19.
g 3. phys. t. 17.

nouasque perfectiones iugiter a Deo acquirunt, a quo(h) gubernantur,& il- h 12. meta.
luminantur assidue. Proponit hinc Aristoteles vltimum attributum in- t. 56.
quiens: *Et incessabili vtique motu mouetur rationabiliter*. alia lectio habet acti-
ue, *Et incessabili vtique motu mouet rationabiliter*, ac vtraque lectio retineri po-
test; Si quidem posterior accipiatur actiua, nulli dubium esse valet quin at-
tributum sit de mente incorporea, non autem de corpore cælesti; quod
etiamsi semper moueat inferiora, tamen non vnico motu incessabili ea mo-
uet, quia sunt elementaria cuncta generationi & corruptioni obnexia, ijs-
que non semper existentibus, non semper esse potest motus vnicus, quo cien-
tur a cælo; namque ad vnitatem motus non sufficit vnitas motoris, verum
necessaria prorsus est etiam vnitas (*) mobilis. At vero si prior accipiatur * 4. physf.
lectio passiua, vulgo quidem ab Interpretibus adijcitur, *a primo motore* siue t. 104. 105.
a Deo: Nos autem citra verbi additionem dicimus hanc sententiam nisi 5. physf. t.
particula superioris attributi, habereque relationem ad illud, quo dixerat 34. 35.
Aristoteles, formam Vniuersi, ac omnino Deum esse vnde & alijs pendet esse
& viuere; nunc adiungi, *& incessabili motu mouetur rationabiliter*, nempe vn-
de speciatim oritur motus incessabilis, non quidem tanquam ab efficiente
proximo; sed tum velut a fine, cui vt assimilentur Intelligentiæ secundæ cæ-
lorum orbibus assistentes in gubernatione Mundi subcælestis, orbitas illas
æthereas assidue circumuoluunt: tum etiam velut ab efficiente remoto, &
communissimo, cum omnibus & singulis caussis secundis ad omnes & sin-
gulas earum operationes obeundas, & ad cunctos eorumdem effectus pro-
ducendos eminenter concurrente. Confirmat autem hoc attributum Ari-
stoteles in textu, quia forma vniuersi mouere debet mundi partes motu ipsis
secundum naturam conueniente: sed corporis, quod circulo mouetur, mo-
tus secundum naturam est incessabilis: ergo forma vniuersi est id, vnde
mouetur cælum motu incessabili: Minor est euidens, eo quod vnumquod-
que compositum a (i) forma sua motum obtinet nonnisi (k) naturalem; i 8. physf. t.
quum motus præter naturam sit (l) violentus; & omnis violentia semper fit 27.
ab (m) externo agente, non formæ, sed contrarij rationem obtinente. Maior k 1. cæl. t. 1.
in textu sic ab Aristotele demonstratur, quoniam omnia quæcunque mouen- 6. & seqq.
tur, quiescunt nonnisi quum venerint in proprium locum, ad quem secun- l 3 cæl. t. 18
dum naturam eo motu contendunt atque feruntur: sed eius corporis, quod m 2. Eud.
circulo mouetur, idem locus est, vnde incœpit moueri, & in quem finit: er- c. 9.
go corporis circulo mobilis finis vnius circulationis est semper initium alte- 3. Ethic. c.
rius; & propterea motus ipsius est incessabilis: Ita ergo constat animam vni- 2. & 3.
uersi decreto Aristotelis esse Deum, qui sub ratione formæ primæ finis vlti-
mi, & efficientis supremi; quę tria nata sunt esse extra cęlum, quum a Mun-
do minime dependeant; non esse in loco, quum sint penitus incorporea;
non esse tempori, vel senectuti obnoxia; esse penitus intransmutabilia; su-
per extima latione disposita, hoc est inuicem formaliter subordinata; inal-
terabilia; impassibilia; optimam habentia vitam; & sufficientissimam; per-
seuerantia toto æuo, seu diuina, & immortalia per essentiam; vnde pendet
alijs esse & viuere, his quidem exactius, his autem obscurius, hoc est, alijs
immediate, alijs mediante caussa secunda propinquiori; & vnde cęlum mo-
ue-

Z 2

uetur motu incessabili, tanquam a fine. Quę omnia de Mundi forma, effectrice, ac finali causa breuiter hic Aristoteles complexus; ast acute, subtiliterque potuit de summo Deo simplicissimo sub hac triplici formalitate causę formalis, effectricis, atque finalis considerato, loqui numero multitudinis. Ceterum hac de re latissime (n) superius; ad quem locum perlegendum remitto Lectorem.

n lib. 1. c. 2. circa f.

Aristotelem impietatis reum non esse, quod Intellectum passiuum dixerit corruptibilem. Cap. XV.

ALij culpant Aristotelem impietatis, quod animam rationalem posuerit mortalem, asserens Intellectum passiuum, qui apex est animæ nostræ, (a) corruptibilem esse. Ceterum etsi luculentissime demonstrauerimus in opere De Immortalitate Animorum, Aristotelem huius impietatis reum non esse; tamen breuibus lubet nunc ab eo maculam hanc detergere. Cui diluendæ non pauci studuerunt; Themistius quidem hic asserit intellectum passiuum corruptibilem esse communem quendam intellectum, diuersum ab agente, ac possibili; sed Aristoteles in anima (b) duos tantum ponit intellectus; nullumque tertium admittit præter agentem & possibilem: dein si communis agenti, & possibili foret corruptibilis; tam & intellectus agens corruptibilis esset, quod nemo dixerit in Peripato. Philoponus, cui consentire videtur Auerroes, & D. Thomas, cum magna Latinorum cohorte, statuit per intellectum passiuum hic significari phantasiam, quæ tum nomine (d) intellectus aliquando decoratur ab Aristotele; tum (e) rationalis appellatur, eo quod rationi obtemperat; vt (f) alibi monet Aristoteles: Quod placitum etsi liberet Aristotelem ab impietate, tamen absolute non satisfacit; primo quia nunquam Aristoteles ait phantasiam esse, vel dici simpliciter intellectum; vt patet ex eius verbis in locis citatis: Deinde quia falso diceret (g) mox Aristoteles Intellectum separabilem nihil intelligere sine phantasia; nam & absolute (h) supra statuit Philosophus intellectum, quum factus fuerit singula, posse per seipsum operari; atque adeo sine ministerio phantasiæ: Et, si ea, quorum est recordatio ac reminiscentia, consideremus, quidni noster intellectus in habitu, absque vllo phantasiæ interuentu recordetur ac reminiscatur, intelligens noscensque rursus ea, quæ antea cognouerat? Deinceps quia reminiscentia eorum, quæ antea nouerat intellectus, nulla penitus indiget opera phantasiæ; nam in tertia sua functione, quæ discursus appellatur, mens abest a phantasia maxime; quum reminiscentia fit syllogismus ex conseruata notitia recuperans deperditam: Similiter post mortem recordatio & reminiscentia non fit opere phantasiæ, quia post obitum non remanet imaginatio: viuentes pariter dum reminiscimur vniuersalium, beneficio phantasiæ non vtimur vllo; quum hæc attingat solummodo singularia. Alexander, atque Simplicius asserunt, nunc Aristotelem nomine intellectus passiui significare possibilem intellectum; quem Alexander ait esse corruptibilem, qua passiuus est; eiusque corruptionem Simplicius ait

a 3. de an. t. 20.
b 3. de an. t. 17. & 18.
d 2. de an. t. 155.
e 3. de an. t. 48. & 56.
f 1. Ethic. c. 13.
g 3. de an. t. 20.
h 3. de an. t. 8.

esse

esse transitum non ad non ens, sed ad esse melius. Quibus non assentimus; tum quia generatim possibilis intellectus ab Aristotele dictus est (*i*) impassibilis; quomodo ergo nunc eum gratis accipiat passiuum & corruptibilem? tum quia possibilis intellectus est id quod (*k*) intelligit; quia munus intellectus agentis (*l*) Aristoteli est facere actu intelligibilia, non autem ea fieri; quod est (*m*) intelligere: tum quia corruptio intellectus possibilis si vlla fit, ea in hominis obitu fit: Sed hic Aristoteles causam quærit cur non reminiscamur etiam in vita eorum, quæ viuentes ipsimet prius agnouimus, & ante ortum nostrum noster intellectus separatus intellexerat. Speciatim autem Simplicio refragatur Aristoteles, qui non vno in loco definit corruptionem vniuersaliter esse transmutationem ad (*n*) non ens; & quæ ad esse melius est, appellari (*o*) generationem potius, quam corruptionem. Nos itaque per intellectum passiuum interpretamur intellectum in habitu, nimirum coniunctum ex substantia intellectus possibilis, & ex cognitionum habitibus; qui vere est (*p*) intellectus Aristoteli, & passiuus; nam corruptio cuique, siue substantiæ, siue accidenti, (*q*) passio est Magistri decreto: Quum igitur intellectus in habitu (*r*) fiat, & corrumpatur; propterea sapienter ab Aristotele dicitur intellectus passiuus. Corruptibilis est autem, non quoad substantiam, sed solum quoad habitus acquisitos; est etenim aggregatum per accidens, quod corrumpitur manente substantia mentis, incolumique subiecta intellectus essentia, ad corruptionem solius (*f*) formę, notionisque accidentalis; perinde ac nauis, domus, & statua corrumpitur destructione solius formæ accidentalis ab arte factæ, remanente substantia ligni, lapidis, & æris. Gratis autem accipit hunc intellectum passiuum Aristoteles esse corruptibilem; quia quum sit compositum quid ex intellectus essentia, & notionis habitu acquisito, iam aliquando (*t*) factus est; quamobrem vt omni, sic est interitui obnoxius intellectiuus passiuus; quod aperte constat ex eodem Aristotele (*u*) multis in locis: Quin & (*x*) alibi Magister asserens reminiscentiam esse corruptionem ignorantiæ; obliuionem autem esse corruptionem scientiæ, clarissime docet hic per intellectum passiuum, ob cuius corruptibilitatem non reminiscimur, se significare intellectum in habitu: Vt idem prorsus in proposito dicendum sit de nostro intellectu, quod (*y*) olim de materia prima dixerat Aristoteles, eam scilicet corrumpi, atque fieri, quatenus est id in quo est priuatio; quando quidem priuatio secundum se corrumpitur, & compositum ex materia, & priuatione pariter interit; quod (*z*) prius consimiliter constituerat idem Philosophus: at vero materia quatenus est quid a priuatione distinctum, atque secundum suam ipsius essentiam substantiamve, quę in potentia sita est, non potest corrumpi. Consimiliter intellectus humanus quatenus est id, in quo est habitus scientiæ, corruptibilis est; quoniam corrumpitur habitus ipse; & compositum ex intellectu & habitu notionis interit; ceterum ipsius intellectus nuda substantia, & essentia pura nostræ mentis, quæ secundum se in (*a*) potentia est ad habitum notitiæ quemlibet induendum, plane incorruptibilis est: Intellectum autem humanum proportionem habere ad materiam primam, non semel docuit Aristoteles, tum (*b*) statuens ipsius intellectus nullam esse naturam aliam nisi hæc quod possibilis;

i 3. de ani. t.3. & 7.
k 3. de an. t.4. & 8.
l 3. de an. t.18.
m 3 de ani. t.18. 38.
n 5. phys. t. 4. & alibi passim.
o 1. de gen. t.11. & sequentib.
p 3. de an. t.8.
q 1. phys. t.43.
r 3. de an. t.8.
f 2. de an. t.24.
3. de an. t.38.
t 3. de an. t.8.
u 30. sect. prob.4.
1. cęl. t.121 & seqq.
x de long. & bre. vit. cap.2.
y 1. phys. t.82.
z 1. phys. t.59.
a 3. de ani. t.5. & 14.
b 3. de ani. t.5.

c 1. phys. t.82. — 2. de ani. t. 2 — d de subst. orb. cap. 1. — e 3. de ani. t. 17. & 19. — f de immo. aiæ libris.

bilis; quum materiam esse potentiam statuat (c) Aristoteles; & (d) Auerroes asserat materiam substantiari per posse: tum aperte comparans intellectum possibilem (e) materiæ. Sic ergo non deuiat a pietate Magister, dum ponit intellectum passiuum esse corruptibilem. Sed illi rationalem animam esse immortalem nos late (f) demonstrauimus alibi.

Aristotelem non officere pietati, propter octo dubia, quæ tanquam errores illi videtur obijcere Cl. Theologus Cornelius a Lapide.

Cap. X V I.

a pag. 4. n.15.

Cornelius a Lapide, Theologus inter iuniores clarissimus, octo sphalmata videtur afferre, quæ reum vtcumque faciant Aristotelem impietatis erga Deum, dum commentarijs Pentateuchum illustrans infit, (a) *Aristoteles vero (in cuius ingenio Natura ostendit extremum potentiæ suæ, vt ait Auerroes) primum Motorem Orienti affigit: Asserit eum moueri fato, & naturali necessitate: Mundum hunc esse ab æterno: futurorum contingentium non esse determinatam veritatem: Deum ea determinate non scire: Animæ vero immortalitatem: Dei circa homines, & res sublunares prouidentiam: futuras pœnas & præmia vel pernegat, vel ita obscurat, vt sepia suis spiris inuoluta agnosci explicarique non possit; & a multis ob affectatam obscuritatem, ingeniorum carnifex dictus sit & habitus.* Quæ tamen nihil omnino pietatem Aristotelis erga Deum lædere dicimus. Ad primum enim aperte negamus Aristotelem ita primum motorem Orienti affixisse, vt Deum putauerit non esse præsentem vbique toti mundo, singulisque partibus vniuersi, rebusque cunctis; namque si primi Motoris nomine signet Intelligentiam infra Deum; impius non est, qui eam affigit Orienti. Præterea quod primum Motorem ipse ponens potius in circumferentia Mundi, vbi motus est velocissimus, quam in medio; certe primum Motorem non affigit Orienti, sed toti cælo coaptat, ac in Vniuerso ponit, etsi potius

b 8. phys. t.84.

cælo assistere, quam terræ dicat asseuerans, (b) *Necesse est autem aut in medio, aut in circulo esse* primum *Motorem; hæc enim principia sunt: sed celerrime mouentur quæ proxima sunt mouenti: huiusmodi autem est ipsius totius, seu circuli motus: illic ergo ipsum mouens.* At si primi mouentis nomine Deum intelligamus, falso ponitur ipsum ab Aristotele determinate Orienti affixum fuisse;

* lib. 1. c. 7.

nam præter allata (*) superius, euidenter vbique præsentem posuit vniuerso, singulisque mundi particulis, tanquam formam vniuersi; scribit enim

c 7. Eud. c.18. — d 12. meta. t.49.

apertis verbis, (c) *Patet autem sic esse, quemadmodum in Vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine.* & alibi; (d) *Ipsum vero quid erat esse primum non habet materiam, quum actus sit: vnum ergo tum ratione, tum numero primum mouens immobile ens est. Et id igitur, quod semper continuoque mouetur: vnum ergo tantum cælum est.* Vniuersum scilicet, quod vnitatem sui non habet nisi ab vnitate formæ suæ, quæ primum quid est sine materia nihil aliud est quam Deus; qui proinde ab Aristotele non affigitur Orienti. Minus obest, quod secundo loco dicebatur, Aristotelem asserere Deum moueri fato, & naturali necessitate; quum ex aduerso constituat Aristo-

ſtoteles ſuum (e) *Deum ea facultate uti, quæ nulli cedat difficultati: cuius ipſ. vi facultatis omnia in poteſtate continet*; tum, (f) *Deum pro poteſtate mundum tanquam prouinciam obtinere*: tum Deum vniuerſum mundum moderari & regere, quo cantores in choro præcentor: tum non moueri fato, ſed vocari, & eſſe fatum: tum operari quidem ſecundum naturam, ſed non ex naturali neceſſitate; vt (g) ſupra latius oſtenſum eſt. Nec illud etiam obeſt pietati, quod Ariſtoteles dicitur poſuiſſe mundum hunc ab æterno, propter rationes etiam (h) ſuperius allatas. Ceterum poſitionem Ariſtotelis (i) aſſerentis, futurorum contingentium non eſſe determinatam veritatem, quomodo probauerit vir doctus eſſe contra Fidem piorum? nonne natura contingens eſt indeterminata ad eſſe, & non eſſe? Sed non ne gratis, & falſo ponit Vir Cl. Ariſtotelem ſtatuere Deum contingentia determinate non ſcire? nam quæ nobis indeterminata ſunt, & ipſamet antequam ſint; attamen Deo in æternitatis momento cuncta præſentia ſunt, nihil omnino futurum; quare contingentium habet ille determinatam cognitionem, quia ea noſcit in momento æternitatis, & quando actu ſunt; tunc enim futura non ſunt, neque contingentia, ſed præſentia, & neceſſaria, vt clare docet Ariſtoteles, aiens, (k) *Igitur eſſe quod eſt, quando eſt: & non eſſe quod non eſt, quando non eſt, neceſſe eſt: ſed non omne quod eſt, neceſſe eſt eſſe: nec omne quod non eſt, neceſſe eſt non eſſe: non enim idem eſt, omne quod eſt, neceſſario eſſe, quando eſt; & ſimpliciter ex neceſſitate eſſe. ſimiliter autem & in eo quod non eſt*. Quum igitur omnia in æternitatis momento præſentia ſint, atque adeo determinata & neceſſario ſint, etiam illa quæ in tempore non ſunt, ſed futura, & contingentia ſunt; propterea recte dicit Ariſtoteles, hominem, qui cognoſcit in tempore, non autem in æternitatis momento, multa ſibi futura & contingentia habere, de quibus antequam ſint determinatam veritatem certamque cognitionem habere nequit: at e contra Deum, quem ponit in (l) æternitatis momento ſemper eſſe, & cuncta prorſus (m) intelligere, vt antea (n) viſum eſt, omnia ſemper habere præſentia, & (o) exactiſſime perſpecta. Animæ vero immortalitatem ab Ariſtotele cultam fuiſſe maxime nos & olim fuſe (p) demonſtrauimus integro volumine non paruo promulgato, & ſuperius etiam (q) euidenter oſtendimus. Conſimiliter antea ſatis confirmatum eſt, Ariſtotelem poſuiſſe, Deum habere (r) prouidentiam rerum ſubcæleſtium, & ſpeciatim humanarum: (ſ) futuraſque pœnas, & præmia iuſta retributione mortalibus irrogare. Nec in eo culpandus, ſed laudandus eſt maxime, quod in rebus longe procul ab humano captu poſitis temere non elocutus fuerit, ſed cum circumſpectione, quod obſcuritatem non minus quam prudentiam, & ſoliditatem, grauitatemque doctrinæ ſuis in ſcriptis poſuit. Quare non bene audit ſepia, & ingeniorum tortor Ariſtoteles. Quæ cognomina potius induere volui, etſi falſo, quam vaniloquus, & blatero. Itaque pietatem maxime coluit inter antiquos ethnicos erga Deum Ariſtoteles Philoſophus, vere ingeniorum phœnix, non tortor, ac magiſter ſapientum, dignus Auerrois encomio.

e de mund. c. 7.
f ibid.
g lib. 1. c. 6.
h l. 2. c. 1. 1.
i perihermeneias c. 6.
k loc. cit.
l 1. cel. t. 100.
m Poet. c. 12.
Rhet. ad Al. 17.
n li. 1. c. 12.
o 1. meta. c. 2.
p de im. an.
q l. 2. c. 15.
r l. 1. c. 8.
ſ l. 1. c. 9.

De

De imagine, atque similitudine Dei, ad quam factus est homo, Moysi non contradicere Aristotelem; sed mirifice consentire pluribus in locis. Cap. XVII.

a 12. meta. t. 50. QVum Aristoteles alicubi scripserit: (a) *Tradita sunt autem quadam a maioribus nostris, & admodum Antiquis, atque in fabula figura posterioribus relicta, quod hi Dij sunt, vniversamque naturam Diuinum continet. Cetera vero fabulose ad multitudinis persuasionem, & ad legem, ac vtus quod confert opportunitatem iam allata sunt: Hominiformes namque, ac aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt: ac alia consequentia, & similia his, qua dicta sunt.* Non defuere, qui propter hæc læsæ Pietatis reum Philosophum faciant, quasi contradixerit

b Genes. 1. aperte Moysi scribenti, (b) *Et vidit Deus, quod esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* & mox, *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum.* Quin &

c cap. 10. Ezechieli (c) tractanti de Cherubinis in Rota sub specie quatuor animalium alatorum, Aquilæ, Bouis, Hominis, atque Leonis; quum admodum Antiqui de Dijs hominiformibus, & aliorum animalium nonnullis similibus ad Legem, & ad multitudinis persuasionem agentes apud Aristotelem alij nulli fuisse videantur, præter Ezechielem, & Mosem. Ceterum intimius inspecta re, longe secus est sentiendum, si sequentia verba textus Aristotelici considerentur, & per ea explicentur, quæ superius de fabulis philosophicis attu-

d 12. meta. t. 50. lerat; etenim addit propositis illico: (d) *Quorum si quis solum primum separando accipiat, quod Deos arbitrabantur primas substantias esse, diuine profecto dictum putabit: & (vt verisimile est) sæpius quaque arte & Philosophia, quoad possibile fuit, inuenta corruptaque rursus, has illorum opiniones, quasi quasdam reliquias, nunc vsque saluatas esse.* Quare nomine fabularum Aristoteles appellat hic Antiquissimorum Philosophorum Scriptorumque sententias: At idem in

e 1. meta. cap. 2. hoc eodem opere prius (e) asseruit fabulas, quarum Philosophi primi fuerunt amatores, non fuisse falsa figmenta, sed admirabiles rerum cælestium, atque diuinarum enunciationes, hisce plane verbis: *Quod autem non factiua, etiam ex primis philosophantibus patet; propter admirationem enim & nunc & primo ceperunt homines philosophari: a principio quidem, admirando ea, qua de dubitandis faciliora erant; deinde paulatim vlterius procedentes, etiam de maioribus dubitando, vt de passionibus Luna, & eorum qua circa Solem, & stellas fiunt, ac de generatione Vniuersi. Qui vero dubitat, & admiratur, putat se ignorare; quare Philosophus amator fabularum quodammodo est, eo quod fabula ex admirandis constat. Quare si propter fugam ignorantia philosophati sunt, patet quod causa cognoscendi, & nullius vsus gratia, ipsum scire prosequebantur.* Quem locum explicans Alexander

f 1. meta. com. 15. Aphrodiseus ait, (f) *Adiecit autem (quapropter fabularum amator Philosophus quodammodo esse videtur) quoniam studet ea discere, qua ob ignorantiam sui sunt admiranda, propterea quod fabula ex admirandis & fidem non capientibus constituuntur. Qui autem propter admirationem aliquarum rerum conantur intelligere, ij philosophi sunt.* Quare fabularum nomine non fictos sermones Aristoteles alla-

to

to loco designat, sed admirandos, siue de rebus admirandis & sacris; vt etiam (g) Isocrates. At fabulas, quarum amator est Philosophus, esse veros sermones, ex eo constat aperte, quod Aristoteles ipse definit Philosophiam esse scientiam (h) veritatis contemplatricem; quod speculatiuæ finis vna sit veritas; vt practicæ finis est opus; ait enim, *Recte autem se habet Philosophiam scientiam veritatis contemplatricem appellasse; speculatiua enim finis veritas; practica autem opus*. Quare dum (i) superius ostendere satagens primam Philosophiam esse scientiam contemplatiuam, non autem practicam & actiuam, vtitur argumento desumpto ab eo quod Philosophus amator est fabularum, quæ constant ex admirandis circa cælestia fabularum nomine veros sermones designat de rebus admirabilibus, quarum causæ latent ac ignorantur. Sed quid alia loca persequor? non ne in hoc eodem contextu (k) proposito dicit Aristoteles ea, quæ *tradita sunt a maioribus, & admodum Antiquis, ac in fabulæ figura, posterioribus relicta, quod hi Dij sunt, & vniuersamque naturam diuinum continet*, esse verum sermonem, atque diuine dictum? ait enim de hoc primo veterum effato: *Quorum si quis ipsum solum primum separando accipiat, quod Deos arbitrabantur primas substantias esse, diuine profecto dictum putabit*: non ergo falso, sed vere dictum; quod proxime dixerat ab antiquis relictum posterioribus *in fabulæ figura*. Quod autem cetera monet ad multitudinis persuasionem, & ad legem, & ad vtilitatem hominum allata fuisse fabulose, hoc indicat metaphoras, & figuras, quibus Antiquiores vtebantur oportune; quo circa velatos Ezechielis tropos de Seraphinis humana forma, simul & Leonina, Bouina, & Aquilina, nomine fabulæ non reprehendit, sed aperte suspicit, atque suscipit Aristoteles; nam ista duo distingueus in textu scribit alia esse posteritati ab antiquissimis relicta in fabulæ figura, quod primæ substantiæ immateriales, vt puta personæ diuinæ a Mose descriptæ in Mundi genesi, (l) Dij sint, & quod Numen diuinum Vniuersam naturam (m) continet ac repleat; hoc Aristoteles accipit & laudat, tanquam (n) diuine dictum; nam & alibi scribit, Deum omnia (o) continere, Deumque sic esse in vniuerso, vt vicissim cuncta sint in (p) illo; Cetera vero fabulose, hoc est sub metaphoris ab Ezechiele, Prophetisque reliquis frequenter allata iam fuisse ad multitudinis persuasionem, quæ plurimum figuris moueri solet, & ad legem edocendam, & ad vtilitatis præsentis oportunitatem. Deinde vero si quis consideret ea, quæ protulit Aristoteles in Politicis, confirmans propriam sententiam de antiquitate dominij Regij supra Politias omnes alias, ex communi omnium consensu, quo Deos habere Regem ponebant, & vt formas humanas, ita etiam vitas & actiones; plane constituet Aristotelem non contradicere Mosi, de homine facto ad imaginem & similitudinem Dei; siquidem Aristoteles opinionem suam non probasset ex ijs, quæ putaret esse falsa; quin & communem omnium gentium consensum, & attestationem, procul a vero non abesse decernit inquiens, (q) *De Diuinatione vero, quæ in somnis fit, & dicitur accidere a somnijs, neque contempsisse facile, neque suasum esse: Nam quod omnes quidem vel plures existimant habere aliquam significationem somnia, præstat fidem, tanquam ab experientia dictum. Et quod de quibusdam sit diuinatio in somnijs, non est incredibile; habet*

g orat. ad Demonic.
h 2. meta. t.3.
i 1. meta. cap.2.
k 12. meta. t.50.
l Gen. 1. & 2.
m Sap. 1.
n 12. meta. t.50.
o de mund. c.7.
p 7. Polit. c.18.
q de diu. som. c.1.

A a enim

enim aliquam rationem. Ideo & de alijs somnijs similiter vtique quis arbitrabitur.
r in com. Nam vt ait D. Thomas, (r) *Impossibile est famosum esse falsum secundum totum.*
huius loci. Verba vero Philosophi de forma humana Deo attributa, sunt ipsissima:
s 1. polit. (s) *Quapropter primo sub Regibus ciuitates erant: nunc vero etiam gentes; nam ex*
c. 1. *his qui suberant regno, processerunt. Omnis autem domus regitur a seniore; quare*
& colonia inde propagata propter consanguinitatem. Et hoc est, quod inquit Home-
„ *rus: Iura dant singuli natis & vxoribus: sparsim namque etiam sic antiquitus ha-*
bitabant. Et Deos ob hoc ipsum putant cuncti Regem habere; quoniam & ipsi par-
tim nunc, partim antiquitus sub regibus degebant. Quemadmodum vero formas
humanas Dijs attribuunt homines, sic etiam vitas: Nimirum Aristoteles his
duplici ratione probat primum Imperij genus antiquitus fuisse Regium;
quarum prima est, quod imperia ciuilesque societates ortum habuerint ex
domestico regimine; prius etenim domus extitit, quam pagus, vel ciuitas;
at domesticum imperium plane regium fuit apud antiquos; etenim vnus
Odyss. 9. Paterfamilias veluti Rex imperabat omnibus domesticis; quod ex Homero
constat, afferente Cyclopas non in ciuitatibus, aut pagis habitantes, at vnus-
quisque seorsum cum propria familia, singulos maiores natu Iura dare soli-
tos filijs, & vxoribus; adeoque Regium imperium primitus exercuisse; vn-
de postea facile fuit homines in maiori societate pagi, vel ciuitatis, vnius
imperio parere, Regisque dominium sustinere. Secunda ratio est, quia per-
suasum fuit hominibus, Deos vt humanas habent formas & imagines, ita
consimiles humanis habere vitas, atque degentias; humanas vero formas
& imagines Dijs, hoc est Angelis, & Deo summo tribuisse videntur Pro-
u Genes. phetæ, (u) Mosesq. speciatim, qui Deum, & Angelos frequenter inducit ap-
passim. parentes sub humana specie (x) Abrahamo, (y) Lotho, (z) Iacobo, & alijs
x Gen. 18. (a) Patriarchis: Quum autem etiam Deos omnes antiqui viuere censerent
y cap. 19. sub imperio vnius Dei Maximi, qui foret omnium Deorum pater atque
z cap. 28. Rex; quod & ab Homero recepisse Philosophum (b) supra visum est; qui Io-
a Tobias 5 uem appellat Patrem hominum atque Deorum, dum ait: (c) *Filiorum autem*
b l. 1. cap. 3 *imperium est Regium: Quod enim genuit, quodque per amicitiam praest & per ata-*
c 1. pol. c. 8 *tem, id ipsum est idem quod species quadam regij Imperij: ideo bene Homerus de Ioue*
„ *inquit: Hominum pater atque Deorum: sic appellans horum omnium Regem. Na-*
tura enim excellere Regem oportet, genere autem esse eundem; quod accidit seniori ad
d cap. 1. *iuniorem, & parenti ad natum.* Quod autem Aristoteles ait (d) supra, homines
viuendi consuetudinem sub Rege priscis temporibus a Dijs acceptam retu-
lisse; colligit ex eo, quod ijdem veteres communi consensu Dijs humanam
formam attribuerint; quippe Deos humana forma sibi viderint apparuisse
frequenter. Dum igitur in præsentia probat Aristoteles, imperium regium
esse cunctarum politiarum antiquissimum, quia prisci sub Rege viuere con-
sueuissent, referentes hanc viuendi formam ad ipsos Deos, vt alia fere cuncta
facere consueuerunt; quod arbitrarentur Deos omnes sub vno Rege viuere;
taleque viuendi genus, hominibus consuetum ideo Dijs assignantes, quia si-
militer humanas formas ijsdem communi consensu dabant, persuasi maxi-
me ab apparitionibus Deorum sub humana specie: sed antiqui Deo Regis
e psl. 94. titulum tribuere passim edocti a sacris literis, vbi legitur: (e) *Quoniam Deus*
ma-

magnus, & Rex magnus super omnes Deos. & alibi: (*f*) *Exaltabo te Deus meus* *f* ps.144.
Rex: & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. & alio loco;
(*g*) *Dominus enim Iudex noster, Dominus Rex noster, Dominus legifer noster, ipse* *g* Isaiæ 33.
saluabit nos. & alibi: (*h*) *ait Rex, Dominus exercituum nomen eius: Prope est inte-* *h* Hiere.48
ritus Moab. & alio loco; (*i*) *Rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum* *i* Sopho. 3.
vltra. & alibi; (k) *Et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Domi-* k Zach. 14
nus vnus: & erit nomen eius vnum. & alibi; (*l*) *Rex Regum, & dominus domi-* *l* 1.Timo.6
nantium. & apud (*m*) psalmistam frequentissime Deus veneratur nomine Re- Apoc. 17.
gis. Dum inquam ita suam sententiam probat Aristoteles, iam hic non 19.
figmentum esse ponit, Deos hominiformes; at verum assertum, quo *m* ps.5.23.
vtitur ad suam sententiam comprobandam; & quod accipit a communi 28.43.44.
consensu vetustiorum omnium; quum neque sua dogmata probare debeat 46.83.97.
ex figmentis omnino falsis; nec existimet, in quo conueniunt omnes homines, esse falsum absolute. Quum igitur hæc eadem omnino sententia sit, qua nunc vtitur in (*n*) Politicis ad probandum suum placitum de vetustate Regni, quod hominiformes Dij sint, & sub vnius Regis potestate viuant, vt homines: & in (*o*) Metaphysicis asserit, Antiquos valde mortales opinatos fuisse, tradidisseque Deos esse hominiformes, fecisseque hoc ad multitudinis persuasionem, & ad legem, & ad eius, quod conferat opportunitatem; certo iam constat Aristotelem in Metaphysica fabulose dictum accipere, non pro ficto & falso, sed pro mirabili & sacro effato de rebus diuinis, vt paulo antea dictum est: Vniuersalem famam dicebat (*p*) Hesiodus, vt & Aristoteles, non esse contemnendam; Dei enim quædam vox esse censetur, qui mentiri neque scit, neque potest; quum sit summa Veritas. Verum enim vero si quis adhuc etiam contendat, Aristotelem hoc nomine fabularum intelligere sermones fictos, quos in antiquis illis reprobet (quod tamen concedendum non est) vt certo constat eum aperte consentire Sacræ Scripturæ ponenti Deum continere naturam vniuersam, & primas substantias esse diuinas; etenim legimus quod (*q*) *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum; & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis*: & Angelos passim appellari Deos; vt (*r*) antea late probatum fuit: Ita per Deos hominiformes, & aliorum animalium similes (si talia dicentes improbat) Gentilium Deos respuit, Ioues adulteros, Veneres mœchas, Mercurios fures, Anubim, Bouem, Ichneumones, & alios Ægyptiorum Deos; quæ bestiæ colebantur ob vtilitatem, quam afferebant multitudini. Ceterum prima sententia mihi potior est. Et vere diuinam imaginem, atque similitudinem in homine, propositam a Mose, non semel collaudauit Aristoteles. Quum enim quadruplici ratione valeat homo considerari, tum ratione corporis, tum ratione animæ, tum ratione compositi totius; tum etiam ratione propriarum operationum; quomodocunque dictus a Mose sit homo factus ad imaginem, & similitudinem Dei, siue secundum corpus, siue secundum animam, siue secundum totum compositum, siue secundum operationes proprias; profecto secundum ista quatuor similiter, habebit Aristotelem diuina scriptura semper laudatorem. etenim sub trium diuinarum nomine dicens (*f*) Moses: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vni-*

n 1.pol.c.1
o 12.meta. t.50.
p oper. & dies.
l.de diu. som.init.
q Sap.1.
r l.2.c.6.
f Gen.1.

Aa 2 *uer-*

uersaque terra, omnique reptili, quod mouetur in terra: Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum; masculum & feminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, &c. Et infra; (*) *Hic est liber generationis Adam.*

* cap.5.

In die qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, masculum & feminam fecit eos, & benedixit illis, &c. Quibus primum considero, quater mentionem fieri a Mose similitudinis & imaginis Dei, ad quam factus est homo; proindeque significari similitudinem & imaginem istam consistere in vnitate diuinæ naturæ ac essentiæ tribus distinctis personis habita, quæ repræsentetur in hominis anima, corpore, toto composito, proprijsque functionibus. Deinde considero similitudinem & imaginem istam consistere potissimum in repletione terræ, ac in Dominio, possessioneque totius mundi corporei, cunctarumque creaturarum corporearum; quarum Deus est Dominus per naturam, homo vero per donum Dei. Deus quidem per naturam; vnde per excellentiam appellatur Adonai; de quo nomine Glossographus ait; (t) *Adonai, vnum de decem nominibus apud Hebræos significans, quod omni creaturæ dominetur. Et notandum, quod vbicunque bis ponitur Dominus, primum nomen tetragrammaton est, & proprie ad Deum pertinet: secundum commune, quod conuenit hominibus. Et bene Adonai dominus Filius Dei dicitur: quia Deus & homo, dominus & Deus, quod omnibus dominetur, vel ab omnibus timeatur.* Et Suidas; *Adonai vocabulum est quod pronunciatur Hebraice: significat autem dominum; quod epithetum hominibus quidem sæpe tribuitur; sed ipsi Deo per excellentiam: Ille enim re-uera est rerum dominus: ille reuera est dominus dominorum.* Et post Burgensem Rhodiginus, (x) *Iam apud Hebræorum gentem celebre est quatuor vocalium Dei sacrum nomen, quod inde Tetragrammaton dicunt,* Iehouah, *& alia voce exprimitur, quæ Adonai est, quæ apud eos tamen A D N I scribitur; significat autem dominum nostrum.* sed explicatius ex Burgense dixero: "Dei nomen tetragrammaton principale nunquam ab Hebræis pronunciatur, prout in litera eorum iacet; proferri tamen potest Iehouah; vnde & Iouem dixere pagani; sed loco illius, vbicunque in Sacra Scriptura ponitur, proferunt dicentes Adonai, quod est aliud nomen diuinum compositum ex quatuor literis; quæ quidem quatuor literæ sic in Hebræo syllabizantur, quod propria nominis ex eis compositi pronunciatio est Adonai; quod quidem nomen Adonai signat plane dominium, &c. Itaque Moses imaginem Dei posuit in homine quantum ad omnium rerum corporearum dominium; quarum Deus & dominus per naturam, & homo per donum Dei: Quin & similitudinem Dei posuit etiam in homine quantum ad repletionem orbis terrarum; quia sicuti (y) *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*; nimirum Deus immensa maiestate sua continet omnia, & infinita Essentia sua repleuit orbem terrarum: ita homo concessione (z) iussioneque Dei multiplicatus, terram vniuersam populis ab se genitis habitatione repleuit. Quam imaginem & similitudinem Dei coluit Aristoteles in homine;

t Iudith c.16.

Exod. 3. & 6.

x l.22.c.9.

y Sap.1.

z Gen.1.

ne; similitudinem quidem quantum ad repletionem orbis terrarum, dicens:
(*a*) *Patet autem sic esse, quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in* a 7. eud. 14
illo: mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine. Rationis autem non ra-
tio, sed præstantius est principium: Quid autem scientia præstantius est, nisi Deus?
Hominem autem habitatione totam replere terram, non ignorauit Aristote-
les, & aperte professus est, dum ait; *Apparet Sol vnius pedis; persuasum autem* b 2. de an.
est eum maiorem esse habitata; per habitatam intelligens vniuersam terram, t. 159.
qua Sol maior est. Quin etiam dum late (*c*) demonstrat vniuersum telluris c 1. meteo.
ambitum ab hominibus per vices habitari. Sed & imaginem Dei quantum su 4. c. 2.
ad rerum omnium dominium, quam post Mosem in homine potuit aperte d ps. 8.
(*d*) Dauid inquiens; *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen suum*
in vniuersa terra! Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos. Quoniam
videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti.
Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Mi-
nuisti eum paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti
eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & bo-
ues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cæli, & pisces maris, qui perambu-
lant semitas maris. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in
vniuersa terra! In quo dominio rerum imaginem Dei maxime hominem
habere, notat apte Genebrardus, inquiens: *Gloria & honore coronasti*, deco- ,, cõ. ps. 8.
rasti proprijs gratijs, & donis singularibus, imagine, & similitudine tui, ,,
filiorum adoptione, vitæ beatæ & immortalis participatione, propria ,,
prouidentia, rerum dominio, &c. *Constituisti*; ad verb. *Dominare fecisti*; ,,
Dedisti ei potestatem super omnia tua opera. Si namque Deus est Dominus
vniuersorum; vnde proprio nomine dicitur *Adonai*; sic homo dominium
habet gratuitum sibi dono concessum a Deo rerum omnium, eo fere modo,
quo Deus; nimirum sub ratione finis, formalis, & effectricis causæ; ac om-
nino vt conditor, quod est attributum Patris Omnipotentis, omnium rerum
creatoris: & vt gubernator, & conseruator: quod est attributum Filij sub
ratione formæ; formæ namque proprium esse continere, atque conseruare
sæpe docuit (*) Aristoteles aperte; atque vt bonum, quod est ratio finis, & * 3. phys.
attributum Spiritus Sancti. Dubio procul Aristoteli Deus est omnium re- t. 67. 71.
rum Dominus vt finis, in quem omnia sunt ordinata; specialimque illa, quo- 4. phy. t. 35
rum homo (*f*) dominium a Deo recepit; etenim inter causas rerum natura- 4. cœl. t. 22.
lium Dominium ac *principatum sane illa obtinere videtur, quam sub hoc verbo,* 35.
cuius gratia significamus; hæc enim ratio est; ratio autem principium est pariter in 2. de an.
rebus tam arte, quam natura constituendis. Deum autem esse finem, in quem t. 39.
omnia sunt ordinata: & hominem pariter esse finem, cuius gratia sunt f 12. meta.
omnia; & in hoc hominem esse Deo similem, ac imaginem Dei habere, do- t. 52.
cet aperte Aristoteles aiens, (*h*) *Perscrutandum autem etiam hoc, quonam modo* g 1. de part.
natura Vniuersi habeat ipsum bonum, & ipsum optimum: Vtrum separatum quid- c. 1.
dam, & ipsum, an per se, an ipso ordine. An vtroque modo, quemadmodum exercitus; h 12. meta.
etenim bene esse eius in ordine, & Dux ipse est; ac magis ipse; non enim ipse propter t. 52.
ordinem, verum ordo propter ipsum. Cuncta autem coordinata quodammodo sunt;
verum non similiter & natantia, & volatilia, & plantæ. Nec ita se habent, vt sit

vl-

nullum alteri ad alterum, sed sunt ad quippiam; ad vnum namque coordinata sunt omnia. Verum, quemadmodum in domo liberis quidem minime licet quodcunque facere; sed ea omnia, aut plurima, quæ ordinata sunt: mancipijs vero, & bestijs, parum, quod ad commune conferat; sed vt plurimum quodcunque contingit (tale namque princi-
i tex.53. *pium cuiusque eorum natura est) Dico (i) autem pariformiter quod necesse est omnia in discrimen venire; & alia ita sunt, quibus omnia communicant ad Vniuersum.* Sic igitur Aristoteli Deus est vltimus finis, cuius gratia sunt omnia: Quum
k 2.phys. t.23. autem eidem ratio finis consistat in (k) bono, & optimo; quod est attributum Spiritus Sancti: similitudinem & imaginem illam Dei posuit Aristote-
l 2.phys. t.23.24. les euidenter in homine, dicens; (l) *Insuper eiusdem est id, cuius gratia, & finem, & quæcunque sunt horum gratia: natura autem finis est, & id cuius causa: Quocirca & poeta derisorie adductus est vt diceret: Habet finem, cuius quidem gratia factus est: vult enim non omne vltimum esse finem, sed optimum. Quoniam & faciunt artes materiam, & vtimur tanquam propter nos, omnibus quæ sunt; sumus etiam quodammodo & nos finis; dupliciter enim est id, cuius causa. Dictum est autem in ijs, qui de Philosophia* prima sermonibus. Itaque posuit Aristoteles, Deum sub ratione finis, qui est bonum & optimum Vniuersi, ad quem coordinata sunt omnia, dominium habere cunctarum rerum. Quæ ratio Dominij tertiæ personæ Diuinæ, Spiritui Sancto, qui Bonitatis attributum habet, appropriatur: Deoque similem ait hominem esse sub hac ratione, dum statuit nos esse quodammodo finem omnium rerum, qui vtimur omnibus quæcunque sunt, tanquam propter nos, & in vsum seruitiumque nostrum constituta conditaque fuerint. Insuper imperij, dominijque ratio competit etiam Deo sub ratione causæ formalis accepto; cuius causæ proprium est continere, conseruare, gubernareque subditam sibi materiam: quod attributum maxime competit secundæ personæ diuinæ, Filio Dei, qui Legislator est, & constitutus a Patre Iudex omnium, omniumque potestatem habens,
* in ps.5. & proprie Rex est vniuersorum. nam, vt ait optime (*) Genebrardus: *Regis nomen solet attribui Filio, potius quam Patri. Quamuis autem Dauid Rex esset in terris; Regem tamen & Dominum in cælis se habere asserit, cuius potestati sit subiectus: nempe Regem Regum & Dominum Dominantium.* Quam Dei pro-
m 12.meta. t.55. prietatem agnouit Aristoteles, & professus est, inquiens, (m) *Qui vero dicunt mathematicum numerum primum, & ita semper aliam attiguam substantiam, & alia cuiusque principia, inconspirantem Vniuersi substantiam faciunt (nihil enim altera alteri confert, siue sit, siue non sit) & principia multa. At entia nolunt male gubernari: non est bonum pluralitas principatuum; vnus ergo Princeps.* Quin &
n de mũd. c.2. alibi, (n) *Dicitur etiam aliter Mundus Ordo, & digestio Vniuersorum, quæ a Deo, &*
o cap.7. *per Deum asseruantur.* & infra, (o) *Nullamque naturam satis instructam esse posse, quæ citra Dei præsidium sua ipsa demum tutelæ permissa sit.* & mox, *etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, cum seruator est Deus, tum vero quæcunque* &c. Quum autem, præter Deum, nihil in mundo sit, quod proprie dominij iura exerceat in alia cuncta, ea gubernando, & regendo, nisi homo, qui tum homines, tum feras, tum etiam ventos, & alia inanimata dirigit & moderatur ad nutum suæ voluntatis; homo profecto Deo similis & in hoc ab
p ibid. Aristotele ponitur, post multa in eandem sententiam exarata, (p) *Vt vero sum-*

ſummatim iam loquamur, quod in naui gubernator eſt, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & Dux in exercitu, hoc Deus eſt in mundo. Niſi ſi hactenus intereſt, quod labor, & motus multiplex illos exercet, & cura anguſt varia; quum huic elaborata ſuccedant omnia, omnis moleſtiæ expertia, citraque corporis infirmitatem; quippe cui in loco ſtabili immotoque collocato, omnia mouere, & circumagere pro arbitrio liceat, quo libitum eſt cunque, & quomodo libitum eſt; idque diuerſis in formis ſimul atque naturis. Id autem ratione ſimili facit ille, atque lex ciuilis, quæ immobilis ipſa exiſtens in vtentium animis, regit omnia ad rempublicam pertinentia. Sic ergo ponit Ariſtoteles, hominem eſſe Deo ſimilem, & imaginem quandam Dei, ſpectati ſub ratione cauſæ formalis, mundum ſibi ſubditum continentis, conſeruantis, & apte gubernantis. Quæ ratio formæ maxime Chriſto competit, qui ſe Regem dicit non (q) politicum q Ioan. 18.
de hoc mundo, ab hominibus electum, ſed naturalem vniuerſorum a Deo Patre conſtitutum, qui omnem (r) poteſtatem dedit Filio; quum Deum r Matth. 28
Ariſtoteles (ſ) Regem omnium veneretur; namque Gubernator eſt forma ſ de mund.
naui aſſiſtens, item agitator forma currui aſſiſtens, ita præcentor forma cho- c. 7.
ri, lex forma ciuitatis, & Dux eſt forma exercitui aſſiſtens, qua ratione Deus 12. meta.
eſt (t) forma pariter vniuerſo mundo aſſiſtens, quem continet, conſeruat, t. 55.
& optime gubernat ſibi ſubiectum. Deinceps etiam Deus dominium habet t 12. meta.
vniuerſorum ſub ratione cauſæ effectricis; quod attributum maxime Deo t. 49.
Patri conuenit, cui per appropriationem Theologi tribuunt eſſe creatorem omnipotentem omnium rerum. Quod quidem attributum in Deo nouit
Ariſtoteles aſſerens, (*) *A tali principio, quod eſt primum mouens immobile, tum* * 12. meta.
cælum, tum natura dependet. & alibi, (u) *Etenim cunctorum, quæ rerum natura* t. 38.
continentur, cum ſeruator eſt Deus, tum vero quæcunque in hoc mundo quoque modo u de mũd.
perficiuntur, eorum omnium genitor eſt; non ſit tamen ipſe, vt opificis in morem, ani- c. 7.
malisque laſſitudinem ſentientis, labore affici poſſit; vt qui ea facultate vtatur, quæ nulli cedat difficultati; cuius ipſe vi facultatis omnia in poteſtate continet; hoc minus etiam quæ longius ab ipſo videntur eſſe ſubmota. & paulo antea Moſis hiſtoriam
accipiens dixerat, (x) *Vetus igitur ſermo eſt, a maioribusque proditus inter om-* x init. cap.
nes homines, Vniuerſa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta fuiſſe, atque coagmentata: Nimirum ſpeciali quadam ratione a Deo Patre creata, quum per Deum
Filium omnia facta (y) dicantur, in Magna Synodo. Et alio loco, (z) *Ho-* y Symb.
mo hominem generat: præter hæc item cuncta mouens, tanquam omnium primum. z 12. meta.
& adhuc alibi, (a) *Quod autem neceſſarium eſt eſſe aliquid, quod ſemper immobile* t. 24.
quidem ipſum ſit omni extranea mutatione, & ſimpliciter, & ſecundum accidens, mo- a 8. phyſ.
tiuum autem alterius, manifeſtum eſt conſiderantibus ſic: Sit autem, ſi quis velit, in t. 46.
quibuſdam contingens, vt ſit aliquando, & non ſit, ſine generatione & corruptione: Fortaſſis enim neceſſarium eſt, ſi quid impartibile aliquando quidem eſt, aliquando autem non eſt, ſine mutatione aliquando quidem eſſe, aliquando autem non eſſe omne tale: Et principiorum immobilium quidem, motiuorum autem, quædam aliquando quidem eſſe, aliquando autem non eſſe, contingat & hoc: Sed nequaquam omnia quidem poſſibile eſt. Manifeſtum enim eſt, quod cauſa quædam iis, quæ ipſa ſeipſa mouent, ineſt, vt aliquando quidem ſint, aliquando autem non ſint: Quod enim ipſum ſeipſum mouens eſt, omne neceſſe eſt magnitudinem habere, ſi nihil mouetur impartibile: id au-

tem.

tem; quod mouet, nulla necessitate est ex dictis. Vt igitur alia quidem generentur, alia vero corrumpantur, & hoc sit continue, nulla causa est immobilium quidem, non semper autem existensium: neque rursus eorum, quæ semper quidem hæc mouent, horum autem alia: Ipsius enim, quod semper est, & continui, neque vnumquodque ipsorum causa est, neque omnia: Nam sic se se habere perpetuum, & ex necessitate est,
b tex. 47. *Omnia autem infinita, & non simul omnia sunt.* (b) *Manifestum est igitur, quod quamuis decies millies aliqua principia immobilium quidem, mouentium autem, & multa eorum, quæ ipsa seipsa mouent, corrumpantur, alia vero insuper generentur, & hoc quidem immobile existens hoc mouet, alterum autem hoc: at nihilominus aliquid esse, quod continet; & hoc præter vnumquodque esse id, quod est causa vt alia quidem sint, alia vero non, & continuæ mutationis. Et hoc quidem his, hæc autem alijs causa motus sint.*
c tex. 48. (c) *Si igitur perpetuus motus est, perpetuum erit & mouens primum, si vnum est. sin vero plura, plura perpetua. Vnum autem magis quam multa, & finita, quam infinita oportet existimare. Eisdem enim accidentibus semper finita magis accipere oportet: in ijs enim quæ natura sunt, oportet finitum, & id, quod melius est, si contingat, esse magis. Sufficiens autem est, etiamsi vnum, quod, quum primum*
d tex. 49. *immobilium perpetuum sit, erit alijs principium motus.* (d) *Manifestum autem est ex hoc, quod necesse est esse aliquid vnum, & perpetuum primum mouens.* Quod autem hoc primum mouens Deus sit omnium rerum procreator, ait etiam Ari-
e 12. meta, stoteles alibi scribens, vt vidimus, (e) *A tali principio tum cælum, tum natura*
t. 38. *dependes*: Sic ergo Deus Aristoteli ponitur causa efficiens omnium effectuum,
f 2. phys. quæcunque producuntur in natura. Quum autem Ars (f) imitetur Natu-
t. 79. 80. 82 ram, vt ait Aristoteles non vno in loco: quumque solus homo sit opifex om-
de mũd. c. 6 nium effectuum artificialium (etenim ars generatim est habitus intellectus
7. eth. c. 17 humani solius, (g) Aristotele doctore) & vt opifex, est eorumdem domi-
g 6. eth. c. 3. nus: Iam ex Aristotele similitudo inter Deum & hominem ea intercedit,
& 4. quod vterque sub ratione causæ producentis est dominus omnium, omnibusque præest effectibus ab se productis. Consentit igitur Aristoteles Mosi
h Gen. 1. 5. scribenti, hominem factum esse ad imaginem, & similitudinem Dei, quia sub ratione finis, formæ, & efficientis causæ, dominium habet rerum omnium, sicuti Deus; at Deus independenter, ac per naturam: homo vero dependenter, ac ex dono Dei dominatur alijs rebus omnibus a Deo creatis. Quam quidem imaginem diuinitatis, in homine tetigisse videntur Diui
i Io. homil. in Gen. (i) Basilius, (k) Chrysostomus, atque (l) Nyssenus. Ceterum quum in Deo, præter personas, vna consideretur & sit natura diuina, & essentia communis
k in Gen. 1 indiuidua tribus personis: homo factus est ad imaginem & similitudinem
l homil. de Dei, non solum habita ratione trium personarum seorsum, sed etiam, vt ait
crea. hom. (m) D. Thomas, habita ratione essentiæ naturæque diuinæ, quæ vnica est in
m 1. p. q. 93 tribus personis. Essentiæ vero diuinæ attributum commune singulis personis indifferenter, est felicitas, & vita beata; quæ consistit in actione perfecta, tum actiua, qua Deus per voluntatem & ad intra seipsum amat, & ad extra cunctis dona gratiasque suas communicat: tum etiam contemplatiua, qua seipsum, & omnia comprehendit intelligens exactissime: de qua vtraque felicitate Moses agit, inquiens primum quidem de Deo, (n) *Vidit Deus cuncta,*
n Gen. 1. *quæ fecerat, & erant valde bona*: vidit esse bona per actionem intellectus con-

tem-

templatiui, quæ fecerat per actionem voluntatis ac intellectus practici; vnde constat de vtraque Dei felicitate: deinde vero de Homine dicens: *(o) Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum*; hoc est, vt exerceret opera felicitatis actiuæ. Quoniam vero felicitas contemplatiua, cuius capax est homo, duplex est; alia naturalis, quam viribus proprijs homo mortalis in hac vita sibi comparare potest; alia supernaturalis, quam non nisi Dei dono, & in alia vita potest homo sibi conquirere, quæ consistit in exacta cognitione veri, & summi boni, & eius amore, simul & in cognitione mali, & eius detestatione; qua cognitione felix homo fit, ac in æternum beatus, atque Deo similis maxime, iuxta illud: *(p) Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes*: Ne præsumeret homo per propriam virtutem, non ex dono Dei, felicitatem atque diuinitatem sibi comparare; propterea Deus *(q) præcepit ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientia boni & mali ne comedas: In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*. scilicet interdixit appetitum felicitatis contemplatiuæ soli Deo, & homini glorificato per Dei gratiam, conuenientis: ob quem appetitum inordinatum, quo prius Lucifer desiderauit virtute propria similis & æqualis esse Altissimo, deiectus fuerat e cælo in profundum inferni; sic homo de paradiso voluptatis *(s)* eiectus est in terram sibi tribulos & spinas germinantem; posteaquam morem gessit mulieri pomum vetitum ad vescendum porrigenti, quam dæmon sub specie serpentis; vt pote non habentem infusam a Deo scientiam, facile decepit, pollicitatione felicitatis contemplatiuæ soli fere Deo conuenienti, & hominibus ex Dei largitione post vitæ mortalis opera meritoria; dicens, *Nequaquam moriemini: scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri; & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*; Quam dæmonis fallaciam, & hominis inobedientiã, & arrogantiã exprobat Adamo Deus ironice paulo post inquiens; *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*. Sed *(t)* antea concesserat Adamo Deus felicitatem contemplatiuam, per scientiam infusam, homini tunc in terris degenti conuenientem. Quam quidem Adamum habuisse Moses ostendit asserens, *Formatis igitur dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius; Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ*; nimirum exercens operationem felicitatis contemplatiuæ, sibi a Deo concessæ, vt pote terreno mortalique homini conuenientis. Quam quidem similitudinem & imaginem Dei, per participationem felicitatis in homine perfecto, posuit Aristoteles aperte non vno in loco: primo quidem dicens, *(u)* Deum extra cælum optimam & beatam vitam agere per totam æternitatem; vt *(x)* antea satis ostensum fuit: deinde scribens, *(y) Si vero felicitas est ex virtute operatio; consentaneum est eam ex illa esse, quæ præstantissima est; hæc autem eius erit, quod est optimum. siue igitur id intellectus sit, siue aliud quippiam, quod sane secundum naturam videtur principatum obtinere, & præsidere, notionemque habere ac honestis & diuinis rebus: siue diuinum quoddam etiam ipsum sit; siue ex ijs, quæ in nobis sunt, diuinissimum; huius secundum propriam virtutem*

o Gen.2.
p ps.81.
q Gen.2.
r Isa.14.
s Gen.3.
t cap.2.
u 1. cæl. t 100.
x l.1.c.3.
y 10.ethic. c.7.

 ope-

operatio, perfecta felicitas esset: quam esse contemplatiuam dictum iam est. & infra,
x cap.8. *(x) Nam perfectam felicitatem contemplatiuam quandam operationem esse, constare vel inde possit, quod Deos maxime beatos & felices esse existimamus.* & mox; *Quare Dei operatio, quum beatitudine excellat, contemplatiua erit; & ex humanis ea erit felicissima, quæ huic maxime est cognata. Argumento illud est, quod cætera animalia, quæ tali operatione penitus carent, experti a felicitatis quoque sunt. Dijs enim beata tota vita est; hominibus autem eatenus, quatenus similitudo quædam eiusmodi operationis in ipsis inest: At cæterorum animalium nullum est felix; propterea quod contemplationis particeps nullo modo est. Quousque igitur protenditur contemplatio, eousque etiam felicitas se se extendit; & in quibuscunque magis inest contemplatio, ijs magis quoque inesse felicitatem constat; neque illam quidem non ex accidenti, sed ex ipsa contemplatione; ipsa enim per seipsam est pretiosa.* Et alibi de Deo
a 12.meta. sic ait Aristoteles, *(a) A tali ergo principio tum cælum, tum natura dependet.*
t.38. *(b) Degentia vero & vita, qualis nobis pauco tempore, optima illi est; siquidem ita*
b t.39. *semper illud est; nobis autem profecto id impossibile est* (vt semper vitam felicem agamus) *quoniam & delectatio actus huius est. & ob hoc vigilatio, sensus, intellectio maxime delectabile est; spes autem, ac memoria propter hæc. Ipsa vero intellectio secundum se eius est, quod secundum se optimum est: & quæ maxime est, eius quod maxime est. Seipsum vero intellectus intelligit assumptione intelligibilis; intelligibilis namque fit attingens & intelligens, ita vt idem intellectus & intelligibile sit. Susceptiuum enim intelligibilis & substantiæ intellectus est; operatur autem, habens. Quare illud magis, quam illud est in diuinum, quod intellectus videtur habere; & speculatio optimum, & maxime delectabile est. Si igitur ita bene se habet Deus semper, vt nos aliquando, admirabile est; quod si magis* (intensiue scilicet) *adhuc admirabilius est: at ita se habet. Ceterum vita quoque profecto inexistit; siquidem intellectus operatio vita est: ille vero est actus: actus vero per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum sempiternum optimumque viuens esse: Quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo inest; hoc enim Deus est.* Itaque Deo similem esse ponit Aristoteles hominem in participatione felicitatis contemplatiuæ, licet in Deo ponat illam æternam, & optimam: in homine vero non æternam, & non ita perfectam, ac intensam. De similitudine quoque felicitatis actiuæ in Deo & homine, satis antea vidimus Aristotelem
c de mund. egisse, qui Deum (c) posuit, optime mundum gubernare, sicuti Gubernator
c.7. optimus nauem, Auriga currum, Rex populum, Dux exercitum, Præcentor
12.meta.t. chorum, Lex ciuitatem, Paterfamilias familiam. Istam autem similitudi-
52 & seqq. nem hominis cum Deo concedit Aristoteles homini soli perfectam ætatem habenti, qua conditus fuit Adamus; nam eam interdicit pueris, bestijs, &
d 2. phys. alijs omnibus infra hominem, dicens, *(d) Quocirca necesse est circa agenda*
t.58.59. *esse fortunam. Signum autem est, quoniam videtur vel idem esse cum felicitate prospera fortuna, aut prope; felicitas autem actio quædam est; est enim bona actio. Quare quibuscunque non contingit agere, ijs neque a fortuna aliquid facere continget. Ob idque neque inanimatorum quippiam, neque puerulus quicquam facit a fortuna. quoniam non habent electionem; neque prospera fortuna, neque infortunium his inest, nisi secundum similitudinem: vt dixit Protarchus fortunatos esse lapides, ex quibus*
* 1.ethi.c.9 *sunt Aræ, quod honorentur, copulati autem cum his conculcentur.* & alibi (*) quo-

que

que pueris interdicit felicitatem. Quam quidem imaginem atque similitudinem Dei, propter capacitatem, atque participationem felicitatis, in homine posuit etiam Gregorius Nyssenus inquiens, (e) *Homo eo factus est ad imaginem Dei, quod factus est omnis boni capax; bonitatis enim plenitudo diuinitas est.* Sic igitur Aristoteles Mosi consentit aperte, dicenti Deum fecisse hominem ad imaginem & similitudinem suam, considerando hominem prout est compositum totum ex anima & corpore constitutum. Deinde vero si velimus, Mosem istam imaginem & similitudinem Dei posuisse in homine potius quantum ad animam spectato; sicuti multi Sanctorum Patrum existimauere; nihilominus Aristotelem habebit auscultatorem & consentientem; etenim si, vt recte (f) D. Thomas, dicamus, *In homine esse imaginem Dei & quantum ad naturam diuinam, & quantum ad trinitatem personarum; nam & in ipso Deo in tribus personis vna existit natura*: sic apud (g) Aristotelem tres animæ partes, vegeta, sensualis, & rationalis, coeunt in vnam animam humanam; vt latius ostendimus (h) alibi: in qua quidem natura animæ humanæ pars vegetalis, quæ ab Aristotele (i) prima anima dicitur, & principium generatiuum rei similis generanti, non inepte correspondet primæ personæ, quæ Pater est, & generat Filium sibi simillimum: Pars vero sensualis animæ, quæ (k) secundo loco aduenit conceptui, & constituit in esse (l) carnem, ac omnino corpus (m) passibile, vt ait Aristoteles; repræsentat secundam personam, Verbum scilicet, quod (n) caro factum est, & passibilem naturam assumpsit: Pars demum animæ tertia, quæ dicitur Mens (o) vltimo loco forinsecus adueniens humano fœtui, similitudinem obtinet personæ tertiæ, Spiritus Sancti, qui cælitus vltimo superuenit Apostolis, quos (p) erudiuit omni doctrina & sapientia. Quin & in anima rationali posuit (q) Aristoteles Intellectum agentem, Intellectum possibilem, atque Voluntatem, in vna essentia tres potentias assignans; quæ tria censuit identificari prorsus cum eadem animæ substantia, distingui solum ab inuicem ratione formali, & operationibus, vt longe lateque dudum ostendimus in opere De Intellectu (r) Agente; quorum intellectus agens, quem dicit (s) Aristoteles omnia facere, similitudinem habet cum Deo Patre, quem (t) factorem omnium adoramus: Intellectus vero possibilis, qui & passibilis appellatur, atque (u) passiuus, ponitur que corruptibilis ab Aristotele; diciturque omnia (x) fieri; repræsentat apte personam Filij, qui factus est homo, proindeque omnia, quum in homine tanquam in paruo (y) Mundo, contineantur omnia, scilicet omnium rerum gradus vniuersi; & factus est passibilis, atque mortalis. Voluntas autem, quæ sedes Amoris est recti, digne repræsentat personam tertiam Spiritus Sancti, qui essentialiter est Amor optimus. Quam quidem animam intellectiuam in homine reperiri, sicuti Deus inest in Mundo causa totius, aperte decernit Aristoteles accipiens dictum Hermotimi, dum ait, (z) *Quare qui vt animalibus, ita in Natura intellectum esse causam mundi, totiusque ordinis, dixerat, quasi sobrius comparatus ad Antiquiores vana dicentes, apparuit.* Memoriam vero, passim ad hanc similitudinem diuinam introduci solitam, exclusimus; quod ea non sit animæ potentia, neque pars, ast habitus, vt late docuit (a) Aristoteles, adeoque non sit cum intellectu & voluntate comparanda;

- e Hexam.
- f 1. q. 93.
- g 2. de gen. an. c. 3. 4.
- h 2. de ort. an. hu. c. 1.
- i 2. de an. t. 34.
- k 2 de gen. an. c. 3.
- l ibid. c. 4.
- m 7. phys. t. 20.
- n Ioan. 1.
- o 2 de gen. an. c. 3.
- p Act. 2.
- q 3. de an. t. 17. 18. 48 & seqq.
- r l. 5. a cap. 13. ad 33.
- s 3. de an. t. 18.
- t symbol.
- u 3. de an. t. 20.
- x ibid. t. 18.
- y 8. phy. 17
- z 1. meta. su. 2. c. 2.
- a de mem. & rem.

b 7. phys. siquidem comparatio fieri debet inter ea, quæ sunt eiusdem ordinis, ac (b) spe-
t. 24. ciei, doctore Philosopho. Ista quidem ex Aristotele demonstrant in hominis anima similitudinē & imaginem Dei quoad trinitatem personarum. Sed tamen in Aristotelis doctrina non desunt, quæ confirment hoc idem quoad vnitatem essentiæ diuinæ speciatim, prout est communis indifferenter tribus personis; etenim essentiæ diuinæ proprium est, beatos, & felices reddere simpliciter felicitatē contemplatiua pariter & actiua cunctas creaturas rationales in Patria cælesti: Quum Aristoteles asserat homines in hac vita mortali ab intellectu proprio sortiri felicitatem & contemplatiuam, qua Deo similes efficiuntur; & actiuam etiam, qua Deo chari redduntur, eo quod perficiant suum intellectum, qui res est Deo maxime cognata, & congeneissima, proindeque res in homine simillima Deo, & imago Dei. Verba philosophi clara sunt, primo quidem de felicitate contemplatiua tractantis, præter superius
c 10. ethic. allata, (c) *Existimamusque oportere voluptatem felicitati esse admistam; iucundis-*
c. 7. *sima autem ex virtutis operationibus ea profecto dulcis est, quæ secundum sapientiam fit. Philosophia ergo mirabiles habere & puritate & nobilitate voluptates videtur. Consentaneum autem est scientibus, quam quærentibus, iucundiorem vitæ traductionem esse. tum sufficientia quæ dicitur in contemplatiua maxime est.* & mox, *Sapiens vero etiamsi per seipsum sit, contemplari potest; atque id tanto magis, quanto sapientior fuerit: melius quidem fortasse, si adiutores habeat; sufficientissimus tamen ipse est. Sola præterea ipsa per seipsam amari videtur; quippe quum ex ea præterquam quod contemplatus fuerit quispiam, eueniat nihil.* & paulo post, *Si igitur ex actionibus, quæ secundum virtutem sunt, bellicæ & ciuiles pulchritudine, & magnitudine excellunt, atque hæ negociosæ sunt, finemque quendam appetunt, & non per se sunt expetendæ: intellectus vero operatio tum studio præstare, quum contemplatiua sit; tum appetere præter seipsam finem nullum videtur, habereque voluptatem propriam, quæ operationem ipsam auget: & sufficientia quoque, & ociositas, & indefatigabilitas, vt fere humana, & quæcunque alia beato attribuuntur, ex hac operatione videntur existere; perfecta sane felicitas hæc hominis est, vbi vitæ longitudinem perfectam est nacta: nihil enim eorum, quæ sunt felicitatis, imperfectum est. At talis quidem vita præstantior esset, quam homini conueniat; non enim quatenus homo est, ita viuet; sed quatenus diuinum quid in ipso inest. Quanto autem id præstat composito, tanto quoque eius operatio ab operatione distat, quæ ex alia virtute existit. Si igitur intellectus diuinum quid est, si ad hominem respiciamus: sic etiam vita, quæ ex intellectu traducitur, si humanæ vitæ comparetur, diuina etiam ipsa est. Neque vero oportet, quemadmodum nonnulli monent, vnumquemque, quum sit homo, humana: & quum sit mortalis, cogitare mortalia; sed quatenus licet, immortalem se reddere, omniaque efficere, vt ex præstantissimo omnium quæ in ipso est, vitam traducat; nam licet id mole sit paruum, vi tamen & pretio omnia longo interuallo excellit. Id autem esse etiam vnusquisque videretur; si quidem præcipuum, & melius est. Quocirca absurdum esset, si non suam quisque, sed alicuius alterius vitam expeteret. Quodque dictum superius est, nunc etiam conueniet; quod enim natura vniuscuiusque est accommodatum, id præstantissimum, ac iucundissimum vnicuique est: ergo & homini vita, quæ ex intellectu traducitur; siquidem maxime id homo est. Hæc igitur etiam felicissima*
d cap. 8. *est.* & infra, (d) *At qui ex intellectu operatur, huncque excolit, atque optime afficit,*

is

is Deo carissimus videtur; nam si aliquam humanarum rerum curam Dij habent, sicuti videtur; consentaneum est ipsos re illa, quæ optima est, atque ipsis maxime cognata, delectari; qui est intellectus; eosque, qui eam maxime amant, & honorant, remunerari; utpote qui eorum, quæ ipsis sunt amica, curam habeant; recteque, & honeste agant. Hæc autem omnia sapienti maxime inesse, obscurum non est; is igitur Deo carissimus. Eundemque esse etiam felicissimum, verisimile est. Quare ita quoque efficitur, vt sapiens maxime felix sit. Itaque mirifice probat Aristoteles, in homine reperiri similitudinem & imaginem Dei, quia humanus intellectus non solum est quid diuinum in nobis, & res Deo maxime cognata, & congeneissima, vt inquit; sed etiam hominibus operatione propria felicitatem humanam elargitur in hac vita mortali tam actiuam, quam contemplatiuam: Quum Dei operatio sit, in alia vita probos homines beatos atque felices reddere tum felicitate contemplatiua per claram Dei visionem, & in Deo comprehensionem exactam rerum aliarum omnium, tanquam effectuum in sua causa principalissima: tum beatitate pariter actiua, per fruitionem, dilectionem, glorificationemque perennem diuinæ bonitatis & essentiæ beatificæ. Præterea vero si consideretur homo quantum ad corpus animæ subiectum, in eo sane diuinam imaginem aperte Philo posuit agens de Mundi opificio verbis ipsissimis, *Non ex quauis terræ parte humo sumpta videtur Deus hanc humanam speciem statuam formare voluisse summa cum diligentia, sed selecta undecunque optima, & ex pura materia ad id quod inerat purissimum excolasse accurate, quod maxime ad hoc opus aptum erat: Domus enim quædam, aut templum sacratum fabricabatur rationali animæ quam illa diuina imago circumferre debebat.* Nec Aristoteles illam sententiam neglexit, sed aperte coloisse videtur. Profecto nec Aristoteles, nec ipse Philo posuit imaginem Dei, sicut Anthropomorphitæ veteres hæretici ponebant, in substantia corporis, & in exteriori figura, & in membrorum numero, censentes Deum esse corpus humanorum membrorum effigie circumscriptum: sed Aristoteles atque Philo posuerunt imaginem Dei potissimum in trium principalium partium, corporis humani naturam integrantium essentialiter ac necessario, habitudine ad se inuicem in constitutione hominis; hæ vero partes aliæ nullæ sunt, quam caput, thorax, & abdomen, in erectam figuram inuicem compositæ; in his enim humani corporis totius integritas essentialis maxime consistit; quum crura, & brachia cum manibus & pedibus adiunctis, artuum nomine designata, sint potius partes ad bene esse corpori datæ, quam ad esse simpliciter; & processus potius, ac appendices vtiles ad operandum, quam partes illi necessariæ penitus ad existendum; & partes perfectionis potius, quam constitutionis & integritatis essentialis; quum sine brachijs, & pedibus atque cruribus homo viuere valeat diutius; vt ait (*) Aristoteles; & ego multos vidi iam homines brachijs, cruribusque carentes tam a natiuitate, quam post ortum, diu vixisse, ac essentiam humanam habuisse. Quum itaque Deus & in se consideratus valeat, quod *ad intra* dicitur a Theologis, & communicatus, siue participatus a creaturis, quod *ad extra* vocatur a Scholasticis; plane Dei secundum se spectati corpus humanum est imago quoad tres partes principales illas atque necessarias, caput, pectus, & abdomen; at vero Deum operan-

* 3. de par. cap. 4.

rantem ad extra referunt humani corporis artus. Profecto primum vt explicemus, abstrahendo ab his partibus minus principalibus, & ad hominis essentiam non omnino necessarijs, habitaque ratione maxime partium præcipuarum, & essentiæ corporis humani necessariarum, Moses Deum in se considerans trinum & vnum, ait Hominem factum ad imaginem & similitudinem Dei, semper (e) indicans trinitatem personarum in vnitate naturæ, verbis illis, *Et vidit Deus quod esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* & mox, *& creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam; ad imaginem Dei creauit illum.* & infra, (f) *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum:* ironice damnans eius inordinatum appetitum, quo peresum pomi desiderauit fieri Deo æqualis, atque similis, non ex dono Dei, sed vi ac opere suo proprio. Philoque Mosi consentiens (g) inquit, humanum corpus esse diuinam imaginem a Deo fabricatam, quæ circumferre debebat animam rationalem: Nimirum accepit humanum corpus erectum, ad brutorum animalium omnium discrimen, quæ prona sunt corpora, non erecta, sicuti pulchre cecinit (h) Ouidius apte describens Mundi genesim, inter falsa verum hoc ponens,

e Gen. 1.
f cap. 3.
g de mūdi opificio.
h 1. meta.

Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit: cælumque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

In quo quidem humano corpore Philo cum Mose nouit inesse diuinam imaginem, quia vidit supremum caput cum imo abdomine medij thoracis nexu copulari essentialiter in vnum hominem; consideravitque caput cerebrum continere, principium intellectionis & motus omnis cum Platone, cuius est assecla perpetuus; vt apud omnes audiamus in litterario mundo, *aut Philo Platonizat, aut Plato Philonizat*: Platone dicente, (i) *Principio Dij figuram capitis ad rotundi natam mundi finxere, in eoque duos illos animæ diuinos circuitus statuerunt. Est autem caput membrum diuinissimum, reliquorumque membrorum princeps: cui totum corpus connexum Dij subesse, & parere iusserunt.* Animaduertit etiam abdomen continere viscera dicata generationi prolis, vterumque præsertim: Considerauit itidem thoracem, connectentem caput cum abdomine, vicissimque abdomen cum capite, continere spirationi dicatos pulmones, & cor fontem caloris ignei, per vniuersum corpus cum impetu discurrentis, vt ait in Timæo Plato: simul & sedem amoris, atque voluntatis, vt (k) asserit Aristoteles, omnes affectus animæ ponens in corde. Cum igitur animaduerterit in humano corpore Moses, atque Philo, tres istas partes præcipuas & maximas, caput, pectus, & abdomen, realiter inter se distinctas, ita in vnius corporis essentiam substantiamque coalescere penitus, vt proprijs attributis vnum Deum tribus personis distinctis adorandum apte referrent; optime dixit humanum corpus esse diuinam imaginem ex humo factam, quæ circumferret animam rationalem. Etenim caput repræsentat aptissime Deum Patrem, qui per appropriationem dicitur (l) Altissimus, cuique Filius subest atque paret, simul & Spiritus Sanctus ab eo (m) missus, æterni Patris (n) iussa capessens: Abdomen autem Filium Deum, a Patre genitum ex (o) vtero, nimirum ex intima sui substantia,

i in Timæo.
k 2. de par. c. 1. & 4. 3. de part. c. 3. & 4.
l Luc. 1. D. Bonau. 3. sent. d. 3. du. 2.
m Ioan. 14
n Ioan. 10.
o psal. 109.

men-

menteque fecunda, belle repræsentat: Thorax vero medium; Spiritum Sanctum, ardore charitatis designatum, pulcherrime refert. Et vt caput, thorax, & abdomen, tres partes omnino sunt, ab inuicem distinctæ quidem, sed tamen vnicum sunt corpus humanum, non tria humana corpora; sic vnus omnino Deus est, in tribus distinctis personis consistens, Patre, Filio, Spiritu Sancto, qui tres Dij non sunt, sed vnus Deus tantum. Et vt in humano corpore suprema pars caput cum infimo abdomine coniungitur per medium thoracem; ita prorsus in Deo, Pater cum Filio dicitur vniri per nexum Spiritus Sancti, qui est Amor, quo Pater Filium diligit, & Filius Patrem; vt ait D. Augustinus ita, (p) *Spiritus Sanctus secundum scripturas diuinas nec Patris solius est, nec Filij solius, sed amborum; & ideo communem, qua inuicem se diligunt Pater & Filius; nobis insinuat charitatem.* & antea, (q) *Spiritus Sanctus in eadem vnitate substantiæ, & æqualitate consistit; siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue charitas; siue ideo vnitas quia charitas, & ideo charitas quia vnitas; manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat; sintque non participatione, sed essentia sua; neque dono superioris alicuius, sed suo proprio, seruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Vnde D. Bonauentura; (r) *Pater, & Filius vnica Persona vniuntur, sicut Persona Spiritus Sancti, quæ est Amor, & vinculum nectens.* Quum igitur humanum corpus tribus membris necessario sit integratum essentialiter, supremo capite, imo abdomine, ac medio thorace, coniungente caput & abdomen in vnicum corpus hominis; ita similiter essentia Diuina tribus Personis vniuersa continetur, quarum prima Pater Omnipotens, (f) Altissimus appellatus, principium omnium relationum, & productionum est: cui correspondet in humano corpore caput, altissima pars, omnium suprema, continens in se principium motus omnis, sensus, & intellectionis, ob cerebrum, cui (t) Plato, nunquam non a Philone secutus, vim sentiendi & intelligendi, mouendique primario simul, & intellectricis animæ proprium domicilium assignauit; quum Deus Pater dicatur ab æterno per intellectionem e mente sua fecunda Filium Deum generare. Secunda Persona Diuina Filius est, ex fecunda mente Patris per æternam intellectionem genitus: cui proportione correspondet abdomen, in quo locus est generationis prolis, & vterus; quum de Filio suo dicat ipse Pater, (u) *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Quum ea quoque ratione venter imus apte signare videatur Filium Dei, quia de cælo descendit in vterum (†) Virginis, in qua factus est homo; & post mortem etiam descendit ad inferos, toto triduo manens in (*) ventre terræ, sicut olim Ionas in ventre ceti. Persona tertia inter Diuinas est Spiritus Sanctus; cui recte correspondet thorax, coniungens caput cum abdomine, principium cum fine, summum cum imo corporis humani; quo quidem in thorace cor inest, spiritus vitalis autor, & amoris propria sedes, vt ait Canticorum diuinorum scriptor, (x) *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* D. Paulus etiam, (y) *Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde;* hoc est, vt ait Interlinearis, *in intimo affectu charitatis:* & D. Thomas illam sententiam enucleans; qui clarius alibi, (z) *Spiritus Sanctus dicitur esse nexus Patris & Filij*

p 15. de Trin. c. 17.
q l. 6. c. 5.
r 1. se. d. 10. du. q.
f Luc. 1. Isai. 14.
D. Bonau. 3. se. di. 3. du. 2.
t in Timæo
u psal. 109.
† Isai. 7.
* Ion. 2. Math. 12.
x cap. 4.
y Phil. 1.
z 12. q. 28. 1. ad 6.

Filij in quantum est amor; quia quum Pater amet vnica dilectione se & Filium, & e conuerso; importatur in Spiritu Sancto (prout est amor) habitudo Patris ad Filium, & e conuerso, vt amantis ad amatum. Sed ex hoc ipso, quod Pater & Filius se mutuo amant, oportet quod mutuus amor, qui est Spiritus Sanctus, ab vtroque procedat. Secundum igitur originem Spiritus Sanctus non est medius, sed tertia in Trinitate persona; secundum vero predictam habitudinem est medius nexus duorum, ab vtroque procedens. Qua ratione Spiritui Sancto cor, atque thorax apte correspondet; amor enim medius est inter amantem & amatum, vt inter duo extrema similia; & est tertium quid inter illa duo se secundum originem priora. Quin & ea quoque ratione Spiritui Sancto pectus atque cor idonea correspondet analogia, quia pectus est spirationi dicatum, & in eo cor est viscus calidissimum, fons caloris innati, feruidus adeo, vt (a) Galenus asserat, cor quasi ignis quendam focum animalia sortita esse; digitumque immissum adurere: spiritumque vitalem calidissimum transmittere ad omnes partes humani corporis, paruique mundi: Quum similiter Spiritus Sanctus immensæ charitatis ardor, ignis vocabulo designetur a Christo Domino, dicente, (b) *Ignem veni mittere in terram*, idest, in cor fidelium; *quid volo nisi vt accendatur* cor hominum dilectione intensissima Dei, & proximi? Et Apostolis, quos omni (c) doctrina cumulauit, atque repleuit, apparuisse dicitur sub specie linguarum ignis. Itaque thorax, venter medius, vniens extremos, in quo calor est igneus, qui spiritu vitali nixus diffunditur in vniuersum corpus, apte correspondet Spiritui Sancto, qui charitatis ardor est immensus inter Patrem & Filium, ambos vniens in vnum, a quo missus est in orbem vniuersum, replens omnium fidelium corda vitalis ignis ardore spirituali. Quæ quidem similitudo & imago Dei sic inest in humano corpore, vt non inueniatur in vllo corpore bruti; nam etsi bruta tres istos ventres obtineant, inuicem coniunctos, caput nimirum cum abdomine iunctum per intermedium thoracem; quia tamen intelligendi facultate non pollent: nec amorem voluntatis affectum obtinent: nec figuram corporis erectam, qua caput altior thorace sit, & qua caput principij rationem habeat, & abdomen finis; ideo corporis eorum constitutio facta non est ad imaginem & similitudinem Dei, sicuti constitutio corporis humani. Propositæ vero doctrinæ nunquam reclamat, sed mirifice consentit Aristoteles tum de Deo loquens, tum etiam de humano corpore: de Deo quidem inquiens, (d) *Enimvero Deus (vt est vetusto verbo proditum) principium, & finem, & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille quidem secundum naturam, e vestigio comitem habens Iustitiam præsidem.* Quare Deus imaginem atque similitudinem sui tenet in humano corpore recto, cuius principium caput est, finis venter imus, medium thorax, & alibi, (e) *Mouet autem* Deus *hoc modo: concupiscibile, & intelligibile mouet non motum; horum autem prima eadem sunt: desiderabile namque, quod apparet bonum; primum vero voluntate affectabile, quod est bonum; magis vero appetimus quia videtur quam videtur quia appetimus. (f) Principium enim intellectio. At intellectus ab intelligibili mouetur. Intelligibile vero alter ordo est, qui per seipsum est, & huius substantia prima, atque huius ea quæ simplex, & secundum actum est. Est autem vnum, & simplex non idem; siquidem vnum significat*

a de fœt. for. c. 3. de vt. resp. c. 2.
b Luc. 12.
c Act. 2.
d de mun. c. 7. f.
e 12. meta. t. 36.
f tex. 37.

eat mensuram, simplex vero quomodo se habeat ipsum. At vero bonum quoque, & quod per se eligibile est, in eodem ordine sunt; & semper primum est optimum, aut proportionale. Quod vero cuius gratia in immobilibus sit, ipsa diuisio manifestat; est enim id cuius gratia alicui eorum, quorum hoc quidem est, hoc vero non est; mouet itaque vt quod amatur; quod mouetur autem, cetera mouet. & mox, (g) *A tali ergo principio tum cælum, tum natura dependet.* Quibus Aristoteles fatetur, Deum vnicum esse, simul & in vna essentia simplici esse tum quod intelligit, tum quod amat, tum etiam quod omnia mouet: sane per appropriationem Pater intelligit, & per intellectionem genitum a se Filium amat: Filius Patrem simul amat sui genitorem: Qui Amor Spiritus Sanctus est, cetera mouens, atque per appropriationem gubernat orbem terrarum replens, & omnia continens; qui dudum a Mose dictus est, quod *ferebatur super aquas*, & *in principio creauit cælum & terram.* De homine vero quantum ad corpus Dei similitudinem & imaginem gerente, non obscure sæpe loquitur antea dictis consentiens Aristoteles; ait enim primo, (i) *Quæ autem vna cum vita sensu etiam prædita sunt, hæc speciem multiformiorem, numerosioremque varietatem recipiunt; atque inter ea ex alijs alia magis; & eo amplius, quod non solum viuendi, sed etiam bene viuendi rationem natura eorum obtineat: quale hominum genus est; quippe quod aut vnum ex omnibus animalibus nobis cognitis diuinitatis particeps sit, aut omnium maxime. Itaque tum ob eam rem, tum etiam quod exteriorum eius partium forma notissima est, primum de homine differendum censemus. Iam enim partes etiam naturales hominis vnius secundum naturam dispositæ sunt; quandoquidem partem superiorem ad Vniuersi supremum erectam obtinet; solus enim animalium homo erectus incedit.* Et (k) inferius; *In quadrupedibus a collo & capite crura priora, pectusque habentur; sed homo vice pedum priorum brachia, & quas manus dicimus, habet. Solus enim animalium omnium erectus est; quoniam eius natura, atque substantia diuina est; officium autem diuini est intelligere; quod non facile esset, si vasta corporis moles assideret; pondus enim tardiorem reddit & mentem, & sensum communem. Quamobrem concretione, & pondere grauiore opprimente, corpora vergere in terram necesse est. Itaque natura tute consulens, pro brachijs & manibus crura priora quadrupedibus subdidit; nam posteriora bina omnibus gressilibus esse necesse est. Quorum igitur anima pondus sustinere non posset, hæc quadrupeda facta sunt: Animalia namque omnia, excepto homine, formam gerunt pomilionis; est enim pomilio, cuius pars superior magna est; inferior, quæ sustinet pondus, motumque exercet, parua, minimeque respondet superiori: superiorem intelligi eam volo, quæ a capite vsque ad excrementi ostium pertendit, qua pectus etiam continetur*, &c. Quibus ostendit Aristoteles, partem inferiorem corporis humani, porrectam ab imi ventris fine ad vltimos pedes, esse gratia superioris; in qua tres ventres a Medicis appellati continentur; quorum supremus caput est, infimus abdomen, medius vero pectus; & horum ratione continentium in se mentem, hominem inter animalia solum esse rectæ staturæ, secundum naturam Vniuersi conformatum, diuinitatis participem, & materiæ corporalis magis expertem; adeoque Deo similem etiam ratione corporis, vt antea satis ostensum est. Sic igitur Aristoteles mirifice consentit Mosi scribenti sæpe, factum fuisse hominem ad imaginem & similitudinem Dei: si Deum in se consideremus,

g tex. 38.

Gen. 1.

i 1. de part. c. 10.

k 4. de part. c. 10.

Gen. 1. 5.

vt aiunt *ad intra*. Si vero spectemus etiam Deum operantem ad extra, nihilominus habebimus Aristotelem Mosi consentientem, & alijs Prophetis in proposito; siquidem in operibus sex dierum a Deo patratis, & crura & pedes, & manus & digiti, & brachia Deo tribuuntur; namque Moses ponit
m Gen.3. Deum (m) deambulantem in Paradiso ad auram post meridiem, ambulare
* 2.de gen. autem non est sine pedibus, vt ait(*) alicubi Philosophus: Moses etiam ponit
an.c.3. vocem formantem audibilem ab hominibus primis nuper efformatis, & illos aperto sermone coarguentem, ait enim; *Quum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius a facie Domini Dei in medio ligni Paradisi. Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es? Qui ait: vocem tuam audiui in Paradiso, & timui eo quod nudus essem, & abscondi me. Cui dixit Dominus: Quis enim indicauit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?* Quum igitur sermo, qui percipitur auditu, facies, ambulatio, & increpatio, sint hominis propria, linguam, oculos, & pedes habentis: Quumque de Deo Psaltes dixe-
n Psal.8. rit, (n) *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum Lunam, & Stellas, quae tu fundasti. Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis; gloria & honore coronasti eum: & constituisti*
Luc.1. *eum super opera manuum tuarum.* Et B. Virgo de Deo: *Fecit potentiam in brachio suo*; Quum digiti, manus, & brachia nulli conueniant aliorum animalium corpori, sed homini soli: iam credibile satis est Deum Adamo & vxori se visibilem exhibuisse sub humana forma, quemadmodum etiam post Abrahamo, sub imagine trium virorum, indicans illi Trinitatem persona-
p Genes.18 rum in vnitate diuinae naturae; legimus enim; (p) *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei. Quumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos quum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui; & adorauit in terram. & dixit: Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum; sed afferam pauxillum aquae, & lauentur pedes vestri* &c. Nimirum Deus ad intra consideratus repraesentatur ab humano corpore tribus praecipuis partibus constituto; sed ad extra spectatus, etiam adiunctos habere ponitur artus brachia, manus, digitos, & pedes, cuius rei typum habemus in homine, qui dum in vtero manet, sibi soli viuens, neque brachijs, manibus, digitisve, neque pedibus vtitur ad opus vllum efficiendum, solasque functiones edit ad caput, pectus, & imum
q 30. sect. ventrem attinentes; at extra matrem partu iam (q) editus, brachia, manus,
probl.4. atque digitos, & crura, pedesque mouet ac exercet ad sui curam atque tutelam. Porro Deus in opificio Mundi recte dicitur manus & digitos exercuisse; quod Mundum & omnes partes eius efformauerit summa prudentia,
r 12.meta. nimirum bene ordinatas, & mire inter se consentientes, atque conspirantes
t.52. & se- in vnum corpus vniuersi perfectissimum; vt constat ex (r) Aristotele; qui
quentib. manus homini soli datas ait, quod prudentissimum sit animal, solusque vere
1.cael.t.2.3 prudens inter animalia, dicens: (s) *Homo animalium vnus erectus est, vtque erec-*
s 4. de part. *tus suapte natura, non desiderat crura priora, sed pro ijs brachia, & manus a natura*
c.10. *recepit. Anaxagoras igitur hominem prudentissimum omnium animalium esse ait,*

quo-

quoniam vnus omnium manus obtinet. Sed recta ratio exigit, vt quoniam prudentissimus omnium est, ideo manus receperit: manus enim instrumentum sunt: Natura autem, vt homo prudens, ita tribuere solet cuique rem, qua vti possit; rectius enim tibia dabitur perito tibia, quam tibiam habenti peritia tibiæ addetur, rem enim minorem maiori potiorique natura addidit: non maiorem nobilioremque minori. Quod si ita melius est; natura autem ex ijs, quæ fieri possunt, facere solet quod melius sit; homo non propter manus prudentissimus est; sed quia prudentissimus omnium animalium est, ideo manus obtinet: Qui enim prudentissimus est, recte plurimis vti instrumentis potest: manus autem esse videtur non vnum instrumentum, sed multa; est enim, vt ita loquar, instrumentum ante instrumenta. Natura igitur ei, qui artes plurimas recipere potest, manum reddidit, quæ ad plura instrumenta vtilis est. Qui autem hominem non bene, sed deterrime omnium animalium constare aiunt; nudum enim atque inermem creatum referunt; non recte sentiunt. Cetera enim animalia vnum auxilium habent, idque nullo pacto possunt permutare; sed quasi calceata semper dormire, ac omnia agere, nec vestitum vnquam deponere pleniorem, neque arma mutare, quæ semel acceperint, necesse est: At homini multa habere auxilia licet, eaque subinde mutare: arma enim quæ velit, & vbi velit, capere potest. Manus enim & vnguis est, & vngula, & cornu, & hasta, & ensis, & quoduis aliud genus armorum, aut instrumentorum; quippe quæ omnia hæc fit, quoniam omnia & sumere potest, & tenere. Quibus consentanea dicit alibi: (*t*) *Anima sicut manus est; manus enim instrumentum instrumentorum est; & intellectus forma formarum; & sensus forma sensibilium.* Sed alio loco Naturam, quam (*u*) nuper dixerat imitari prudentem hominem in operando, & homini dedisse manum, quia prudentissimus esset animalium, asserit esse Deum, verbis perspicuis: (*x*) *Cur seniores amplius mente valeamus, iuniores ocyus discimus? Quia Deus* (nescio cur Gaza verbum Græcum *Theos*, Deum non verterit, vt ad verbum antiquos interpres, sed vti maluerit descriptione Dei, Natura parens, & autor omnium) *instrumenta nobis duo inseruit; quorum opera instrumentis extraneis vti valeremus; manum, inquam, corpori dedit, animo mentem: est enim mens quoque rebus nobis a natura impertitis annumeranda vicem sane gerens instrumenti.* Quibus aperte constat Aristotelem ponere similitudinem ac imaginem Dei in homine circa operationes *ad extra*, quas Philosophi transeuntes appellant; quod vt homo duplici genere instrumentorum vtitur, nimirum & manu semper, & prætera manu prehenso vel temone ad nauigandum, vel habenis, & flagello ad aurigandum, vel ense ad dimicandum; ita Deus, quem Aristoteles ait sic esse in mundo, vt Gubernator in naui, & auriga in curru, & Dux in exercitu, duplici similiter his proportionato vtitur instrumento; vno quidem semper eodem & proprio manui correspondente, nimirum intellectu practico seu voluntate iubente; alio vero multiplici suæ voluntatis iussui prompte obedienti, vt terra ad producendas plantas omnes, & cunctas animantes per eam gradientes: aqua ad procreandos pisces, & volucres; nihilo ad proferendum cælum, terram, lucem, Angelos, & id generis; nam omnipotentiæ diuinæ iussioni paret æque nihil, & materia non disposita, ad promouendam rerum supernaturalem creationem; quippe Dei voluntas vtitur ad arbitrium tanquam instrumentis, tam ente quouis, quam non

t 3. de an. t. 38.
u 4. de par. an. c. 10.
x 30. sect. probl. 4.
y de mun. c. 7.

Rom.4. ente; vt notabat Apostolus. Quare manui comparans Aristoteles intelle-
a 12.meta. ctum, quem a voluntate contradistinctum non ponit, nec in (*a*) Deo, nec in
t.36.37. (*b*) homine, dicens vtrumque esse instrumentum instrumentorum, illum
b 3. de an. quidem animæ, hanc vero corporis: mirifice comprobat quantum ad hoc
t. 49. & imaginem Dei, & similitudinem in homine; nam diuinam voluntatem ex-
seqq. ternas creaturas efformantem appellare Prophetæ consueuerunt Dei manus,
c ps.8. ac digitos; vt antea vidimus ex (*c*) Dauide, cui consonat aperte Iobus in-
d cap.10. quiens, (*d*) *Dicam Deo noli me condemnare: nunquid bonum tibi videtur, si ca-
lumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum? Manus tuæ fecerunt me, &
plasmauerunt me totum in circuitu.* Postea vero videre licet imaginem, atque
similitudinem Dei in homine positam, si vtriusque operationes inspiciamus,
habita ratione principij operandi, & varietatis operationum; quorum
vtrumque nouit Aristoteles. Profecto duo sunt genera operationum in ho-
mine, nam aliæ sunt immanentes, aliæ transeuntes in externum finem, siue
e 10. eth. in externam materiam: de quibus Aristoteles egit inquiens, (*e*) contempla-
c.7. tionem solam esse posse gratia sui, proindeque immanentem; artis opera-
f 7.polit. tionem esse transeuntem ad operis externi effectionem: & alibi, (*f*) Medita-
c.3. tiones actiuas esse gratia finis agibilis, ac externi; sed speculatiuas in seipsis
g l.3. c.38. immanentes; qua de re nos in opere De (*g*) Vita. Principia vero functio-
num immanentium est Intellectus speculatiuus, & Voluntas ad exteriora
non progrediens: ast actionum transeuntium principia sunt intellectus pra-
h 2.eth.c.. cticus, & voluntas actiua: de quibus late Philosophus in (*h*) ethicis, eas
6. eth. c.2. ponens in homine. Sed & in Deo pariter alibi ponit operationem transeun-
tem, qua producit, conseruat, & gubernat optime vniuersa; vt antea visum
i 12. meta. (*i*) est; cuius principia ponit esse diuinum intellectum, & voluntatem,
55. omnia mouentem. Ponit itidem operationem immanentem in Deo profe-
de mund. ctam ab eius intellectu, qua semetipsum intelligit; & ab eius voluntate, qua
c.7. seipsum amat; vt antea vidimus eius verba clara referentes; quæ non pigeat
k 12.meta. repetere, ac latius explicare; dicit enim, (*l*) *Est aliquid quod non motum mouet,
t.36. quod æternum, & substantia, & actus est. (m) Mouet autem hoc modo, concupisci-
l 12.meta. bile, & intelligibile mouet, non motum. Horum autem prima eadem sunt. Deside-
t.35. rabile nanque quod apparet bonum. Primum vero voluntate affectabile, quod est bo-
m tex.36. num; magis vero appetimus, quia videtur, quam videtur, quia appetimus. (n) Prin-
n tex.37. cipium intellectio. At intellectus ab intelligibili mouetur. Intelligibile vero alter or-
do est: qui per seipsum est: & huius substantia prima, atque huiusce, quæ simplex ac
secundum actum est. Est autem vnum, & simplex non idem; siquidem vnum signi-
ficat mensuram, simplex vero quomodo se habeat ipsum. At vero bonum quoque, &
quod per se eligibile est, in eodem ordine sunt; & semper primum est optimum, aut
proportionale. Quod vero cuius gratia in immobilibus sit, ipsa diuisio manifestat.
Est enim id cuius gratia alicui corum, quorum hoc quidem est, hoc vero non est; mouet
o tex. 38. itaque vt quod amatur. Quod mouetur autem, cetera mouet,* &c. & mox: (*o*) *A ta-
39. li ergo principio tum cælum, tum natura dependet. Degentia vero, qualis nobis pauco
tempore, optima illi est; siquidem ita semper illud est: nobis autem profecto id impossi-
bile est; quoniam & delectatio actus huius est. Et ob hoc vigilatio, sensus, intellectio
maxime delectabile est; spes autem ac memoria propter hæc. Ipsa vero intellectio se-*

cun-

cundum se eius est, quod secundum se optimum est: & qua maxime est, eius quod maxime est. Seipsum vero intellectus intelligit assumptione intelligibilis: intelligibilis namque fit attingens & intelligens; ita vt idem intellectus & intelligibile sit. Susceptiuum enim intelligibilis & substantia intellectus est; operatur autem, habens. Quare illud magis, quam illud est id diuinum, quod intellectus videtur habere. Et speculatio optimum, & maxime delectabile est. Si igitur ita bene se habet Deus semper, vt nos aliquando, admirabile est: quod si magis, adhuc admirabilius est: at ita se habet. Ceterum vita quoque profecto inexistit; si quidem intellectus operatio vita est. ille vero est actus. actus vero per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum sempiternum, optimumque viuens esse. Quare vita, & auum continuum, & aeternum Deo inest: hoc enim est Deus. Quæ compendio restringens mirifice consentire pietati, Theologicæque veritati scribit ille Theologorum antesignanus, Genebrardus inquiens: (p) Dei nomen & vocabulum in- ,, com. in
cludit omnem perfectionem, atque præstantiam, summum bonum, supre- ,, ps. 8.
mam causam, vniuersam, alterius non indigam &c. *Admirabile* autem con- ,,
gruit; nam inter ea est, quæ de Deo enunciari natura duce, siue naturæ lumi- ,,
ne demonstrat Aristoteles 12 metaphys. *substantia prima, aterna, immobilis,* ,,
sua te natura actus, omnis materia & potestatis patientis expers, mouens instar rei ,,
expetenda, & adamate, necessaria simpliciter, immobilis, principium, princepsque ,,
causa, a qua calum & natura vniuersa dependeant, in optimo semper statu manens, ,,
omnia sciens, contemplans, & quidem perfectissime infinita, omni magnitudine sine ,,
mole vacans, diuisionis expers, denique Deus admirabilis. Quibus Fidei, & Scri- ,,
pturarum lumen præstantiora, & saluti viciniora superstruit, esse Trinum, ,,
lumen inaccessum, omnipotentem, fontem omnis boni & perfecti, creato- ,,
rem visibilium omnium & inuisibilium, miraculorum effectorem, causam ,,
rerum liberrimam, non primam modo sed & proximam & immediatam, ,,
non vniuersam tantum, sed & propriam, conseruatricem, prospectricem, re- ,,
muneratorem, legis & Euangelij datorem, Scripturarum inspiratorem &c. ,,
ad quæ Philosophus naturæ luce pertingere non potest distincte. Verum ,,
enim vero satis est, eum ad hæc vtcunque, saltem confuse pertingere potuisse simul & ad altiora Theologicæ veritatis fundamenta; scripsisseque dogmata ipsis valde consentanea, non autem repugnantia; quod vt appareat, iam allata seorsum percurramus: *Est aliquid, ait (q) quod non motum mouet, quod* q 12. meta.
aeternum, & substantia, & actus est. (r) *Mouet autem hoc modo. Concupiscibile,* t. 35.
& intelligibile mouet, non motum. Ponit his, Deum æternum, substantiam, & r tex. 36.
actum mouere non motum; qua talis est omnia mouet procreans, & conseruans, atque gubernans; nam formæ substantialisque actus est conseruare, & gubernare; sicuti substantiæ est producere: quatenus est non motum, est impassibile, ac impartibile; quatenus mouet per intellectum, & voluntatem, libere operatur; nam intellectus, & voluntas Aristoteli (s) liberas actiones s 2. de an.
habent. *Horum autem prima eadem sunt*: scilicet in Deo principia intelligen- t. 60.
di & amandi eadem sunt, intellectus nimirum atque voluntas, etenim pror- 3. ethi. c. 1.
sus identificantur. *desiderabile namque, quod apparet bonum: primum vero voluntate* & seqq.
affectabile, quod est bonum. his mire consentit Theologia de tribus personis in vna essentia diuina, ponens Patrem intellectione generare Filium, & quum

hic

hic illi bonum quid appareat, ipsum amare; vicissimque Filius noscens Patrem, qui est prima persona, bonum esse, ipsum diligit; quæ dilectio ab vtroque procedens est tertia persona Spiritus Sancti. Quem ordinem actionum diuinarum statim Aristoteles explicat ex similitudine nostrarum operationum, ab intellectu & voluntate nostra prodeuntium, addens: *magis vero appetimus, quia videtur, quam videtur quia appetimus*; etenim appetitus, seu voluntas excitatur ad appetendum a cognitione boni appetibilis, vt semper cognitio præcedat desiderium. Sic in Diuinis, Deus Pater intellectione sui producit Verbum, nempe Filium sibi simillimum; quem agnoscens esse bonum amat: simulque Filius Patrem sui genitorem intelligens esse primum bonum, ipsum reciproce diligit, quæ mutua dilectio est tertia persona Spiritus Sanctus. *Principium enim intellectio*: quia prima productio & operatio in diuinis est intellectio, qua Pater Filium generat; quum secunda productio seu operatio sit amor, & dilectio, qua producitur Spiritus Sanctus ab vtroque se mutuo diligente. *Ac intellectus ab intelligibili mouetur*: *Intelligibile vero alter ordo est, qui per seipsum est: & huius substantia prima, atque huiusce qua simplex, & secundum actum est*. quia Pater ad intellectionem qua Filium generat, mouetur ac excitatur a semetipso intelligibili, non ab extrinseco vllo; nam intelligibile in Deo alterius est ordinis, quam in homine; quia intellectus humanus ad intelligendum excitatur atque mouetur ab intelligibili, quod est diuersum atque distinctum ab intelligente, quodque nititur specie intelligibili, quæ accidens est formaliter, compositaque natura ex imagine repræsentante ac re repræsentata, & omnino potentia intellecta: sed in Deo Pater a semetipso mouetur ad intelligendum, quia libere semetipsum intelligit; quum sit per seipsum substantia, prima, simplex, & actu semper simul & intelligibilis & intellecta. *Est autem vnum, & simplex non idem; siquidem vnum significat mensuram: simplex vero quomodo se habeat ipsum*. Sic in Deo Pater vnus est, & simplex diuersa ratione; quia vnitas denotat essentiam, quæ vna & in tribus personis; at vero simplicitas indicat distin-

t Ioan. 10. ctionem personarum; ita dicebat Filius: (*t*) Ego & Pater vnum sumus: at in Deo non habetur persona simplex, sed tres personæ distinctæ; licet vnaquæque persona simplex & vna sit: Quare Pater est vnum quid & simplex; etsi non sit formaliter idem in eo vnum, & simplex; quod vnitas mensuram significat, & simplicitas modum rei; vnitas nimirum vnicam & indiuiduam essentiam: simplicitas modum personarum trium in essentia sine vlla compositione. Addit Aristoteles; *At vero bonum quoque, & quod per se eligibile est, in eodem ordine sunt*, scilicet in eodem ordine sunt intelligibile, ac intellectus; de quibus nuper: & bonum, ac per se eligibile; sic in ordine diuinarum personarum Pater intellectus est & intelligibile; Filius item intelligibile est; & intellectus; pariter vterque bonum est, ac per se diligibile; ac vt Pater intelligendo Filium generat; noscensque bonum, ipsum diligit; similiter Filius intelligens Patrem esse bonum, ipsum reamat; qui duo se se mutuo diligentes, eum amorem vnum reciprocum producunt, qui tertia Persona dicitur Spiritus Sanctus; idem enim est esse eligibile, & amabile, seu diligibile. Quod autem in Deo vtrumque sit bonum,

num, immo vero summum bonum, proindeque summe diligibile, Primum intelligens, quod est Pater; & æqualis ipsi similisque Filius per intellectionem genitus: innuere videtur Aristoteles illico dicens, *Et semper primum est optimum, aut proportionale*: sic vertit Bessario verba Philosophi Græca, Latinis characteribus, ob Græcanicorum defectum in Typographia nostra: *cai estin ariston aei, j analogon, to proton*: quæ vertenda censuimus ad literam; *& est optimum semper, & æquale ipsum primum*: vel si placet, *quam simile, ipsum primum*: etenim septima litera Græca, *ita* nuncupata, & apud nos in j longum versa, vbi leui spiritu & oxytona sit, vt hoc in loco, non semper disiunctiuam coniunctionem, *vel*, indicat; sed non raro coniunctionem *&*, poniturque pro *ea*; quandoque signat comparatiuum aduerbium *quam*, vt multis autoritatibus ostendunt Lexicographi. Similiter vox analogum, non tam *proportionale* significat, quam *simile* pariter & *æquale*; vt ijdem late demonstrant, vel ex ipsomet (*u*) Aristotele; cuius verba propterea possunt hunc sensum habere, *u* 5. ethic. c. 3. 4. 5.
quod in Deo semper optimum est ipsum primum, quod est intelligens, atque Theologis prima persona, Pater nimirum: quam illi analogum, siue illi simile, ac æquale; quod est secunda persona, nempe Filius; adeoque vtrumque se mutuo diligere amore summo; qui quidem summus Amor optimi Theologis est persona tertia, nomine Spiritus Sanctus. Et quia Pater generans & intelligens habet proprio attributo rationem effectricis causæ: Filius, ac verbum per appropriationem causa formalis dicitur: & Spiritus Sanctus, cui titulum Bonitatis attribuunt, obtinet rationem causæ finalis: in Deo, præter primum intelligens, & illi æquale per intellectionem genitum, inesse tertium a duobus distinctum, indicare possunt ea, quæ subduntur; *Quod vero cuius gratia*, idest optimum (*x*) vltimum, *in immobilibus sit*, nempe in diuinis *x* 2. phys. t. 24.
substantijs intelligibilibus, & diligibilibus, motum non patientibus, de quibus agitur in præsentia, *ipsa diuisio manifestat. Est enim id, cuius gratia alicui eorum, quorum hoc quidem est, hoc vero non est; mouet itaque, vt quod amatur; quod mouet autem, cetera mouet*. hæc natura sola dictante veluti balbutiens inter Theologos affert Aristoteles, quæ Fidei lumen atque Scripturarum distinguens explicaret ita: Spiritus Sanctus est Amor, ac Bonitas, cuius gratia Pater & Filius, quorum vnus non est alius quantum ad personam, sed vterque est vnum & idem cum alio quantum ad naturam & essentiam; Spiritus inquam est Bonum alicui eorum, nimirum Amor vniens Patrem Filio, & Filium Patri; quorum Pater hoc quidem est, quod est Filius, & Spiritus Sanctus, quantum ad naturam; & vicissim: sed vnus Deus est idem numero: hoc vero non est, quod est Filius, & Spiritus Sanctus; quantum ad personam; & vicissim; sed tres personæ sunt numero distinctæ. Mouet itaque Deus, qui sub ratione singularum personarum est primum ac summum bonum, & optimum, mouet inquit sub ratione finis, vt quod amatur, omne genus causarum secundarum, quæ vt Deo, pro modo suæ facultatis assimilentur, in actiones, & motus proprios edendos erumpunt, quibus cetera mouent motibus naturalibus, vt illico (*y*) clare demonstrat; *At si quid mouetur, contingit* *y* tex. 38.
etiam aliter se habere. Quare, si latio prima etiam actus est, quo mouetur, hoc modo sane contingit aliter se habere secundum locum, quamuis non secundum substantiam.

Quum

Quum autem aliquid sit mouens, ipsum immobile existens, actu ens, hoc nullo modo contingit aliter se habere: latio nanque prima mutationum est: huius autem, quæ circularis est; hanc autem illud mouet. Ex necessitate itaque est ens, prout necessitas bene est; & sic principium: Necessarium namque toties dicitur; quoddam vi, quia præter inclinationem; quoddam sine quo non bene esset: quoddam quod non contingit aliter se habere. A tali ergo principio (scilicet agente necessario, non coacto præter inclinationem, sed necessitate immutabilitatis, quæ bona est, & sine qua non bene esset) *tum cælum, tum natura dependet*. Quibus consentit &

z 2. de an. t.34.35. alibi dicens; (z) *naturalissimum esse operum, quæ in viuentibus, facere aliud quale ipsum, vt ipso semper & diuino participent secundum quod possunt; omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia, quæcunque agunt secundum naturam*. Quare sapienter de Deo primo motore colligit priore loco Philosophus:

a 12. meta. t.38.f. (a) *A tali ergo principio tum cælum, tum natura dependet*. Statimque rediens ad considerationem Dei secundum se considerati, non prout est causa mundi, contemplatur illius vitam & operationem propriam, eamque comparat ad nostram, clare supponens, atque demonstrans in homine imaginem Dei similitudinemque reperiri quantum ad proprias vtriusque functiones, dum

b tex. 39. ait: (b) *Degentia vero, qualis nobis pauco tempore, optima illi est; siquidem ita semper illud est: nobis autem profecto id impossibile est: quoniam & delectatio actus huius est. Et ob hoc vigilatio, sensus, intellectio maxime delectabile est. Spes autem, & memoria propter hæc*. Nimirum Deus secundum se semper in tota æternitate viuit vitam optimam, vt puta beatam ac summe felicem tum actiuam, tum maxime contemplatiuam, semetipsum intelligens exactissimeque comprehendens optimum, & summe amans; in seipsoque cognoscens vniuersa, & optime gubernans; Nobis autem pauco tempore potest esse vita beata, siue de speculatiua, siue de actiua felicitate sermo sit; nam felicitatis actus & perfectio propria est delectatio; quæ in Deo perennis est, qui iugiter operatur, nunquam intermittens actionem suam præstantissimam: Nos autem nonnisi vigilantes operari possumus, & sensuum, ac intellectus operationes, vnde voluptatem habeamus atque delectationem, exercere valemus: &

c 1. ethic. c.13. quum dimidium vitæ (c) dormiamus; iam pauco tempore vitam optimam, atque felicem, delectabilemque possumus habere. Quinimmo, neque toto eo tempore, quo vigilamus, exercere valemus actiones felicitatis actiuæ,

d 3. sect. prob. 5. neque contemplatiuæ; siquidem (d) iuuenes habitum sapientiæ nondum sibi compararunt, quo felices dici queant, nisi spe; vt ait (e) Aristoteles ita, *Ea-*

e 1. ethic. c.9. *dem de causa neque puer felix est; nondum enim est ad tales res agendas per ætatem idoneus; qui vero felices dicuntur, spe dicuntur*. Vltimo senio laborantes, qui nec actiuæ, neque speculatiuæ vitæ functiones ex habitu virtutis edere valent, quin etiam mortui, humana felicitate beati dici nequeunt nisi memoria præteritarum actionum ex habitu virtutis in vita perfecta editarum;

f 1. magn. mor. c.4. quod edocet Aristoteles inquiens, (f) *Quoniam igitur optimum bonum est felicitas, & hæc ipsa finis; actione viuendo ex virtutibus felices fuerimus, optimumque bonum habuerimus. Quum igitur sit felicitas bonum perfectum ac finis; nos latere non oportet, id in ætate perfecta esse; non enim in puero (quia nec puer dici felix potest) sed viro; is nanque perfectus; & ne quidem in tempore imperfecto, sed perfecto: Per-*

fe-

fectum fuerit vtique tempus, quandiu homo viuere potuerit. Recte nanque a multis dicitur, felicem in longissimo vitæ tempore esse iudicandum: vt opus sit perfectum esse, & in tempore perfecto, & in homine. Quod autem sit actio, hinc quispiam poterit intueri. In somnis nanque, vt inter viuendum si quispiam dormiat, eiusmodi nolim talem dicere esse felicem; ipsi quidem existit viuere; sed eidem ex virtutibus, quod erat ex actione, viuere non existit. & alibi; *(g) Huius autem* vegetalis animæ *communis quædam virtus, non humana apparet; quippe quum pars hæc & facultas in somnis maxime operari videatur; bonus autem & malus discerni in somno minime possit. Vnde inquiunt, felices in dimidia parte vitæ a miseris nihil distare. Atque hoc conuenienter euenit; otium enim animæ somnus est, qua vel bona, vel mala dicitur. Nisi quatenus paululum motiones aliquæ ad eam pertingunt: eatenus enim modestorum meliora quam quorumlibet visa apparent.* Quum igitur homo neque dormiens, neque puer, neque decrepitus, at solum vir in ætate perfecta valeat esse felix, recte secundum habitum virtutis vel actiuæ, vel contemplatiuæ operans; quumque talis ætas breui tempore comprehendatur: Deus autem Aristotelis, neque *(h)* somno detineatur vnquam, neque puer vnquam fuerit, neque *(i)* senectute laboret, sed semper optimis actionibus perfruatur; apte Deo scribit *(k)* Aristoteles optimam & felicem vitam semper inesse, qualis hominibus inest pauco tempore. Hanc autem felicitatem Dei statim consistere monet in vita contemplatiua, subdens, *Ipsa vero intellectio secundum se eius est, quod secundum se optimum est; & quæ maxime est, eius quod maxime est, seipsum intellectus intelligit assumptione intelligibilis. Intelligibilis nanque fit attingens & intelligens, ita vt idem intellectus & intelligibile sit. Susceptiuum enim intelligibilis & substantiæ intellectus est.* Quæ summopere quadrant productioni diuinarum personarum in vna essentia Dei; siquidem quum *(l)* nuper dixerit, optimum esse & primum, & illi analogum, hoc est simile, ac æquale; quibus indicatur Pater, & illi similis ac æqualis Filius: nunc vtriusque, quod secundum se optimum est, ait esse intellectionem secundum se, hoc est essentialem, non accidentalem; nam intellectio, qua Pater seipsum intelligens Filium generat, non est accidens essentiæ Paternæ superadditum, sed ipsamet essentia Patris, secundum se illi inexistens: itidem intellectio, qua Filius a Patre generatur, non est accidens distinctum a Filio, sed est ipsamet essentia Filij terminatiue; Filius enim ea intellectione oriens ipsam terminat essentia sua sic, vt illa intellectio in suo termino sit substantia Filij per eam geniti. Consimiliter intellectio mutua, qua Pater Filium agnoscit optimum, & e conuerso Filius Patrem agnoscit optimum, ex qua producitur amor ille mutuus, qui Spiritus Sanctus est, non accidit Patri & Filio, sed secundum se inest ambobus essentialiter; & ad vtriusque substantiam terminatur vt optimam; noscit enim ea intellectione sibi essentiali tum Pater Filium ab se genitum esse optimum: tum vicissim Filius Patrem sui genitorem esse optimum: vnde conspirant vterque in productionem amoris mutui, dilectionisque reciprocæ. Quæ quidem intellectio maxime esse dicitur eius quod maxime est; tum ratione intelligentis, tum ratione intelligibilis; maxime quidem dicitur intellectio, quæ totum & omnino distincteque comprehendit, & agnoscit intelligibile. Sane Pater dum intellectione sua generat Verbum sibi

g 1. ethic. c. 13.

h 10. ethic. c. 8.

i 1. cæl. t. 100.

k 12. meta. 39.

l tex. 37.

 con-

consubstantiale maxime intelligit distinctissime, comprehenditque totam & omnino suam essentiam infinitam; similiter infinitam & immensam Filij suam intellectionem terminantis naturam & personam perfecte comprehendit: vicissimque Filius intelligit & comprehendit Patris, a quo genitus est, immensam bonitatem atque perfectionem. Dicitur autem ista maxima intellectione diuinus intellectus intelligere seipsum assumptione intelligibilis; quia Pater producit Verbum, quod sibi assumit in Filium, ea intellectione, qua semetipsum intelligit, & percipit, atque comprehendit exactissime summum intelligibile; siquidem in eadem intellectione, qua Deus intelligit seipsum producens Filium, intelligibilis est tum Pater ipse seipsum, tum Filius eam Patris intellectionem terminans, qui vnum est in essentia & substantia diuina intelligibile cum Patre. Quod ostendere videntur verba sequentia; *intelligibilis namque fit attingens, & intelligens*; quia Filius attingens terminum intellectionis Paternæ sub ratione intelligibilis, fit, & intelligens eiusdem naturæ cum Patre; qui semetipsum intelligens, idem est & intellectus, & intelligibilis; quod aperte dicitur, *ita vt idem intellectus, & intelligibile sit*. Pater autem hac sui intellectione, quam habet sibi essentialem operationem coæternam & consubstantialem, non aduentitiam & accidentalem, producit ab æterno semper sibi consubstantialem Filium, quem sibi suscipit Verbum diuinum, tanquam dilectissimum; a qua veritate non recedunt Aristotelica verba, *Susceptiuum enim intelligibilis & substantiæ intellectus est; operatur autem, habens*. Quia Pater susceptiuus est, hoc est productiuus Verbi, Filij sibi consubstantialis, per intellectionem sui, quam operationem habet ab æterno sibi essentialem; proprium est enim verbum generationem

† Gen. 16. prolis indicans, assumptio, & susceptio; nam Sara marito dixit, (†) *Ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios*. & Propheta, (*) *Domine suscepisti me de vtero matris meæ*. Quod autem inde colligit Aristoteles,

* Psl. 138. *Quare illud magis, quam illud est id diuinum, quod intellectus videtur habere, & speculatio optimum, & maxime delectabile est. Si igitur ita se habet Deus semper, vt nos aliquando, admirabile est: quod si magis adhuc admirabilius est: at ita se habet*. Id pertinet ad comparationem felicitatis humanæ, vitæque beatæ mortalium, cum felicitate, beataque vita summi Dei. Siquidem quum intellectus generatim habeat diuinitatem quandam, & eius operatio, quæ speculatio dicitur, optimum quid sit, & maxime delectabile; non tamen æqualis est omnino ratio cunctorum intellectuum in participatione diuinitatis atque felicitatis; quia licet intellectus humanus diuinum quid sit, ac eorum, quæ in

m 10. eth. nobis diuinissimum, vt (m) alibi dixerat Aristoteles, & humanarum actio-

cap. 7. 8. num optima sit speculatio, maximeque delectabilis, eodem (n) autore; ni-

n ibid. hilominus magis diuinum est intellectus abstractus, qui Deus est ipse; nam ille diuinus est per essentiam, noster intellectus diuinus est per participationem, & per assimilationem; magis optimum est, magisque delectabile quid intellectio diuina, quam humana; tum intensiue, quia Deus comprehendit exactissime semetipsum, & alia cuncta; proinde simul infinitum, & infinita,

o 1. cæl. t. quæ ab ipso fieri possunt; quum intellectus humanus finitam entitatem ha-

64. bens, (o) improportionatus sit ad intelligibile infinitum, simul & ad intelli-

gi-

gibilia infinita comprehendenda, vt ait alibi (p) Philosophus: cui sane noster intellectus diuinus est per participationem, quoniam ait aliquando, quod (*) *Deus manum corpori dedit, & animae mentem*. & alibi, (q) *Deus in anima lumen intellectus accendit*; & alio loco, (r) Mentem esse, quae humano foetui non aduenit a parentibus mediante semine, sed forinsecus a Deo; qua de re nos (s) fusius olim. Consentit autem in proposito simpliciter Aristoteles cum Mose scribente, (t) *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitae, & factus est homo in animam viuentem*; nimirum per oris meatum cum inspiratione rationalem animam in cor hominis primum immisit; quae statim se se communicaret ac extenderet in actum viuificantem singulas partes plasmati corporis humanae vitae munere; tum etiam extensiue, quia Deus aeternitate tota, semperque viuat vitam (*) felicissimam, delectabilissimam, edens intellectionem sui, & omnium ab se dependentium, omni iucunditate nunquam interrupta cumulatam. Quapropter Deus super omnem existimationem est admirabilis, qui beatitatem aeternam habet, quam nos temporariam: immo vero quid est nobis in infinitum admirabilius, quia longe maiorem intensiue felicitatem habet, ea quam nobis aeuo breui datum est obtinere; vt hoc repetito titulo admirabilis alludere videatur Aristoteles ad repetitum eundem titulum Dei a Propheta in principio, & fine vnius & eiusdem psalmi, (u) *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* sicut adnotat optime (x) Genebrardus. Prosequitur de Deo Aristoteles, *Ceterum, vita quoque profecto inexistit; siquidem intellectus operatio vita est: ille vero est actus: actus vero per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum sempiternum, optimumque viuens esse. Quare vita, & aeuum continuum, & aeternum Deo inest: hoc enim est Deus.* Quibus ita Dei naturam explicat, vt simul omnium Gentilium errores damnet, & vere Pietati maximum cultum exhibere videatur; nam inquiens, Deo vitam inexistere, culpat errorem eorum, qui sua tempestate Terram veluti Deam colebant, inanimatas statuas, & speciatim cum Mose reprobat vitulum (y) aureum Hebraeorum, a Deo pridem ob Idololatriam istam interfectione trium millium in gladio Leui castigatorum. Asserens autem Dei vitam esse operationem intellectus, vna reprobat Idololatriam Ichneumonum, boum, & aliarum belluarum, quin & cepatum, ceterarumque stirpium, quibus Aegyptij pridem & aliae gentes diuinum honorem praebere consueuerant: & hominem, qui ex intellectu viuit, & per intellectum constituitur, esse signat ad imaginem, & similitudinem Dei factum. Addens vero, illum, Deum scilicet, esse actum: actum vero per se illius vitam optimam & perpetuam esse; quum entelechia nomine non viatur, quo designauerat (z) alibi actum primum; sed energiae, quo (a) signat inferius actum secundum, & operationem; plane docet Dei operationem esse prorsus identificatam cum Dei substantia; non autem esse quoddam accidens Diuinae naturae superadditum; sicuti energia intellectus humani est accidens illius essentiae superadditum. Hunc vero actum, qui Deus est, dicit esse illiusmet Dei vitam optimam, atque perpetuam; felicissima nempe serennemque Dei beatitatem, cum eius essentia prorsus identificatam: Quare

p 1. post. t. 6.
* 1. phys. t. 35.
q 2. meta. t. 11. 13.
* 30. sect. probl. 4.
q 3. rhet. c. 10.
r 2. de gen. an. c. 3.
s 2. de ort. an. hu. cap. vlt.
t per. con. hom. in vt. c. 29.
* 2. de vita. c. 27.
t Genes. 2.
* 1. cael. t. 100.
u ps. 8.
x in com.
y Exod 32
z 2. de an. t. 2. 5. 6. 7.
a 3. de an. t. 19.

consentiens Theologiæ mysterijs Deum ponit actum simplicissimum, omnis compositionis, & accidentis expertem; in quo sit vnum & idem essentialiter principium operans, & sua ipsius operatio, quam energiam appellat. Et denique quicquid in Deo est, Deum esse fatetur; quod catholicum est Theologorum dogma, dum colligit, Deum esse viuens optimum, & sempiternum; vitamque, & æuum continuum, & æternum Deo inesse: & hoc esse Deum. Sic igitur Aristoteles valde consentanea pietati posuit; & hominem ad imaginem, & similitudinem Dei factum agnouit quantum ad operationes vitæ, tam actiuæ, quam contemplatiuæ, non solum quoad earum principia, quæ sunt intellectus, atque voluntas: & quoad earum finem, qui est felicitas; verum etiam quoad earum modum, qui est arbitrij libertas;

b 2. de an. t. 60. 3. eth. c. 1. & seqq. c 2. orth. fi. c. 12. d Gen. c. 1. v. 26. e tr. de lib. arb.

in qua communione libertatis operandi, pridem ab Aristotele concessæ tum intellectui, tum humanæ voluntati consistere similitudinem, & imaginem Dei, ad quam factus est homo, constituit ex PP. tum Damascenus (c) inquiēs, *Hominem ad imaginem Dei esse, significat ipsum esse intellectualem, & liberi arbitrij, & per se potestatiuum*: referente (d) Pererio, tum (e) D. Bernardus, quum triplicem in homine distinxisset libertatem, vnam arbitrij, alteram consilij, tertiam complaciti; concludit in his tribus consistere imaginem Dei, dicens, *Puto in his tribus libertatibus ipsam, ad quam conditi sumus, conditoris imaginem, atque similitudinem contineri: & imaginem quidem in libertate arbitrij; in reliquis autem duabus bipartitam quandam consignari similitudinem*. etsi subdat ea, quæ talem imaginem ponant potius in incommutabilitate arbitrij, quam in eius idea, propriaque formalitate; a qua distinguitur incommutabilitas. Nec illud vltimo loco prætereundum est, ex Aristotelis doctrina colligi posse factum fuisse hominem ad imaginem, & similitudinem Dei, quia si Deus figuram haberet, non aliam quam humanam, omnium viuentium præstantissimam, obtineret: Quem philosophandi modum nos docuit Aristoteles, alicubi scribēs,

f 2. cæl. t. 13.

(f) *Cælum autem animatum est, & habet motus principium; manifestum est quod habet sursum, & deorsum: & dextrum, & sinistrum. Non enim oportet dubitare ex eo, quia rotunda sit figura ipsius vniuersi, quomodo erit huius hoc quidem dextrum, hoc autem sinistrum, similibus existentibus partibus omnibus, & motis in omni tempore: Sed intelligere, quemadmodum, si quis in quibus habeat dextrum ad sinistrum differentiam, etiam figuris, deinde circumponat sphæram; habebit enim potentiam differentem; videbitur autem minime, propter similitudinem figuræ. Eodem autem modo & de principio motus: Etenim etsi nunquam incæpit, principium tamen habeat necessarium est unde incæpisset, si incæperet quod mouetur moueri: atque, si steterit, mouebitur vtique iterum*.

g 4. de part. an. c. 10. h 1. polit. c. 1. i Genes. passim.

Quum igitur alibi dixerit (g) Aristoteles, Hominem solum omnium animalium erectum esse; quoniam eius natura atque substantia diuina est; quippe diuini sit officium intelligere, atque sapere. Nec non alio loco sumpserit ad probationem sui dogmatis antiquiorum dictum, Deum habere formam humanam; vt antea satis ostensum est: immo quum legerit apud Mosem, Deum apparuisse frequenter hominibus, & cum hominibus conuersationem habuisse sub humana forma; facile dicere posset non procul a vero Peripateticus ad aures Aristotelis, hominem factum fuisse ad imaginem & similitudinem Dei, quia si Deus corporeus

esset,

esset, aut corpoream naturam indueret, non aliam formam susciperet, quam humanam. Quam sane sententiam experientia comprobauit, non solum ante Aristotelis æuum, Deo sæpius assumpto corpore figuram humanam habente, sub viri specie cum Abrahamo, Iacobo, & alijs conuersante; sed etiam post Aristotelis æuum Dei Filio carnem humanam de Virginis intactæ sanguinibus formatam sibi assumente, ac hominis naturam pariter atque figuram induente; qui Deus quum esset, verus homo factus est, non desinens esse Deus: qua de re D. Paulus, (k) *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit form am serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Denique non vidisse nequiuit Aristoteles (l) Trismegistum, & in proposito sententiam illius forte recepit, qui scripsit aperte, *Ideo audendum est dicere, Hominem quidem terrenum, esse Deum mortalem: cælestem autem Deum, immortalem hominem.* & alibi, (m) *Ignoras quod Deus natus sis? & vnius filius, quod & ego.* Tot igitur rationibus videtur Aristoteles imaginem, & similitudinem Dei cognouisse satis in homine, simul & plurima pronunciasse, quæ maxime consonare videntur cum sententijs orthodoxorum abditissima Fidei mysteria tractantium, vt eius acutissima mens ad intima fenia veræ pietatis penetrasse, saltemque proximius accessisse videatur, quam vllus aliorum veterum Philosophorum puro Naturæ lumine philosophantium, siue perspicax eius intellectus e scriptura Mosaica, ceterorumque Prophetarum multum luminis habuerit ad ea vera dogmata melius intelligenda, siue speciali Dei munere fuerit eius ingenium in ijs eruditum, quo prodromo facilius gentes etiam tum ad Sacra Biblia veram pietatem continentia recipienda disponerentur, & allicerentur.

k Philip. 2.

l lib. 4.

m lib. 7.

Aristotelem minime læsisse pietatem erga homines dum lege sanciri voluit, Nihil orbatum natura fore educandum. Cap. XVIII.

QVi pietatem erga Deum ita coluisse nuper visus est Aristoteles; idem & erga homines pietatem pariter excoluit: Nec sane quicquam efficit, quod in (a) Politicis hæc habeat: *Circa expositionem autem, vel educationem filiorum, lex sit, nihil orbatum natura fore educandum*; quod negotium facessit (*) Suessano dicenti, Catholicos sentire bonum non esse educare monstra propter ciues, sed propter Deum educanda esse; nec Aristoteli prorsus assentiendum, quasi putauerit defectum naturæ esse capitale scelus; & in Aristotelis Republica morti damnentur claudi, cœci, ac gibbi, genitoresque crudeles esse cogantur, ac perdere filios, quos genuerunt. Quia nos in hac Aristotelis etiam sanctione summam Philosophi pietatem erga genus humanum, & in nõ Christiano viro ante Christi natales admirabilem suspicimus; moris enim erat apud Antiquos, & Aristotelis æuo specialiter vsitatissimi, quo licebat genitoribus promiscue quoslibet filios ex se recens natos exponere, ac impune interimere, si noluissent alere. Neque res ea fraudi, vel crimini

a 7. Polit. cap. 16.

* in præf. phys. & de an.

mini dabatur parentibus; vt obſeruat etiam Theodorus (*b*) in hæc verba; *Quid ſui iudicij ſit de more inſtitutoque veterum illorum Græcorum oſtendit Ariſtoteles, quibus licebat exponere, necareque liberos, ſi alere noluiſſent: neque ea res fraudi ipſis erat: plena ſunt fabulæ comicorum, & tragicorum huius conſuetudinis: inquit igitur, De exponendis, ſiue in Vita retinendis alendiſque liberis a parentibus, figatur hæc lex. Nihil mancum debileque alendum; nullo enim pacto vult orbatum ſenſu, membroque aliquo corporis, vſibus humanis neceſſario, ſiue pluribus ali; quod probabat Antiquitas; quia hi Reipublicæ vtiles nullam in partem ſunt (moleſti autem multis modis cæteris) ſed etiam quia illi ipſi nullum verum fructum vitæ guſtant; conflictantur autem neceſſario multis miſerijs: Noſtra pietas Chriſtiana hoc ſuſtulit, tantumque concedit monſtra extingui, & partus, qui magis belluæ, quam hominis ſpeciem referunt.* Et ſane teſtantur Poetarum veterum, ſeu Comicos, ſeu Tragicos velis, monumenta, conſuetudinem hanc impune ac ſine reprehenſione, filios quoſlibet ad parentis libitum exponendi, vel interficiendi: Primus omnium Ariſtoteles hanc barbariem in populos mire ſerpentem compeſcuit, hanc feritatem lege coercuit, hanc immanitatem tollendam cenſuit, tum natorum interemptionem omnino prohibens; tum expoſitionem oblæſorum ſolummodo concedens. Deinde vero quum orbatorum infantium duo ſint ſumma genera; nam alij partus mutilati ſunt, ac læſi aliqua parte quidem, eaque notabili, ſed tamen citra monſtri deformitatem; alij vero partus ita ſunt oblæſi, vt in monſtrorum genere plane ſint collocandi; lege ſua (*c*) nunc Ariſtoteles educationem interdicit, non quibuſlibet orbatis natura, vt ſupponit obiectio; ſed monſtris tantum; qui conſtituit (*d*) alibi, *Quod parum diſtat, tanquam nihil diſtare videtur*: Solos igitur partus illos vult Ariſtoteles exponendos eſſe, qui ſunt ita læſi & mutilati, vt monſtra quum ſint, a natura humana recedentia, adulti generare (*e*) nequeunt humanam prolem; quam explicationem etiam attulit (*) Sueſſanus: Nec id abhorret a Chriſtianorum Principum lege, quæ concedit & laudat, monſtra penitus extingui; & partus illos oblæſos, qui magis belluæ quam hominis imaginem referunt, non educari: Sic relatu (*f*) Gualtherij, & (*g*) Rubeaquenſis, *quum mulier in Thracia peperiſſet puerum, qui oculis, palpebris, & ſupercilijs caruit, manibus inſuper & brachijs, cui ad coxendices cauda piſcis innata dependeret: quod monſtrum vbi Mauritius Imperator vidit, interfici iuſſit; gladiumque ſtatim eſt exoſculatus: mater autem monſtri, quia nihil in eo gignendo peccauerat, abſoluta eſt.* Siue igitur Ariſtoteles velit exponendos eſſe ſolum omnes partus natura orbatos, ſiue ſolum orbatos humana figura, ideoque poſitos in genere monſtri, non eſt accuſandus crudelitatis; verum ex aduerſo de pietate laudandus; qua vel prohibuit expoſitionem perfectorum, æuo ſuo frequentiſſimam; atque ita ſenſim homines diſpoſuit, ac veluti manuduxit ad perfectam pietatem: vel negauit educationem ſolis partubus orbatis, qui degenerant in enormem ac brutam monſtri naturam; quod efficit etiam Chriſtianorum Principum pietas; etenim monſtra ſunt ij defectus naturæ, qui rectiſſime iudicantur capitale ſcelus, lata ſententia a Mauritio Imperatore. Cæterum orbati, quibus Ariſtoteles educationem lege dicit interdicendam, non ſunt claudi, cœci, & gibbi; nam Ariſtoteles tum (*h*) ſæpe laudat Homerum cœcum: tum ipſemet

b in com. loc. cit.
c 7. polit. cap. 16.
d 2. phyſ. t. 56.
e 2. de an. t. 34.
* 1. de an. in præf.
f lib. de monſtr.
g de Oſtēt.
h 3. hiſt. c. 3. 3. de part. c. 10. 2. Oecon. c. 3. 1. Rhet. c. 15. 3. Rhet. c. 3. In Poet. & alibi paſſim.

met oculorum paruitate, crurum exilitate deformis notatur a Diogene Laertio; & a Gesnero d. n. in Onomastico suo dicitur Aristoteles fuisse paruus, gibbosus, male formatus, & balbutiens: sed negata fuerunt ab Aristotele nutrimenta monstris; quæ sunt defectus naturæ, adeoque orbata viuentia, de quibus Magister agit in præsentia. Deinceps esto disputationis ergo, nunc Aristotelem prohibere cunctorum partuum orbatorum nutricationem, educationemque nos in eo viro debemus incipientem, ac veluti nascentem pietatem erga homines venerari; quoniam ipse frequentem, ac passim fieri solitam expositionem perfectorum infantium prohibuit; & eam ad solos orbatos partus coarctauit: quam expositionem infantium adhuc magis coarctauit humana pietas adultior inter Christianos, ad solos partus insigniter monstrosos; qui quidem sunt exponendi, non educandi, ne grauidæ mulieres eorum seruatorum aspectu consternatæ ac vehementer affectæ, consimiles partus imaginationis vitio producerent in lucem; sic etenim & insontes perduellionum filios ob crimen læsæ Maiestatis a patre perpetratum, iuste relegant, exilio mulctant, & quandoque capite plectunt pijssimi Principes; sic partes humani corporis cancrena infectas Medici ferro præscindunt, vel igne penitus absumunt; ne vitium serpat ad proxima membra sana. Neque nos mouet obiectio viri docti, quod melius eis orbatis fuisset non nasci quam nasci, si statim ab ortu exponendi, necandique fuerant; quia licet hoc de singulis hominibus & perfectis censuerit Antiquitas, quod melius omnibus esset non nasci, aut citissime interire; nam (i) M. Tullius asserit Aristotelem in Eudemo notasse, vulgatissimum fuisse dogma sapientum omnium, Hominibus optimum esse non nasci; quod & (k) Athenæus insit, Alexim sic in Sopita scribentem inducens,

i 1. de Diuinat.
k 3. dipn. cap. 21.

> *Numquid sophis quod dicitur*
> *Verissimum est? non nasci est præstantius*
> *Fuit, vel emori cito mortalibus?*

Pliniano quoque testimonio (l) multi extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quam ocyssime aboleri; qua de re nos (m) alibi latius; hoc tamen Christianus dicere non debet; tum quia non nati, & in vtero matris mortem obeuntes, baptismate lustrari non possunt, adeoque damnati moriuntur; quum vicissim quicunque nascuntur, possint illico sacri fontis aqua regenerari ad gratiam, & in gloriam promoueri sine mortalis vitæ miserijs; dummodo non sint eiusmodi monstra, qualia supra determinauimus, quibus interdicitur ab Ecclesia baptismus: tum quia si (n) Scotus recte sentit, non licere damnato velle non esse ad pœnam vitandam; plane Christi fidelis dicere non debet, puellis orbatis in Aristotelis Republica melius esse non nasci quam nasci, ad vitandam pœnam expositionis, & famis, sitisque lethalis. Nec ab Aristotele tali lata lege parentes crudelitatem induunt in filios: quia parentes generare sibi student filios, vt in illis semetipsos reddant in specie (o) perpetuos; quum æternitatem assequi nequeant in indiuiduo; sed quia monstrosos partus generando, vtcunque frustrantur hoc suo fine; non enim sibi similes omnino producunt; nec eos procreant, qui valeant perpetuam seruare speciem: ideo salua pietate parentes exponere possunt suos partus valde

l lib. 7. in præf.
m 3. de immor. anim. cap. 8.
n 4. sen. d. 50. q. 1. & 2.
o 2. de an. t. 34. & 35.

valde monstrosos. Deinde monstrosi partus, qui ferinam potius naturam habent quam humanam, non merentur nomen filiorum; quum sint, non qui-
p 2. phys. dem effectus naturæ, vt filij, sed (p) defectus, & enormia naturæ peccata, iu-
t. 82. re prorsus exterminanda, & pie necanda; vel ea quoque ratione, ne conta-
4. de gen. gione sua lædant perfectos alioqui nascituros, grauidarum imaginatione per
an. c. 4. aspectum vehementer affecta & deprauata; ob matris enim vtero gerentis imaginationem valde perculsam monstra plerumque gigni, fuse probauimus
q l. 2. c. 11. in opere nostro (q) De Monstrorum natura, causis, & differentijs. An ne
19. 42. 47. crudelia sunt parentum viscera, qui molas proijciunt? minime: sic existi-
56. 66. 84. mandum est de parentibus exponentibus partus orbatos in monstri defor-
& 90. mitatem horribilem degenerantes. Deinceps vere crudelia fuerunt parentum antiquiorum viscera, qui passim filios ab se genitos, etiam perfectos, ab ortu statim exponebant, atque necabant; quam crudelitatem compescens Aristoteles, & eam auertens a partubus perfecte organizatis, cur non laudetur de pietate, quam in animis hominum hæc imperans inseuit? Nos igitur ex hoc Aristotelis decreto colligimus, Philosophum erga homines vere pium fuisse, qui proscripserit morem atrocissimum antiquorum necandi quoslibet infantes ad arbitrium genitorum; mitiori lege sancita, ne perfecti partus exponerentur, sed sola monstra, quæ sunt naturæ peccata, relinquerentur sine educatione. Sic ergo non erat vt hoc in loco Magister accusaretur de morum atrocitate; quum debuerit ex aduerso laudari de pietate vel incipiente in prohibita perfectorum partuum expositione; vel etiam perfecta in interdicta monstrorum horribilium educatione.

De Pietate, & gratitudine Aristotelis erga Hippocratem. Cap. XIX.

Aristotelem ergà benemeritos non pietatem coluisse, sed ingratum fuisse nonnulli dixerunt; ac in primis eum insimulauit ingratitudinis erga Hippocratem Hieronymus Mercurialis æuo nostro Medicus celeberrimus,
a Pract. l. 5. inquiens, (a) *Aristoteles in Hippocratem ingratissimus fuit; quum tot bona acce-*
de febr. *perit, nec vnquam nominauerit. In Politicis quidem nominauit Hippocratem, sed*
c. 15. *non tanquam Medicum, nec forsan hunc Hippocratem.* & mox, (b) *Accepit autem*
b ibid. c. 17 *Philosophus a magno Hippocrate 5. phys. t. 59. Hippocrat. lib. 4. de morb. cordis substantia admodum soli & pene impassibilis Quam sententiam secutus Aristoteles Hippocrati parum gratus 3. de part. an. 4. & 4. de part. anim. 2.* Ceterum hæc facile diluas; nam in primis illud falso sumitur, nunquam Hippocratis Aristotelem meminisse; quum eum laudauerit, insigni titulo Magni Medici celebrauerit, quo laudes omnes complexus est; nam Magni cognomentum antiquitus in quaque facultate non dabatur nisi viris omni laude maioribus; ita Græci Magnum Alexandrum cognominarunt, Romani Pompeum Magnum inter viros bellica virtute præstantes, nostrates Albertum Magnum inter Philosophos, quum existimarent hoc vno titulo omnia laudum genera contineri: quare summopere laudauit Hippocratem Aristoteles inquiens,

Pa-

(c) Putant plerique magnam esse debere beatam ciuitatem: id etsi verum est, ignorare tamen videntur qualis magna & qualis parua dicenda sit ciuitas; existimant enim magnam ex numero habitantium; sed oportet non tantum ad numerum, sed magis ad potentiam respicere; est enim ciuitatis opus quoddam: quare qua maxime id efficere potest, hanc existimandum est esse maximam ciuitatem; ceu Hippocratem, non hominem, sed medicum quis diceret esse maiorem quam alium, qui magnitudine corporis eum excedat. Quo maiori encomio poterat Aristoteles Hippocratem celebrare, quam eum appellans Magnum Medicum, & comparans magnæ beatæque ciuitati? Neque Magni Medici nomine potuit alium Hippocratem indicare, quam Medicorum principem; non enim ex obscuris exempla desumuntur & probationes, verum ex notissimis; ast Hippocrates alij, præter Coum Medicum, & Chium Mathematicum obscuri nominis parum noti sunt. Deinde vero, quod non sæpius in laudes Hippocratis aperte se se diffuderit Aristoteles, in causa fuit modestia, & iactantiæ fuga; nam tritauum suum effusis nimium encomijs celebrare frequenter non poterat absque iactantiæ vitio; fuisse vero pronepotem Hippocratis Aristotelem optime demonstrauit Baslus; (d) cui *natus est Hippocrates anno primo octuagesima Olympiadis: centum & quatuor vixit annos. Ad Perdicam Macedonum regem medendi causa rogatus profectus est; atque inde ipsius filij & nepotes cum ipsis regibus iusta consuetudine per multos annos postea versati sunt; quibus cum Aristotelis genitor Nicomachus tanquam per manus subsecutus consuetudine coniunctus fuit; nam Amyntæ Macedonia regi medicam præstitit operam. His igitur non dubia ducti coniectura Hippocratis pronepotem Nicomachum fuisse putamus; quum receptum sit omnibus tum Hippocratem nostrum, tum ipsius filios ac nepotes apud ipsos reges fuisse, vt pronepotes etiam quodam hæreditario seruitutis munere subsecutos fuisse rationabiliter sit credendum: Quod autem rei istius fidem plenam facere videtur, est quoniam genus ab Aesculapio ducere & ipsum Nicomachum in antiquorum annalibus relatum legimus: quare Hippocrates tritauus Aristotelis est pro certo habendus. Ipse quoque apud Macedonum regem Philippum commoratus est, a quo Alexandrum filium erudiendum suscepit.* & mox, *Noster Stagirites Philosophorum maximus, qui omnes qui vnquam vixerunt, ingenio & doctrina superauit: emortuusque est quum annum ageret sexagesimum tertium: editus vero in lucem Olympiadis nona ac nonagesima anno primo; quare quum decem & nouem Olympiades exierint ab Hippocratis ad Aristotelis ortum; quum septuagesimum sextum ageret annum Hippocrates, natus est Aristoteles; quumq; Hippocrates annos superuixerit duodetriginta, qui summam faciunt annorum centum & quatuor, Aristoteles autem annum agens decimum septimum, quo voce Pythia philosophari iubebantur antiqui, per triennium & eo amplius ab Hippocrate intra priuatos parietes potuit erudiri, quocum tanquam pronepos coniunctissima consuetudine vsum fuisse, est vt credamus.* &c. Deinceps autem Aristoteles ipse scribens, (e) *Intendentes autem de anima, necesse est simul dubitantes de ijs, quibus abundare oportet, pertransfeuntes priorum opiniones comprehendere, quicunque aliquid de ipsa enunciauerunt, vt bene quidem dicta accipiamus: si vero aliquid non bene, hoc euitemus. Principium autem quæstionis, præponere quæ maxime videntur ipsi inesse secundum naturam. Animatum igitur ab inanimato duobus maxime differre videtur, motu, & sensu. Accepimus autem & a progenitoribus fere*

c 7. polit. c. 4.

d 1. de decr. Hip. & Arist. c. 1.

e 1. de an. t. 19.

bacilus de anima: progenitorum nomine clare designans Hippocratem, qui sapientissimus fuit in Asclepiadarum gente, cuius germen extitisse nostrum
f lib. 2. Aristotelem testatur (f) Hermippus, vt alibi late (g) probaui: gratissimus
g 4. de im. fuit erga tritauum & Magistrum, cuius doctrinam suscipit, & candide fatean. in f. tur per quem profecerit. Et sane sententiam hanc Hippocraticam ab Ari-
h lib. 1. stotele laudatam, haberi in opere De (h) Diæta inscripto, fuse declarauimus
i l. 2. c. 68. agentes (i) De his qui diu viuunt sine alimento, quem locum non est vt hue afferam. Insuper omittendum non est, complures Aristotelis libros ad nos non peruenisse; verum maximam eorum partem, quos Aristotelicos enumerat numero fere quadringentos in vita Philosophi Diogenes Laertius, summo litterariæ Reipublicæ detrimento deperditos: & quomodo quis asserere certo valeat in eorum plerisque præclaram Hippocratis mentionem ab
k l. 8. c. 16. Aristotele non habitam? certe Plinius (k) ait habuisse se quinquaginta fere volumina de animalibus ab Aristotele relicta; quorum nos habemus valde pauca. Denique vero qui fieri nequeat, vt in quibus cum Hippocrate consentit Aristoteles; ea non ab Hippocrate didicerit, sed in eius mente nata fint, vt & prius in Hippocratis intellectu? Non igitur ingratus pietatem denegauit Aristoteles Hippocrati, quam tritauo Magistroque suo tenebatur exhibere.

De Pietate, & gratitudine Aristotelis erga Platonem.
Cap. XX.

AElianus Aristotelem insimulat ingratitudinis erga Platonem, vt hac ratione quoque pietatem læserit, qua Magistrum colere debebat, in-
a 4. de var. hist. c. 9. quiens, (a) *Plato nominare solebat Aristotelem pullum. Quid autem hoc sibi nomen voluerit, ex eo liquet; quod pullus quum saturatus est lacte materno, calcibus petit matrem. Significauit igitur Plato inuoluto quodam sermone, ingratitudinem Aristotelis: etenim is quum maxima philosophia semina & adminicula a Platone accepisset; saffartus optimis quibusque recalcitratus scholam contra Platonem aperuit, & in Peripato cum suis familiaribus & discipulis aduersus eum pugnauit, & Platonis aduersarius esse cuptebat.* His consentientia scribit Patricius in suis Discussionibus
b tom. 1. l. 1 (b) Peripateticis, adiecto Laertij testimonio, dicentis a Platone Aristotelem appellatum fuisse Mulum, qui statim genitus in matrem recalcitrat. Sed hæc vt a viris non æquo animo gloriam Aristotelis ferre valentibus afferuntur, ita facile diluuntur: nam Ammonio teste Lyceum Aristoteles non aperuit ante mortem Platonis. Immo defuncto Platoni statuit Aristoteles aram, & in honoris ac beneuolentiæ pietatisque signum epigraphen posuit

Aram Aristoteles erexit hanc Platonis.
Viri, quem nec laudare scelestis fas est.

Quod & Ficinus Platonis alumnus omnium studiosissimus confessus est, in-
c in vit. Plat. quiens, (c) *Aristoteles in templo aram Platoni statuamque sacrauit hoc epigrammate. Aram Aristoteles hanc Platoni dicauit, viro quem nefas est a malis laudari. Addit Aristoteles,*

" Qui

» *Qui solus vita, doctrina, moribus, ore*
» *Admonuit cunctos, & monumenta dedit;*
» *Vt virtute queant felicem ducere vitam.*
» *Nulla ferent talem secla futura virum.*

Sed & contra poetas Platonis calumniatores, Aristippumque Cyrenensem præsertim Aristoteles Magistri defendit honorem, vt mox ait Ficinus addens, *Virum Aristoteles, cui veritas magis quam Plato fuit amica, tam falsas in virum sanctum calumnias sustinere non potuit: nam in elegijs ad Eudemum, illa de Platone, quæ in superioribus diximus, cecinit; id illi maxime tribuens, vt prophani non solum vituperare Platonem vllo pacto non debeant; verum etiam sub prætextu laudis sanctum illius nomen ore prophano nominare non audeant. Neque elegia contentus fuit, sed etiam, vt tradit Olympiodorus, præclaram orationem de Platonis laude composuit.* Sed & in ethicis (*) ait, *Recte enim etiam Plato de hoc dubitabat, quærebatque vtrum ne ab initijs, an ad initia via esset, perinde atque in stadio a muneraris ne ad metam, an e contrario.* Si quando vero Platonicæ doctrinæ subscribere non potuit, hoc non fecit iniuriose tanquam aduersarius, at amore veritatis a Magistri placitis recedere coactus, excusationem præfatus est, aiens, (d) *Melius vero fortasse est, vt vniuersale consideremus, & quemadmodum dicatur inquiramus; quanquam arduam nobis hanc quæstionem futuram esse video; propterea quod amici sunt, qui formas introduxerunt. sed forsan rectius esse, & oportere videretur, vt pro veritatis salute vel nostra quisque, & præsertim Philosophi sua quæque propria refutarent: nam licet amici ambo sint* (Socratem, & Platonem intelligit) *sanctum est veritatem ipsis in honore anteponere.* &c. vnde constat, eo etiam nomine pium & gratum maxime se præbuisse Platoni Aristotelem, quod & hic, & alibi, dum eius placita non recipit, quæ procul a veritate iudicat abire, propter miram erga Præceptorem suum reuerentiam illius nomini parcit, eum minime compellans nomine proprio; quod ex aduerso profert, dum eius effata recipit, & cum summa laude; quod præcipue præstitit duobus in locis; alter est in Rhetoricis, dum agens de inartificiali fide, constituit, dictum Platonis, ceu viri præclari, vim habere probationis in litigantium iudicijs; ait enim, *De fide autem, quæ inartificialis dicitur, deinceps dicendum; propria enim iudicialium causarum. Sunt igitur quæ fidem huiusmodi faciunt, quinque numero: leges, testes, pacta, quæstiones, iusiurandum* &c. *Testes autem alij veteres, alij iuniores* &c. *Iuniorum etiam, qui clari sunt, sententia litigantibus conferunt, sicut Eubulus in iudicio Platonicum quiddam aduersus Charetæ protulit, quod Plato in Archibium dixit, increuisse tam propter illum in ciuitate, vt prauos se omnes esse fateantur.* alter est in libro de Mundo, in cuius calce legitur, *Proinde hæc omnia non aliud quicquam quam Deum esse, planum est, vt eximius Plato censuit.* &c. Quin, vt obseruat etiam (f) Bessario, quum Aristoteles quæreret in (g) problematibus, cur hi, qui in philosophia, vel poetica, vel liberalibus disciplinis, vel etiam Reip. administratione claruerunt, melancholici fuerint; postquam enumeratis plerisque antiquis ad iuniores descendit, Empedoclis, & Platonis, & Socratis exemplo vsus est, aiens, *Annis vero posterioribus Empedoclem, Socratem, Platonem, & alios complures viros insignes hoc fuisse habitu nouimus.* Immo præclaram orationem de laudibus Platonis Aristoteles conscripsit,

* 1. eth. c. 4

d 1. eth. c. 6

l. 1. c. 15.

f l. 1. c. 3.

g 30. sect. prob. 1.

Ee 2 Olym-

Olympiodori testimonio. Sic ergo mira gratitudine, reuerentia, pietateque summa coluit Platonem præceptorem suum Aristoteles.

De Pietate, gratitudineque Aristotelis erga Democritum, Diogenem, & alios antiquiores. Cap. XXI.

PAssim a multis, quibus prurit animus Aristotelem insimulandi, audit vir summus erga vetustiores ingratus, quod eorum inuentis ditatus, neminem vnquam laudet, neque fateatur per quos profecerit; sed aliorum omnium libris igne deletis, quæ præclara dogmata desumpsit ex alienis laboribus, tanquam sua venditet. Ceterum hæc vt gratis in eum iactantur, facile, sineque probatione penitus vlla, sineque verisimilitudine; quum plurima supersunt seniorum dicta varijs in monumentis adhuc prostantibus; ita pari facilitate negari possunt; & ne multus ego sim in recensendis locis Aristotelicis, in quibus præclara mentio fit, laus habetur de priscorum doctrina, tria sufficiant in proposito: Primo quidem veritati litans Aristoteles in theoria de principijs generationis rerum naturalium præfert Democriti proba-
a 1.de gen. t.7.8. tiones Platonicis, ceu physicas dialecticis; aiens, *Principium autem horum omnium est, vtrum sic & generantur, & alterantur, & augmentantur ea quæ sunt, & his contraria patiuntur, primis magnitudinibus existentibus indiuisibilibus, aut nulla est magnitudo indiuisibilis: differt enim hoc plurimum. Et rursus, si magnitudines impartibiles, vtrum, vt Democritus & Leucippus, corpora hæc sunt; an, vt in Timæo, plana. Hoc igitur ipsum, vt & in alijs diximus, irrationabile est vsque ad plana dissoluere: quapropter magis rationabile fuerit corpora esse indiuisibilia. Sed & hæc multam habent irrationabilitatem. Attamen & hos alterationem, & generationem contingit facere, vt dictum est, versione, & contactu transmutantes idem. & figurarum differentijs. Quod quidem facit Democritus: quapropter & colorem non dicit esse: versione enim colorari. Iis autem, qui in plana diuidunt* (Platonem innuit) *non amplius: nihil enim fit, præter solida, compositis secundum latitudinem: passionem enim non possunt generare aliquam ex ipsis. Causa autem, quare minus possint confessa videre, inexperientia est. quapropter quicunque magis versati sunt in naturalibus, magis possunt supponere talia principia, quibus multa possunt complicare: qui autem ex multis rationibus minime contemplatiui existentium sunt, ad pauca inspicientes facilius enunciant. Videbit autem quis & ex his, quantum differunt qui naturaliter, & qui logice considerant. De eo enim, quod est indiuisibiles esse magnitudines, hi quidem inquiunt, quod ipse triangulus multa erit: Democritus autem videbitur vtique proprijs, ac naturalibus rationibus persuaderi. Manifestum autem erit quod dicimus, procedentibus.* Ita ergo candide Platoni Democritum, & Democrito veritatem anteponit Aristoteles, illius nomini parcens cum silentio, & illum cum laude nominans, erga vtrosque pietatem colens. Dein-
b 1.de gen. t.43. de vero Diogenis dogma collaudat inquiens, (b) *Etenim plura cum entia facientes generant, faciendo, & patiendo ab inuicem, quamuis ex vno necesse sit dicere factionem. Et hoc recte dicit Diogenes, quod, si non essent ex vno omnia, non esset facere, & pati ab inuicem, vt calidum infrigidari, & hoc calefieri rursus; non enim transmu-*

mutantur caliditas, & frigiditas in seinuicem; sed manifestum est quod subiectum. Deinceps autem Anaxagoram, & Hermotimum laudat, eorum placitum suscipiens, dum ait, (c) *Post hos autem, & huiusmodi principia tanquam non sufficientia, vt entium naturam generarent, rursus ab ipsa veritate, vt diximus, coacti, illud, quod sequitur, quæsiuerunt principium: vt enim entia bene se partim habeant, partim fiant, nec ignem fortassis, nec terram, nec aliud huiuscemodi quicquam verisimile est causam esse: nec illos verisimile est arbitrari: nec rursus Casui, & Fortunæ tantam attribuere rem probe se habet. Quare, qui vt animalibus, ita in natura intellectum inesse causam mundi, totiusque ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad antiquiores vana dicentes, apparuit. Istas autem rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuisse scimus. Attamen Hermotimus Clazomenius dicitur causam prius dixisse. Qui igitur ita arbitrati sunt, principium entium posuerunt simul tam causam ipsius bene, quam illam, vnde motus existibus inest. Suspicaretur autem aliquis Hesiodum primum hoc quæsiuisse, & si quis alius Amorem, aut Desiderium in entibus, vt principium posuit, sicuti Parmenides: etenim is Vniuersi generationem monstrando* c 1. meta. su. 1. c. 2.

Primum quidem inter omnes Deos Amorem, ait, *produxit.*
Hesiodus vero, ante omnia fuisse Chaos,
Deinde Terram spatiosam, atque Amorem,
Qui inter omnes immortales elucet.

Tanquam oportunum sit, vt in entibus aliqua causa insit, quæ res ipsas moueat atque coniungat. Hos autem quomodo ordinare oportet, quis scilicet eorum primus sit, liceat posterius indicare. Sic igitur Aristoteles ad vnam veritatem vbique philosophatus ingenue, veteres laudat in ijs dogmatibus, quæ vera suscipit ab ijs prolata, non reticens per quos profecerit. Quare semper mirifice pietatem coluit & erga Deum, & erga homines.

Peroratio totius operis.
Cap. XXII.

ITaque summi Præceptoris Aristotelis elucet mira pietas erga Deum, & homines; quæ non semel a Theologis nostris, sanctisque viris concelebratur. Fonseca scilicet asserit alicubi, (a) *Qua in re ingenij Aristotelici præstantia istius commendari potest, quod ea pauca, quæ scripsit de diuina natura, ceteris que substantijs a materia separatis, adeo egregia sunt, vt nullum prope dogma de ijs rebus a Theologis vsurpetur (si tamen naturali lumine compertum sit) quod ille e libris Aristotelis non hauserint.* & paullo post. (b) *Quum enim ratio philosophandi Aristotelis tanto interuallo ceteras antecierit, mirandum non est, si Peripatetica doctrina morte Aristotelis, Theophrastique eius successoris, & Academicorum autoritate (quæ eo tempore ingens erat) longo annorum spacio suppressa, & pene sepulta, inuentis tandem, ac cognitis libris Aristotelis, tanta se se in lucem extulerit, vt breui disiectis Academicorum & Stoicorum tenebris, omnes totius Orbis Scholas obtinuerit; eumque locum in Christiana Republica (quod maxima autoritatis argumentum est) sit consecuta, vt eius tantum alumni insignibus Doctorum Philosophia ornandi iudicentur.* a procem. meta. c. 3. b 1. meta. c. 4.

Diuus

Dinus autem Hieronymus in Regula Monachorum infit, Mundanorum
c C.11. (c) *Sapientum Princeps Aristoteles, fuit absque dubitatione prodigium, grandeque miraculum in tota Natura; cui pene videtur infusum, quicquid naturaliter est capax humanum genus*. Sapientissimum itaque, piumque Doctorem sectantur, quicumque Philosophiam Aristotelis excolunt sano sensu. Cui excolendæ nos, vt alia plurima volumina dudum vulgata dicauimus, ita nunc has contemplationes dare voluimus. In quibus omnia nostra theoremata S. R. E. censuræ lubenter subijcimus, nihil approbantes nisi quod sacris canonibus consonum est, Ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei.

Mi Lector errata corriges ita.

Pag.7.lin.13. iuuentis-iuuentutis. 15.41. stratos-stratios. 24.39. sacræ Bibliæ-sacris Biblijs. 26.2. Philosopus-Philosophus. 43.2. Quod autem-Quod autem agnouerit. 44.25. Angyropilo-Argyropilo. 68 31. venenari-venerari. 76.12. Hiperduliæ-Hyperduliæ. 129.24. spupris-stupris. 134.28. abolere-abolere potuit. 135.43. vetat fere vetat. 153.7. dicta sunt. -dicta sunt: (etsi nomen fabulosi sumi valeat, immo debeat hoc in loco pro sermone sacro vero, sicut infra latius apparebit) 154.1. falsam fictamque-falsam fictamque (si dandum est hoc disputationi; quod tamen absolute non concedimus, ob rationes inferius afferendas) 155.34. admirandas-inter admirandas- 156. 12. potuisse-*dele*. 162.18. die-dies. 163.2. socium-socius. 163.4. fuisse. Vespasiani-*dele punctum intermedium*. 181.18. passiuus. -passiuus corruptibilis. 181.27. intellectiuus-intellectus. 186.16. vnusquisque-vnumquemque. 186. 17. solitus-solitos. 187.44. trium-trium personarum. 188.38. &-est. 189.10. potuit-posuit. 210.35. intellectum-intellectuum. 211.44. felicissima-felicissimam. 212.40. sapere. Nec-sapere: nec. 215.7. cationemque nos-cationemque; nos.



PRO IMPRESSIONE.

Opus præsens Perillustris, & Excellentiss. D. D. Fortunij Liceti Genuensis Philosophi Eminentis, cui titulus est de Pietate Aristotelis; Cuius initium Aristotelem &c. & finis omnipotentis Dei. fuit visum, & cum nihil iuxta Regulas contra Fidem, Principes, & bonos mores contineat fuit etiam pro impressione approbatum. Die 25. Iulij 1640.

Ita est ego Fr. Antonius Vercellus à Lendenaria Inquisitor Generalis Paduæ manu propria.

Die 8. Octob. 1644.

Visis suprascriptis attestationibus pro impressione Vtini conceditur facultas.

Ita est Fr. Ludouicus de Gualdo Inquisitor Generalis Aquileiæ & Concordiæ.

§ Zuanne Nani Caualier, Procurator, Reformator.

§ Aluise Valaresso Caualier, Procurator, Reformator.

Aluise Querini Secretario.

